ICONES
SIVE
IMAGINES IMPP.
REGVM, PRINCIPVM, ELECTORVM ET DVCVM
Saxoniæ,

Vnà cum eorundem elogijs

NICOLAI REVSNERI LEORINI
Comitis Palatini Cæsarei, et Conſiliarij Saxonici.



Cum Privilegio Cæſareo & Saxonico.

IENÆ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI: Impenſis
HENNINGI GROSII ciuis & Bibliopolæ Lipſenſis,
Anno M. D. XCVII.

SERENISS. ILLUSTRISS.Q.
PRINCIPIB.
FRIDERICO GVILIELMO
PROELECTORI,
CHRISTIANO II. ELECTOR.
HAEREDI,
eiusq. Fratrib. Germ.
IOANNI GEORGIO & AVGVSTO,

Nec non
IOHANNI,
IOANNI CASIMIRO,
&
IOANNI ERNESTO,

Vniuerſis ac ſingulis

DVCIBVS SAXONIÆ, LANDGRAVIIS TVRINGIAE, MARCHIONIB. MISNIAE
SACRI ROM. IMPERII
Principib.

MAIORVM SVORVM
LAVDATISSIMOR.
HEROICARVM NON MINVS
VIRTVTVM
QVAM DIGNITATVM FORTVNARVMQ.
AMPLISSIM.

HAEREDIB. ATQ. SVCCESSORIB.
OPT. OPTATISS. Q.

THEATRVM HOCCE ICONICVM

TANQVAM AVGVSTVM VIRTVTIS ET SAPIENTIAE TEMPLVM

Non ſolúm

VIVIS, LICET MVTIS,
INCLYTAE PROSAPIAE SAXONICAE PRINCIPVM
IMAGINIBVS

Sed &

EORVNDEM ELOGIIS MVSARVM VOCE, LOQVACIBVS

TANTAE ET TAM ILLVSTRI VIRTVTI DEBITIS

AFFABRE INSTRVCTVM ATQVE EXORNATVM

NIC. REVSNERVS
COM. PAL. CÆS.

DEVOTISS. OBSEQVII MONVMENTVM

D. D.

Paulus Iouius lib. 5. Elogiorum.

Mirificè iuuat heroes, præſertim eos, quos inclyta virtus noſtro ſeculo clariſsimos fecit, ex veris imaginibus repræſentatos, rurſum uti adhuc ſuperſtites oculis intueri, & benigna cogitatione ſuſpicere, tanquam defunctos, atq; omni prorſus inuidia carentes, quos ipſi de facie nouerimus, gerentesq; bella varijs periculis atq; victorijs inclaruiſſe viderimus. Habet enim in ſe hoc illuſtris & excellens virtus, ut eâ præditos, & cæteris præſtantes, vel apud ipſos hoſtes ac inimicos, in admirationem rediuiuâ cum laude perducat, iniiciatq; elegantioribus ingenijs quendam honeſtæ cupiditatis aculeum, agnoſcendis eorum formis & vultibus, qui res literarum memoriâ dignas fortis conſilio & pugnaci dextra confecerint. Quandoquidem res magnæ & memorabiles plerunq; ex variâ tot caſuum reputatione, a legentibus ſcripta, aut picta ora ſpectantibus voluptatem & dolorem, proq; habitu prædurí vel mollioris animi interdum ex indignatione improbè atrociterq; factorum, miſerationem & lachrymas eliciunt.

INDEX ICONVM DVCVM SAXONIÆ.

MAGNI DVCES SAXONIÆ.

1. VVitichindus Rex ultimus.
2. Ludolphus.
3. Bruno.
4. Otho.

IMPP. ROM. SIVE Cæſares.

1. Henricus Anceps.
2. Otho I. Magnus.
3. Otho II.
4. Otho III.
5. Henricus Sanctus.

DVCES LVNAEBVRGII.

1. Hermannus Bilingus.
2. Benno.

ELECTORES SAXONIAE

E ducibus Lunaburgijs.

1. Bernhardus I.
2. Ordolphus.
3. Magnus.

A Comitibus Supplinburgi.

4. Lotharius IMPERATOR.

E Ducibus Bauariæ.

5. Henricus I. Superbus.
6. Henricus II. Leo.

E Ducibus Anhaltinis.

7. Bernardus II.
8. Albertus I.
9. Albertus II.
10. Rodolphus I.
11. Rodolphus II.
12. VVenceſlaus.
13. Rodolphus III.

E Landgrauijs Turingiæ & Marchionibus Miſniæ.

15. Fridericus I. Bellicoſus.
16. Fridericus II. Placidus.
17. Erneſtus.
18. Fridericus III. Sapiens, deſignatus Rex Romanorum.
19. Iohannes.
20. Iohannes Fridericus.
21. Mauricius.
22. Auguſtus.
23. Chriſtianus. I.
24. Fridericus Guilielmus Proelector.

DVCES SAXONIAE.

Henricus.

Ioan. Fridericus II. Ioan. Guilhelmus, & Ioan. Fridericus III.

Chriſtianus II. Ioan. Georgius, & Auguſtus.

Iohannes.

Iohannes Caſimirus.

Iohannes Erneſtus.

VVITICHINDVS

[illegible]NDVS MAGNVS REX VLTIMVS, ET DVX MAGNVS SAXONIAE I.



P[illegible]xoniæ Dux Magnus,& ultimus idem
Rex,alto regum ſangu ne cretus eram.
Ma na mei regni virtus,& magna poteſtas:
C rporis at major vis animique mei.
[illegible]icennale movens bellum tibi CAROLE Magne:
Acria tot dubio prælia Marte gero.
Quám benè victoris ceſſit mihi gratia magni!
Te duce,do Chriſto nomen,& arma fero:
Ipſe ſalutiferi perfuſus fluminis undâ:
Hinc mihi parta ſalus eſt populoque meo.
Iamque potens late,Suevo cumPrincipe pugnans
Fortiter,occumbo non ſine laude foris,

LVDOLPHVS MAGNVS DVX SAXONIAE. II.



FLore virens animi pariter LVDOLPHVS & æui,
Dux pius, & pronepos, Rex VVITICHINDE tuus:
BRVNONIS poſt fata patris rego Saxonis oras:
Promeritus Magni nomen & ipſe Ducis.
Albis quæ latè hinc interluit, inde Viſurgis,
Finibus adijcio regna beata meis.
Sed quàm Marte ferox, & vinci neſcius armis,
Tam fidei ſeruans, & pietatis amans.
Relligionis amore ſaluto mœnia Romæ:
Relliquiasque ſacras Dux ſacer inde fero.
Munera quæ ſacræ dono Veſtalibus ædis,
Quæ tumulum ſervat nunc quoque fida meum.

BRVNO

BRVNO MAGNVS DVX SAXONIAE. III.



Magnanimus Princeps, belloque expertus & armis:
Multa ſub aſsiduo Marte pericla fero.
Dum vanos Diuum cogens deſiſtere cultus,
Externo Chriſti planto ſub orbe fidem.
Dania ſit teſtis mihi, ſit Normania teſtis
Victrices toties utraque paſſa manus.
Mars dubius, nec certa ſatis victoria: victor
Ad mare repreſſus rurſus ab hoſte feror:
Cum merſo ſalſis in fluctibus agmine perdo
Biſſenos Comites, Pontificesque duos.
Ipſe ſimul pereo, (heu) dignus meliore ſepulchro:
In pelago magnos triſte iacere duces.

OTHO MAGNVS DVX SAXONIÆ IV. ROM. IMP. DESIGNATVS.



SAxonicæ Magnus Princeps OTHO nuncupor oræ:
Par ſic & nomen Patris Auique gero.
Magna fides animi, mentis moderatio magna,
Relligioque Dei laus mihi magna fuit.
Perdomo Vandalicas acie victrice cohortes:
Imperio ſubdo Vandala regna ſacro.
Imperio Cæſar deſignor denique ſacro:
Deprecor ætatis nomine, tale decus.
Pro me CVNRADVM rectorem deſtino regni:
Imperii tutor nominor ipſe ſacri.
Imperii toties at detrectata, ſepulto
Filius HENRICVS Cæſare ſceptra capit.

HENRI-

HENRICVS AVCEPS ROMANORVM IMPERATOR V.



SAxoniæ primus poſt Francos impero Cæſar
  HENRICVS, patriæ gloria prima meæ.
Aucupor, aucupiumque meum ſunt Romula regna:
  Cura ſed aucupij non fuit iſta mei.
Fortunæ ſecura n[illegible]et, dijs proxima virtus:
  Quam cupidis ul[illegible]ò paſsibus ambit honos.
Arnulphum vici ſine vi, ſine ſanguine Boium:
  Hen[illegible] [illegible] Salæ ripa cruore ruber.
Te[illegible] [illegible]e Ruſſe ferox, te Vandale, teque Boeme,
  Et te Mars d[illegible]muit, Dalmata ſæue, meus.
Fac diem p[illegible]ac[illegible]do, Patriæ Pater, arbiter orbis,
  Multa obeo Cæſar poſt benefacta ſenex.

OTHO

OTHO I. ROM. IMPERATOR *cogn.* MAGNVS VI.



MAgnus OTHO magnis nomen virtutibus æquo:
    Soſpite me, ſoſpes Teutonis ora fuit.
Seu pacem, ſeu bella gero, Dij cœpta ſecundant:
    Auſpice ſi quid ago numine, dexter ago.
Filius hinc victus, fraterque generque rebellis:
    Et Francûm ſocias Belga ſecutus opes.
Quid memorem Scythicis egreſſos finibus Hunnos?
    Quid domitas gentes, magne Boeme, tuas?
Adde, quod Auſoniæ ſævos punire tyrannos,
    Et leges potui ferre, Quirine, tibi.
Morte piâ, Cæſar pius, inter ſacra Deorum
    Iam ſenior vitam reddo animamque Deo.

OTHO II. ROM. IM-
PERATOR VII.



IMperio Patri, ſed non virtute ſecundus:
Anteit ætatem vis animoſa meam.
Nam puer impubes, & adhuc non utilis annis,
Argiuo Calabrum tutor ab hoſte ſolum,
Sed tione potens regno Patruelis adempto
Exulat, & pœnas impietatis habet.
Tres pariter Reges Martem ſubire coegi,
Sarmaticum, Cimbrum, teque Boëme tuum.
Perfida Gallorum domui quoque fortiter arma:
Argolicas ſed dum vindico claſſe manus:
A Siculis captus, linguaque redemptus & ære,
Auſonia claudo liber in vrbe diem.

OTHO III. ROM. IMPERATOR IIX.



MArte ferox, & pace potens, virtute fideq́ue
Inclytus, & regni, callidus arte puer:
Sceptra gero: Latijs indictâ pace tyrannis,
Eligo Pontificem, Roma ſuperba, tuum;
GREGORIVM ſacræ dignatus honore cathedræ:
Quo pulſo, Romam Marte furente peto.
Vrbs capitur, victaſque mihi dat perfida dextras:
Præſul vtroque nouus lumine captus obit.
Quique ſibi faſces Conſul Creſcentius vrbis
Vindicat, ad Stygias it iugulatus aquas.
Quod de gente tuâ legitur Germania Cæſar,
Acceptum debes legibus omne meis.

HENRI-

HENRICVS SANCTVS ROM. IMPERATOR XI.



FElix militiâ, vitâ caſtusq́ue piusq́ue,
Sumptibus erexi ſplendida fana meis.
Fratres edomui CVNIGVNDAE conjugis ambos;
Flandria quando ſubit capta Metisq́ue jugum.
Sarmaticâ fudi junctum cum gente Boemum:
Chriſtiadum docui Pannona regna fidem:
Quando ſoror STEPHANO datur uxor GISELA Regi:
Cumq́ue Saracenis arma cruenta tuli.
Quid Friſios Henetoſque loquar, victoſq́ue Pelaſgos?
Cœlitis hinc nomen pro pietate fero.
Magna fuit gentes bello frenaſſe ſuperbas
Gloria: ſed major fama fuiſſe pium.

HERMANNVS BILINGVS DVX SAXONIÆ ET LVNEBVRGI I.



PAtria cui Stuccorna domus dat nomina gentis:
Saxonicæ clarus nobilitatis Eques:
Marte valens ac pace, domiq́ue foriſq́ue probatus:
Virtutum ſuperat nobilitate genus.
Magnus OTHO Cæſar patriæ quem præficit oræ;
Subdit & Albiacæ jugera lata plagæ.
Ac Lunæburgi magnum jubet eſſe Dynaſtam:
Primus ubi tumuli nobile marmor habet,
Armis invidiam propulſat fortiter omnem:
Templa Deo ſacrat relligionis amans.
Sincerus Chriſti cultor conſtansq́ue per omne
Aevum, virtutis præmia dignus habet.

BENNO

BENNO DVX SAXONIÆ ET LVNEBVRGI II.



PRimus OTHO Ducis HERMANNO dat nobile nomen:
Firmat BENNONI quod decus alter OTHO.
Dux pius & juſtus, recti defenſor & æqui;
Commodior patriæ, quàm ſibi, BENNO ſuæ:
Religionis amans ſimul, & virtutis: & armis
Inclytus, & procerum maximus ipſe ſago.
Cæſaris inprimis generoſus miles OTHONIS:
Pene puer puero junctus amicitiâ.
Cum quo Sauromatas & Cimbros Marte coercet:
Ponit & Auſonio fulgida caſtra ſolo.
Vandaliæ populos compeſcit robore dextræ:
Mandat & impoſito ſubdere colla jugo.

BERNHARDVS I. ELECTOR SAXONIAE I.



PRimus Saxonico BERNHARDVS regnat in orbe
Armiger: HERMANNO Principe Patre ſatus.
Lunæburga tuus Dominus, Princepsque ſecundus:
Tertius Imperij cui decus addit OTHO.
Clarus erat Princeps animo factisque: Boemos
Compulit HENRICI Cæſaris arma ſequi.
Grande jugum domitâ recipit cervice rebellis
Vandalus: at CHRISTI non colit uſque fidem.
Principis expertus mores dominantis auaros:
Auro pulſa fides ſic pietaſque fugit.
Tyrigetis adverſa movet pugnacibus arma:
Poſt octo moritur luſtra peracta domi.

ORDOL-

ORDOLPHVS SAXONIÆ ELECTOR II.



FOrtis, & infelix ORDOLPHVS filius armis.
Saxona, defuncto pro Patre, regna regit.
Vandalus infeſtat ſævus quem Marte cruento;
Vlturus Patris facta ſuperba ſui.
Prædo potens populatur agros: Chriſtique profeſſos
Salvificam, rigido conficit enſe, fidem.
Triſtius eſt letho lethi genus: uxor acerba
Morte luit domini GISELA facta ſui.
Prælia qui ſuperis miſer irrita miſcet iniquis;
Atque domum victus ſemper ab hoſte redit.
Nuſquam tuta fides: deſertus ab omnibus anno
Biſſeno, vitæ lumine caſſus, obit.

MAGNVS ELECTOR SA-XONIAE III.



MAgnus eras animo virtuteq́ue MAGNE: ſalute
Prælia pro patriæ ſæpe ſecunda facis.
Vandalicum ſuperas præſenti Marte tyrannum:
Amiſſum genti reſtituiſque decus.
Auxilioq́ue juvas Obetritas: Luſatiumq́ue
Imperio cogis ſubdere colla ſacro.
Pace carens, patriâ damnatum excedere terrâ
Cæſar, & hinc cogit vincula dura pati.
Cæſar opes, ſed non animum tibi maximus aufert:
Sors rarò magnis parcit iniqua viris.
Fortunâ dignum ſic te meliore fatebor;
Sed tu fortunæ victor es ipſe tuæ.

LOTHA-

LOTHARIVS ELECTOR SAXONIÆ IV, ET ROMAN. IMPERATOR.



MArte potens, vinciq̃ue LOTHARIVS inſcius armis;
E Supplinburga gente domoq̃ue ſatus:
Cæſaris auſpicio Septemvir Saxo creatus:
Cæſareum meruit per ſua facta decus.
Subjugat Imperij non magnis viribus urbes:
Et ſtatuit multis parta trophæa locis.
Quid? quod ad urbanas quoque pacis idoneus artes,
Et pius, & juſtus munificuſq̃ue fuit.
Sexcentis annis Latio jus orbe ſepultum
Protulit in lucem reſtituitque ſacrum.
Vndecimo raptum quem Parca maligna Decembri,
Dum numerat palmas, credidit eſſe ſenem.

HENRICVS I. *cog.* SVPERBVS ELECTOR SAXONIAE V.



CAeſarei cuſtos lateris, ſociuſque laborum
Militiæ HENRICVS, ſanguine Guelphus eram.
Me Cæſar generum ſibi prætulit omnibus unum,
Si neſcis, mihi dos Saxona terra fuit.
Aemulus ALBERTVS tantum decus invidet VRSVS:
Qui mihi ſobrinus, qui mihi frater erat.
Ille manum glomerat bello: fatiſque repulſus
Advocat in noſtrum Cæſaris arma caput.
Sed fruſtrà: demum Soceri poſt fata, ſuperbus
Cæſareas vires dum peto, perdo meas.
Res gravis ambitio, cæcæque ſuperbia mentis
Exitium ſecum triſte malumque trahit.

HENRICVS II. LEO ELECTOR SAXONIAE VI.



MAgnanimus fortiſque LEO, virtute feroci
Exſuperas: palmis nobilis atque togis.
Regna patris reddit Cæſar: quæ Rhenus & Albis
Alluit, Hercinijs undique cincta jugis.
Vt lapſu graviore ruas, ſublatus in altum,
Cæſaris imperium ſpernis, & arma capis.
Per tria luſtra vagus, ſpoliatus honore boniſque
Erras: cauſa fuit ſpiritus ille minax.
Vandalicos laus magna fuit domuiſſe tyrannos,
Et Chriſti populos edocuiſſe fidem.
Te vocat auctorem generis, ſoboliſque parentem,
Quæ Brunonis habet nomen ab urbe domus.

BERN-

BERNHARDVS II. ELECTOR SAXONIAE. VII.



AScanio Princeps BERNHARDVS ſanguine natus,
Primus Saxonici Principis arma gerit.
Iuris amans, divûm metuens, animoſus in armis:
Libertas patriæ quo duce ſancta viget.
Quod manet imperij Germania laudibus aucta:
Virtuti magni debet id omne Ducis.
Vandalus expertus præſtantis robora dextræ:
Agnovit dominum quem coluitque ſuum.
Auratis enſes trabibus rutæque corolla
Ornat: & imperij deligit arma ſui.
Imperat octonis quater actis integer annis:
Imperij ſedes vrbs Viteberga fuit.

ALBER-


ALBERTVS I. ELECTOR SAXONIAE. VIII



Cæſaris ALBERTVS Friderici Primus alumnus:
    Caſtra diu ſequitur Cæſariana Comes.
Auſpicio cujus Cimbris erepta Lubeca,
    Imperij rurſus ſub juga tracta venit.
Signa Palæſtinis Pharijſque tuetur in oris
    Cæſaris: & domito victor ab orbe redit.
Mœnia ſubvertens Solis de nomine dicta:
    Suſtulit inde caput, Barbara Diva, tuum.
Pontificis contra diras defendit OTHONEM
    Conſtanti ſocerum mente fideque ſuum.
Suſtinet imperij per ſex octennia faſces:
    Iuſtitiæ Princeps & pietatis amans.

ALBER-

ALBERTVS II. ELECTOR SAXONIAE IX.



QVando Romano Germania Rege careret:
Mœſtaque civili ſeditione foret:
Iura dabat populis ALBERTVS Saxonis oræ:
Romani cuſtos Enſifer imperij.
Ille novum dominum ſua per ſuffragia tandem
Te legit Imperio, magne RVDOLPHE, ſacro.
Connubiis natam ſocias memor ergo pudicis
ALBERTI: dos eſt patria, Brema potens.
Parthenopen dubio populoſam Marte fatigat:
Nunc victor, victus nunc redit inde domum.
Oppetit adverſâ mox cuſpide læſus ab hoſte:
Leucoris exuvias Principis alta tenet.

RVDOL-

RVDOLPHVS I. ELECTOR SAXONIAE X.



IVſtitiá præſtans animisque RVDOLPHVS & armis:
Cæſaris auguſto nomine dictus Avi:
Parthenopen bello petit infeſtatque: paternæ
Aut ultor mortis, aut comes eſſe cupit.
Prælia clade pari ducent: dein civica turba
Vénit in hoſtiles, cæde cruenta, manùs.
Pax longam pugnam concors utrinque diremit:
Pax hominum ſtudijs commoda, grata Deo:
Cui comes alma fides, libertas plena pudoris:
Felices populos, qui meruére frui!
Regna decem luſtris poſt annos poſsidet octo:
Pace domi mânes contumulatus adit.

C RVDOL-

RVDOLPHVS II. ELECTOR SAXONIAE XI.



NEc pietate Patri, nec Marte, RVDOLPHE, ſecundus,
Tu potes & patriæ miles, & eſſe pater.
Francorum jungis Regi ſocia arma PHILIPPO:
Quando te bello, Rex EDOVARDE, petit.
Ductor eras belli numero præſtantior omni:
Pro meritis tibi Rex nomen equeſtre dedit.
Grande viæ precium, livenrem ſanguine Chriſti
Fers ſpinam: verum ſi modò fama canit.
Témpla redux ſacris inſignia condis in urbe
Leucoreâ, ſanctæ relligionis amans.
Biſſeptem regnas magnâ virtute per annos:
Saxoniæ Fratri morte relinquis opes.

VVENCES-

VVENCESLAVS ELECTOR SAXONIAE XII.



NEc tu carminibus noſtris indictus abibis,
VVENCESLAE, togæ militiæque decus.
Tu cultor ſuperûm, tu juris amator & æqui:
Tu ſanctæ cuſtos relligionis eras.
Te bona facundæ commendat gratia linguæ:
Iudicis unde boni nomina digna geris.
Brunſuigam haud dubitas in prælia poſcere MAGNVM:
Quem cruor & cædes bellaque ſemper habent.
Lunæburga tuæ fidei ſe dedit: opemque
Spondet, & imperio pâret ovatque tuo.
Sola tibi contra jus & fas Cella rebellat:
Quâ mortem, duro vulnere læſus, obis.

RVDOLPHVS III. ELECTOR SAXONIAE XIII.



TErtius Enſiferi Ducis auctus honore RVDOLPHVS,
Dux pius & prudens magnanimuſque fuit.
Sed fortuna, comes virtutis ſemper iniqua,
Haud fuit hunc dulci paſſa quiete frui.
Præſul tecta diu quem Parthenopæus in arma
Concitat: invadit dum ſua regna ferox.
Sed benè, quòd cives levat obſidione, fugatis
Hoſtibus. at Moeni dum redit urbe domum
Præſulis inſidâ capitur Dux optimus arte
Friſtariæ, Mogi qui ſedet urbe potens.
Orbato trious (heu!) natis priùs, invidus hoſtis
Crudeli miſcet toxica cæca manu.

ALBERTVS

ALBERTVS III. ELECTOR SAXONIAE XIIII.




VLtimus Aſcaniæ Princeps ALBERTVS habebat
Frater, Saxoniæ regna, RVDOLPHE, tuus:
Infelix animi Princeps, opis indigus, expers
Fraudis, & ingenuâ ſimplicitate bonus.
Laſſus venandi ſtudio, cum conjuge chara
Dum ſubit agreſtem nocte madente caſam:
Exoritur ſubitus magnis fervoribus ignis:
E quo vix nudo corpore ſalvus abit.
Tertius hinc morbo languet moriturus inerti:
Vix ubi regnantem tertia vidit hyems.
Marchio Cæſarei vindex FRIDERICVS honoris,
Saxonicum regit hinc, Cæſare dante, ſolum.



Tertius Enſiferi Ducis auctus honore RVDOLPHVS,
Dux pius & prudens magnanimuſque fuit.
Sed fortuna, comes virtutis ſemper iniqua,
Haud fuit hunc dulci paſſa quiete frui.
Præſul tecta diu quem Parthenopæus in arma
Concitat: invadit dum ſua regna ferox.
Sed benè, quòd ciues levat obſidione, fugatis
Hoſtibus. at Mœni dum redit urbe domum
Præſulis infidâ capitur Dux optimus arte
Friſlariæ, Mogi qui ſedet urbe potens.
Orbato tribus (heu!) natis priùs, invidus hoſtis
Crudeli miſcet toxica cæca manu.

ALBERTVS

ALBERTVS III. ELECTOR SAXONIAE XIIII.



VLtimus Aſcaniæ Princeps ALBERTVS habebat
Frater, Saxóniæ regna, RVDOLPHE, tuus:
Infelix animi Princeps, opis indigus, expers
Fraudis, & ingenuâ ſimplicitate bonus.
Laſſus venandi ſtudio, cum conjuge chara
Dum ſubit agreſtem nocte madente caſam;
Exoritur ſubitus magnis fervoribus ignis:
E quo vix nudo corpore ſalvus abit.
Tertius hinc morbo languet moriturus inertiq;
Vix ubi regnantem tertia uidit hyems.
Marchio Cæſarei vindex FRIDERICVS honoris,
Saxonicum regit hinc, Cæſare dante, ſolum.



Militiæ FRIDERICVS amans, & Marte ſecundus,
Saxonici meruit nomen & arma Ducis.
Pruſsia pugnantem iuvenili robore vidit,
Pro patriâ, ſanctâ pro pietate Dei.
Sedavit varios Comitum ſine cæde tumultus
Francorum: rebus qui ſtuduere novis.
Marte rebellantes domuit feliçe Boemos:
Acceptæ cladis Brixia teſtis erit.
Quid? quod pace bonus Muſis facit ocia doctis:
Civibus & ſtatuit commoda jura ſuis.
Invidiam virtute Ducum ſuperavit & arte:
Cui fortuna comes ſemper amica fuit.

FRIDERICVS II. PLACIDVS ELECTOR SAXONIAE XVI.



INgenio placidus FRIDERICVS, & acer in armis
Filius, armigeri gaudet honore Ducis.
Bella movet Francis ultor, pro fratre Boemos
Perſequitur duro Marte, fugatque truces:
Sauromataſque domat, generoſi Cæſaris ultor:
Luſatios armis territat atque minis.
Mox cum fratre gerit GVILIELMO bella coactus
Pro Duce qui Brenni fervidus arma capit.
Dij tantum vetuêre nefas: qui pectore dirus
Hoſtis adit, ſubitò frater amicus abit.
Sexta fuit regni trigeſima bruma peracta:
Quando domi placidâ morte ſepultus obit.

ERNESTVS ELECTOR SA-ONIAE XVII.



Conjugio felix, opibuſque, & prole nepotum
ERNESTVS, pacis maximus auctor erat.
Amiſſum plagio primis cum Fratre ſub annis
Soſpitat ingentis provida cura Dei.
Signa Boemiacis victritia movit in oris:
Et ſua te voluit jura, Nariſce, ſequi.
Pannona Matthiam Caſimiro ſponte Polona
Conciliat-facti Sleſia teſtis erit.
Majeſtate gravis, cômis ſermone, benignus
Officio, caſtus mente, fideque pius.
Sacrificûm paſsim luxûs compeſcuit armis:
Mortuus in patriâ jam requieſcit humo.

FRIDERICVS


FRIDERICVS III. SAPIENS ELECTOR SAXONIAE XVIII. REX ROM. deſignatus.



PAcis eras cuſtos, pacis FRIDERICE ſequeſter:
Artis & ingenuæ cultor, & ore potens.
Sed pius inprimis, & relligionis amator:
Quæ Chriſti meritum ſpeque fideque colit.
Phœnices Syrioſque petis florentibus annis:
Et procul à patriâ trans mare curris humo.
Pannonijs Scythicos avertis finibus hoſtes:
In Venetos & cum Cæſare bella moves.
Arbiter imperij fruſtra moriente rogatus
Cæſare: te regno, CAROLE Quinte, legit.
Leucoreâ fundat præclara ſub urbe Lycea:
Primus & hic tumuli nobile marmor habet.

IOAN-

IOHANNES I. CONSTANS ELECTOR SAXONIAE XIX.



MAgna dedit magno magnum conſtantia nomen
IOANNI: virtus nec pietate minor:
Quam conſtans animi defendit robore magnis
Quum ſtetit ad vultus CAROLE Dive tuos.
Cæſaris auſpicijs, dum ſtrenua ſuſtinet ætas,
Militiæ gaudet præmia longa ſequi.
Mœnia Regalis propugnat fervidus Albæ:
Et domitis cogit cornibus ire Padum.
Cætera pacificus, motus compeſcit agreſtes:
Præſentem expertus ſemper adeſſe Deum.
Poſt fratrem, ſeptem Princeps fortiſsimus annis
Imperat, ingenio proximus, ut tumulo.

IOAN-

IOANNES FRIDERICVS MAGNANIMVS ELECTOR SAXONIAE XX.



QVem Patris & Patrui commendant nomina magna,
    Quas tibi Dux laudes IANFRIDERICE canam?
Princeps magnanimus, notæ pietatis alumnus,
    Aſſertor legum juſtitiæque ſacræ:
Pro patriá, Chriſti mortem pro laude paciſci
    Promptus eras: veri raptus amore Dei.
Adverſo vulnus fers captus & exul in ore:
    Invictá ſuperas mille pericla fide.
Non vis aut ferrum, non te ſors dura fatigat:
    Liberat hinc victor te reducemque facit.
Plena metûs amor eſt Chriſti res, plena periclis
    Pro quo qui patitur plurima, victor abit.

IOAN.

IOAN. FRIDERICVS II. IOAN. VVILHELMV ET IOAN. FRIDERICVS III. FRATRES

Duces Saxoniæ.



SAncta Ducum trias, & concordia mutua fratrum
Spirat in hac tabulâ non moritura brevi.
Sancta Dei pietas regnat ſub pectore ſancto,
Alma fides, verbi gratia dia ſacri.
Iuris & æquarum ſplendet reverentia legum:
Nec lateant artes ingeniumq; Ducum.
Multum noſtra ætas his ſe debere fatetur:
Quòd ſanctæ inſtaurant relligionis opus.
Exulibus præbent quòd docta Lycea Camœnis:
Qua Salana ſuos luſtrat amœna choros.
Semper honos nomenque Ducum laudesque manebunt:
Quæ venit e Muſis, neſcia fama mori.

HENRICVS

HENRICVS PIVS DVX SA-XONIAE.



PEctore quàm celſus Princeps, tàm moribus æquus,
Et pius, & veri ſimplicitate bonus.
Sponte Palæſtinas adoleſcens viſitat oras:
Suſtinet & ſanctæ mille pericla viæ.
Phryſia regna redux tenet hinc, ſic patre volente
ALBERTO: ſceptro regnat & enſe potens.
Friburgi tandem ſedem ſibi collocat arce:
Sorteque contentus vivit ovatque ſuâ.
Fratre ſed extincto cum prole paterna GEORGO
Poſsidet, & verbo cœlica regna beat:
Propugnatque fidem rectam conamine magno:
Principis inde PII nomen & omen habet.

D MAVRI-

MAVRITIVS MAGNVS ELECTOR SAXONIAE. XXI.



MIſſus in imperium [illegible] pauper[illegible]
MAVRICIVS, bello maximus atque toga:
Pannonium tyro [illegible] pugn[illegible]it ad Iſtrum:
Altera bis Gallis in[illegible]ulit arma ferox.
Brunſuigum ſedat, capto ductore, tumultum:
Caſtra dein ſequitur Cæſariana [illegible].
Parthenopen cogit ſub iuga: fugatque [illegible]nes,
Liberat hoſtili Saxona regna metu.
Cæſare pacato dum Pannonia bella refractat:
Subſidio patriæ cogitur ire [illegible]
Victor obit victo (dolor!) ictus ab hoſte: ſed expers
Funeris, immenſo vivit in orbe decus.

AVGV-

AVGVSTVS PIVS ELECTOR SAXONIAE XXII.



IMperii ſacri Septemvir, & inclytus heros,
Cæſaris AVGVSTI nomen & omen habet.
Mente pius, pietate gravis, gravitate verendus:
Conſilio prudens, iuſtitiaque potens.
Cæſarei vindex decoris cum fratre triumphat:
Signa per Atrebates bellica quando movet.
Armorum patriam formidine ſolvit: & altæ
Expugnat victor Martia caſtra Gothæ.
Iam fora, templa, ſcholas augens, & pace ſerenans
Auguſtâ, populis iura dat æqua ſuis.
Augeat AVGVSTO regnum Deus, augeat annos:
Floreat æternis aucta propago bonis.

CHRISTIANVS I. ELECTOR, SA-
XONIAE XXIII.



PAce potens belloque, ſui flos inclytus ævi,
CHRISTIANVS Princeps Saxonis ille domûs:
Imperij ſacri columen ſimul & decus: heros
Mente vigil, fortis pectore, corde catus:
Fervidus ingenio, cōmis ſermone, ſeverus
Vultu, re conſtans, ſenſibus innocuus.
Iuſtitiæ cultor, rigidi ſervator honeſti:
Et faſtûs oſor, fraudis & hoſtis atrox.
Bis ſex vix luſtris, & denis menſibus actis
Occidit (heu!) gentis fida columna ſuæ.
Magnus ALEXANDER ſic, hujus & æmulus alter
MAVRITIVS patruus concidit ante diem.

FRIDE-

FRIDERICVS VVILHELMVS DVX SAXO-NIAE ET PROELECTOR.



QVam benè Saxonicæ Curator maximus oræ,
Atque Ducum Tutor diceris ipſe trium, (voluntas
Summe Ducum Dux ô FRIDERICHVVILHELME!
CHRISTIANI Patris hoc nempe ſuprema rogat:
Præcipit hoc ipſum quoque lex agnatica: ſacri
Aurea & Imperij ſanctio certa jubet.
Suadet at inprimis pietas & cura nepotum,
Et tua, jam patriæ cognita, magna fides.
Per te ſancta Fides & Virtus creſcit: alumnis
Principibus comes & gaudet adeſſe tuis.
Publica res per te geritur benè numine diuûm
Pax, & tuta Quies floret, & alma Salus.

 CHRISTI-

CHRISTIANVS II. IOAN. GEORGIVS ET AVGVSTVS, DVCES SAXONIAE fratres.



QVæ Trias hæc? Fratrum. Sed quorum? Saxonis ora
Quos ſibi prognatos numinis inſtar amat.
Quod nomen? Medius CHRISTIANVS: at iſte GEORG-
IANVS: & AVGVSTVS tertius ille ſedet.
Quis Pater? Imperii CHRISTIANVS nomine Princeps
Septemvir. Mater quæ? SOPHIA alma parens:
Magnus cui pater eſt Elector Marchidos oræ:
Principibus natis, Principe digna patre.
Quod ſtudium? Pietas, virtus, doctrina, fidesque
Qua ſpe? Floreat ut publica rite ſalus.
Quo duce? Magnam imo ſit Principe tale magiſtro,
Qui patriæ pius eſt tutor & ipſe pater.
Salveat ô fratrum Trias hæc veneranda potentum
Perpetuis ſemper floreat aucta bonis.

IOANNES DVX SA-
XONIAE.



HOc caput, hæc frons eſt, hæc labra, hæc lumina tandẽ,
Hoc pectus magni denique corque Ducis.
Scin' nomen? nomen dat Gratia dia IOANNI:
Saxonicæ Dux eſt fida columna domus.
Dulce caput, proba frons, labra mellea, lumina blanda,
Pectus & eſt ſapiens, corque fidele Ducis.
Vnus habet divûm tot dotes corpore pulchro:
Gaudet in hoc ſedem quisq; tenere ſuam.

IOHANNES CASIMIRVS DVX SAXONIAE.



PRincipis hâc ſpirat facies animata tabellâ:
Artificis ſcitâ tam benè picta manu.
Cui formoſa Charis ſine nube ſerenat ocellos:
Cui Peitho roſeis ſeſſitat alma labris.
Cui cerebrum complet ſapientia magna Minervæ:
Cui Pietas medio pectore tota ſedet.
Denique hic eſt toto Dux IANCASIMIRVS in orbe,
Notus juſtitiâ, relligione, fide.

IOANNES ERNESTVS DVX SAXONIAE.



QVæ colitur violis pictura roſisque decoris,
Cernis ut heroo ſervet in ore decus!
Saxonis illa Ducis IANERNESTI exſtat imago:
Oſcula cui figit Muſa Charisque frequens.
Certatim dat turba Duci ſua munera divûm:
Hermes eloquium: Phœbus & ingenium.
Mars enſem: Cytheræa decorem: Pallas & artes:
Iuno dat ſceptrum: Iuppiter ipſe togam.
Poſſe loqui dicas ſuperûm tot dona tabellam:
Scilicet hac toto par nihil orbe manet.



IN RVTAM INSIGNE INCLYTÆ DOMVS SAXONICAE.

SErpentes catosque fugat, prohibetque venena
    Ruta virens, oculis certa medela malis.
Fœda Venus quos vexat adulandique libido,
    Cordati procul hos Principis aula fugat.
Peſtis enim regni ſunt magna, venenaque certa;
    Quæ prohibent oculos cernere vera Ducum.
Adſit Ruta virens, heroum nata coronis:
    Splendida Saxonicæ quæ decet arma domûs.
Caſtus amor, verumque potens, & candor in aulâ,
    Simplicitas prudens regnet, & alma fides.
Scilicet hæc olim caſti BERNARDVS amoris
    Symbola Septemvir cenſuit eſſe ſui:
Vrbe redux Venetâ, quum Saxona regna capeſſens,
    Mutavit clypeos gentis & arma ſuæ.
Salve Ruta potens longum frondoſa per ævum:
    Imploretque tuam veſper & ortus opem.

FINIS.

GENEALOGIA
Sive
ENVCLEATIO INCLYTI
STEMMATIS
VVITICHINDEI, AB IMA RADICE CVM SVIS PVLLVLIS, STIRPIBVSQ; ET RAMIS

luculentè deducti,

IMPP REGVM, PRINCIPVM EX ILLVSTRI PROSAPIA VVITICHINDI oriundorum, ac inprimis ELECTORVM ET DVCVM SAXONIAE originem generationis, & propagationem ſobolemq; eiusdem propemodum infinitam continens.

Acceſſit

STEMMATOGRAPHIA ILLVSTRISSIMORVM Saxoniæ Principum, ad XXXII. Tritavos, totidemq; Tritavias deducta, & inſtar arborum deſcripta

Auctore

ELIA REVSNERO LEORINO, MED. Lic, Hiſtoriarum & Poëſeos in Academia Salana Profeſſore Pub.

Cum eorundem Symbolis & Anagrammatis.

IENÆ
TYPIS TOBIÆ STEINMANNI
Anno cIↄ. Iↄ. XCVII.

ZYN DEN.

ILLVSTRISS. ET ANTIQVISS.

PROSAPIÆ SAXONICÆ

TOT

IMPP. REGVM, PRINCIPVM
PROCREATRICIS, ALTRICIS,
AVCTRICIS

SVMMAE INDOLIS AC VIRTVTIS PRINCIPVM

GERMAN. IVVENTVTIS
SVPERSTITIB.

MAIORVM LAVDATISSIMOR.
NOBILI SALVBRIQ.
AEMVLATIONE

TAM MARTE, QVAM ARTE
TAM SAGO, QVAM TOGA

Maximè verò

PIETATEM ET IVSTITIAM
COLENDO
LITERIS BONISQ. ARTIB.
IMPENSE FAVENDO

AD VERVM
NON SIMVLATAE, SED ILLVSTRIS
FAMAE DECVS
ASPIRANTIB.

PERPET. MEMOR. OBSERVANT.Q.

MON.

D. D. D.

MELOS

AD SERENISSIMOS CELSISSIMOSQVE PRINCIPES SAXONIÆ.

O Divis Proceres Regibus editi,
O & columnæ Teutonici Imperî
Firmiſsimæ, jam jamque celſi
Sidera celſa poli futuri:
Toto namque DEO pectore dediti,
Vos vindicatis cœlica dogmata:
Eccleſiarum vos patroni,
Portus & Aonidum fideles:
Vos Patres Patriæ, publicitus datæ
Tranquillitati conſulitis benè:
Prudentiâ vos, ſanctitate,
Iuſtitiaque, togaque magni.
Laudes eximias (credite) ſuſpicit
Veſtrasque avitasque Ortus & Occidens.
Quæ digna vatum doctiorum
Carmine penna politiori
Has condet; repetens prima ab origine
Mores, labores, prælia Martia,
Fata, atque honores, quîs vetuſtæ
Hiſtoriæ ſuperant refertæ?
O ſi Caſtaliæ porrigeret mihi
Apollo dexter pocula plena aquæ;
Acumen augeret Minerva;
Venam alerent faciles Camœnæ;
Et mellita ſuæ flumine Suada me
Linguæ bearet: quàm ſolium & ſolum
Laudum paratus ritè veſtrûm
Ingrederer; generisque veſtri
Virtutes canerem, regnaque! Nam graves
Matris dolores, blandulaque oſcula,

Genæque morſum prædicarem,
Grande pij monumentum amoris.
Mox verò memorarem ordine fortia
Sex FRIDERICORVM actaque factaque:
FORTIS triumphos & pericla
Mille;animum GRAVIS inde magnum,
Spretumque Imperium;duraque prælia,
Et arma in hoſtes ſtrenua STRENVI;
Et bellicoſa BELLICOSI:
Quis meruêre decus perenne
Sacrati Enſiferi: tum PLACIDI quoque
Placabilem mentem; hinc SAPIENTIS &
Prudentiam mirarer altam,
Docta theatra pijs Camœnis
Qui ſtruxit,ſimul & ſaluificum thymum
Verbi reduxit. Tu mihi ter quater,
Dux magne,ſalue: ſolvit ecce
Relligio tibi ſempiternas
Grates. Te quoque non, maxime ô Armiger
ERNESTE; nec te,IANE pijſsime,
Qui gloriâ pro CHRISTI, proque iure
Saluificæ fidei aſſerendo,
Non diſcrimina, non es veritus minas,
Iam præterirem. Tu quoque tu mihi
Cantandus eſſes ante multos,
IAN FRIDERICE, tuumque vulnus:
En! quàm ſuave rubet! conſpicor, oſculor:
Pro lege ſancta, pro grege ſanguinem
Tuum paratus morte læta
Fundere, martyrij tuliſti
Palmam: tu quoque tu Palladij ſacris
Strûxti Camœnis tecta ſalubria:
Auxere quæ ſervantque nati
Tergemini, atque pij nepotes.
Parte hinc ex alia ſtrenua Teutonis
Virtus ROLANDI, qui MANVS IMPERI
DEXTRA audijt, fuitque multis
Nomine terribilis,canenda:
Et Nati pietas: relligionis &
Pax ſancta, magni MAVRICII Ducis
Armis ſecundis reſtituta;
Fratris at aucta fide & labore,

AVGV-

AVGVSTI ſtabili. Denique vos quoque
Plenis honorum muneribus, Duces,
Veſtraſque virtutes in ævum
Per titulos memoreſque faſtos
Æternarem ego. Sed dicere grandia,
Laudeſque veſtras deterere ingenî
Culpâ, pudor, lyræque noſtræ
Muſa potens vetat imbecillis.
Scribant Mæonij carminis alite
Hæc doctiores; Gorgonis ebria
Quorum eſt fluentis Muſa, venam &
Quîs Polyhymnia alit canora.
Mî nunc ſufficiat lineolis modò
Primis adumbraſſe hîc VVITICHINDEVM
Cum Stirpibus Ramiſque STEMMA;
Et leviter ſimul attigiſſe
Virtutes patrias. Nempe & imaginum
Antiquiorum gloria recreat
Illuſtris olim: ſuntque calcar
Ad generoſam imitationem.
Eja ergo, Proceres ô Patriæ Patres,
Et gentis ingens gloria Teutonæ,
Has nunc ſerena fronte Muſas
Sumite, ſint licet impolitæ.
Sic vos incolumes dîa Trias regat:
Sic vos periclis præſtet ab omnibus
Salvos: Salus ſic ſoſpitet vos,
Innumeriſque bonis perennet.

Ienæ IX. Kal. Sept.
cIↄ. Iↄ. XCVII.

Illuſtriſſ. Celſit. VV.

Subiectiſſ.

ELIAS REVSNERVS Leorinus.

AD CLARISS. VIRVM

D. ELIAM REVSNERVM
MED. LICENT. HISTORIARVM ET POESEOS IN ILLV-STRI SALANA PROFESSOREM,

De ſuis & Fratris quibusdam operibus Hiſtoricis, Poëticis, & Genealogicis

Hexametrum

BERNHARDI PRAETORII I. C. P. L.

QVas grates, REVSNERE, tibi? quæ præmia fratri
Magnifico reddant vaſti capita inclyta mundi,
Heroës, divûm ſanguen; Comitesque, Ducesque,
Marchiones, Reges, trabeatus Cæſar; & omnes,
Effigies quorum laurusque hederaque ſequaces
Lambunt; & veteres exornant atria ceræ?
Mortales immortali vos munere cunctos
Nempe coronatis, calami virtute potentis;
Non modò præſentes queis tempeſtate fruiſci
Contigit ætherei vitalis luminis uſu:
Sed quoque millenos retrò queis ante Decembreis
Vita fuit, poſtliminio vos redditis ævo:
Quæque vetuſtatis ſquallore ſituque profunda
Penè interciderant penitus, revocatis ab Orco,
Stemmata nobilium, memorabiliumque virorum:
Et nunc illorum præluſtria facta canentes,
Texitis heroum jucundo emblemate filum:
Atque ita primævi claros ab origine ſecli
Perpetuo ad noſtros verſu deducitis annos.
Nomina nunc, paucis quod fas, Anagrammate multa
Solvitis arguto: & ſteriles quæ pluribus olim
Viſa ſeges, cui nec falcem ſummittere poſſent:
Quippe manum nullo impleturi mergite: plena
Convehitis largam vos ad granaria meſſem.
Nunc minio æterno & res & nomina faſtis
Inſeritis; miro, quod Momus & ipſe fatetur,
Et ſtudio, & pulcro grata brevitate nitore.
Nunc aliis patrum ſeriem, memorare vel ipſi
Quam nequeunt, facili connexam rite catena
Arborum, in lucem profertis: Progeniemque
Sic de progenie, gentem de gente, domosque
De domibus Longo deducitis ordine priſcis.

Extremò

Extremè ingrati ni ſint, pro talibus auſis,
Munere pro tali grates & præmia ſumma,
Et vobis debent, & certo tempore reddent.
At ſi forte aliqui nullo ſe nomine gratos
Oſtendant: (varia eſt etenim natura potentum)
His Martis ſiquidem plus eſt quàm deditus artis:
e Cerebrigena longè fert Cyprigenam ante:
lic Pluti potius, Charitum quàm nomen adorat:
magis nemorum ſequitur quàm numen honorum,
i centum Phœbis Faunum vel præſtinat unum:
Hic nugis gaudet, nebulisque in pariete pictis:
e Deo ventri plenâ prælibat acerrâ,
Quam Dijs laurigeris minimo vel ture litaret:
Ipſa tamen virtus ſibimet pulcerrima merces,
Vix illis terram caudâ verrentibus imam,
Atque ægrè famam, vitamque trahentibus ægrè;
Stelligeris exin vos inſeret orbibus: unde
Semper veſter honos, & nomina veſtra vigeſcent.

Bononiæ, ſub ipſum Sirii exortum, Anno ∞ Iↄ xcvi,

ΚΑΤΑΓ

ΚΑΤΑΓΡΑΦΗ

STEMMATIS VVITICHINDEI.

Stemmatis Vvitichindei Radix vetuſtiſſimi Reges Saxoniæ Hinc enati

- **Pulluli IV.**
  - Regum
    - Cantiorum pag. 5.
    - Northumbriæ pag 7.
    - Orichtalium Anglorum p. 9.
  - Guelphorum, Comitum Altorfenſium & Ravensbergenſium, à quibus inferioris Bavariæ Duces orti. p. 10.
- **Stirpes VI.**
  - I. Saxonica p. 12. à qua quinq; Imp. Rom. orti: cuius Ramus duplex
    - Ducum Bavariæ, & Marchionum Saxoniæ p. 19.
    - Ducum Sueviæ & Carinthiæ. p. 23.
  - II. Vvethinensis Marchionum Miſniæ, Landgraviorum Turingiæ p. 25. cuius Rami
    - Frondoſus bifurcus, Electorum & Ducum Saxoniæ p. 42. & 47.
    - Aridi:
      - Marchionum
        - Miſniæ veterum p. 51.
        - Brandeburgi veterum p. 53.
        - Luſatiæ p. 26. & 54.
      - Palatinorum Saxoniæ p. 55.
      - Comitũ
        - Brenæ p. 27. & 30.
        - Rochlicij p. 29.
        - VVethini p. 30.
  - III. Capetina Regũ Galliæ p. 56. cuius Rami
    - Semifrondoſus Borboniorum quadrifidus:
      - Ducum Borbonij veterum p. 75.
      - Comitum Claromontiorum p. 77.
      - Comitum & Ducum Vendomiorum, ad quos hodie Galliæ & Navarræ regna pervenerunt p. 78.
      - Ducum Mompenſeriorum p. 81.
    - Aridi,
      - Ducum Burgundiæ
        - Veterum p. 82.
        - Recentiorum p. 104.
      - Comitum Monfortiorum p. 85.
      - Comitum Veromanduorum p. 59.
      - Cortenai Dominorum p. 86.
      - Comitum [illegible]dorenſium, Impp. Byzantinorum p. 87.
      - Comitum Druidenſium p. 88.
      - Principum Britanniæ p. 90.
      - Comitum Arteſiæ p. 93.
      - Regum Neapolis & Siciliæ p. 94. à quibus orti
        - Reges aliquot Vngariæ & Poloniæ.
        - Principes Tarentini & Dyrrachij.
      - Comitum Eboracenſium, ad quos olim Navarræ quoque regnum pervenit. p. 100.
      - Comitum Alenconij p. 101.
      - Ducum Andegavenſium p. 102.
      - Comitum Nivernenſium p. 107.
  - IV. Ringelheimia Comitum Oldemburgiorum p. 108. cuius Ramus nobiliſſimus Regum Daniae & Norvegiæ, Ducum Slesvigæ & Holſatiæ p. 115.
  - V. Montisferratensis, p. 122. à qua deſcendunt Marchiones
    - Saluzzi.
    - Finatij.
  - VI. Allobrogica Principum Sabaudiæ p. 126.

STEMMATIS VVITICHINDEI RADIX.

REGES ET DVCES SAXONIAE ANTIQVISSIMI.

ARTARICHVS ſiue ARTARIVS Rex Saxonum, Caſſandri Sicambrorum & Hammeri Turingorum regum auxiliis, Gothorum Regi Berobiſto ſeu Borbiſtæ, in Saxones irrumpenti, fortiter reſtitiſſe legitur circa A. M. 3891. qui eſt XXC. ante natum Emanuelem.

ANSONARICVS ſiue ANSENRICHVS Dux Saxonum, patris auique à Belgis cæſorum vlturus necem; Leonem Belgarum Ducem, acie victum, interemit: & Godefridum illius fratrem, pugnam redintegrantem, fudit, magnaque clade affecit: omnemq; regionem inter Rhenum & Scaldim tributariam ſibi fecit.

Floruit ea tempeſtate ARIOVISTVS Dux Cheruſcorum, à C. Iulio Caſare victus A. V. 695. qui eſt LVII. annus ante natum Chriſtum. Eiusdem queq; Anſonarici atate accidit Romanorum clades Lolliana: qua M. Lollius à Romanis contra Saxones & Turingos cum exercitu miſſus, à Germanis victus fugatusq; eſt A. V. 735.

VVILLICVS ſiue VVILLICHIVS Princeps Saxonum, σύγχρονος Harminij Cheruſci, Romanorum clade Variana nobilitati A. C. 10. regnauit annos XXIV. Obiit A.C. 30.

SVERTINGVS ſiue SVARTICVS Saxonum Dux, eam rexit Saxoniæ oram, quæ eſt inter Daniam & Albim. Danorum iugum, ſub Frothone Rege impubere adhuc, fratris auxilio excuſsiſſe; ipſoque Rege poſtmodùm ad conuiuium inuitato, triclinium incendiſſe; & ſemet vnà cum ipſo flammis abſumendum dediſſe legitur. *Hoc regnante, Hama Saxo monomachia cum Starcatero Dano decertans, cecidit circa A. C. 76.*

HANFVS cis Albim ad Hanoueram, cui nomen dediſſe exiſtimatur, imperauit: & cum Fridleuo Dania Rege, fraternis auxiliis adiutus, vario Marte decertauit. A Danis tandem interemtus A. C. 76.

SVERTINGVS ſiue SVARTISCVS Iunior, Dux Saxoniæ.

N. vxor Ingelli Regis Daniæ.

N. ab Ingello ſororio, Frothonis Daniæ Regis filio, inſtinctu Starcateri cyclopis occiſus.

B SIGVVAR-

SIGVVARDVS ſiue SIVARVS Dux Saxonum nobiliſsimus, potitus nuptiis GERITHÆ hæredis regni Daniæ (fuit hæc Alfi Gothorũ Regis F. Sigari N. Siualdi Pron. Vnguini, cui Haldanus III. Daniæ Rex moriens regnum teſtamento legaſſe traditur, Abn.) in ipſa nuptiarum ſolennitate ab Haldano Danico nobili, cui puella hæc priùs deſponſata fuerat, perimitur circa A.C. 90.

VVILKIVS Princeps Angriæ.

VVITICHINDVS Rex Saxonum, Richimeri Francorum Regis & Turingorum ſuppetiis, 20000. Gothorum deleuit, Saxoniaque expulit, A.C. 99. *Sub hoc A.C. 106. Germani, Franci, Saxones, Turingi, colonias in Marchiam Brandeburgenſem contra impetus Orientalium duxerunt.*

VVILCHINVS Dux Saxonum claruit A.C. 150: *ſub cuius principatu, Saxonum pars reliqua vnà cum Alanis in Germaniam veniſſe exiſtimatur.*

MEROBAVDES ſeu MARBODVS Rex Saxonum poſtremis vitæ annis electus, ſub Valeriano Imp.

BODO Rex Saxonum, vir prudens & bellicoſus, domi foriſque Princeps ſalutaris à quo multi diuerſorum locorum Reges ſuam deriuant originem: claruit circa A.C. 260. Inſignibus vſus eſt huiusmodi. In inferiori parte gerebat rubeos in campo albo orbes, quos triplex cythiſus ſuperintegebat: in ſuperiore Leonem rutilum aurato vmbone, & colubrum volitantẽ crocei coloris.

LVTHERVS Dux Saxonum, Artharij Franci auxilijs Rheno ſuperato, in Gallias tranſijt: & Hiſpaniam quoq; depopulatus, vrbem Tarraconenſem ſolo æquauit A. C. 285.

VECHTA ſiue VVICHTA Rex Saxonum, floruit circa A.C. 300: arces & vrbes condidit plurimas: quas bonis & honeſtis firmauit legibus. Princeps pacis amantiſsimus, & erga quoſuis facilis ac humanus.

VVITTA, qui & VVITICHIVS Rex Saxonum, Princeps cùm ſapiens, tùm bellicoſus: floruit circa A. C. 350. *Hoc regnante, Saxones, gens adhuc barbara, pyraticam exercentes, à Theodoſio Imp. magna clade ſunt repreſsi: quos tamen idem paulo pòſt virtute ſua ſiua ſibi adiunxit: vt illorum opera & ope contra hoſtes Imperij ſæpenumerò vteretur.*

VVITIGISLVS Dux Angriæ poſt patris mortem A. C. 400. regiam apud Saxones accepit dignitatem: Gothiſque & Rhadagaiſo Scythę, ſanguinem Romanum ſitienti, optata quidem, non tamen auſpicata tulit auxilia. *Sub huius quoque regimine Saxones nouam in Gallias irruptionem facientes, à Clodio Pharamundi filio, vnà cum ſocijs Turingis ſunt ſubacti.*

HENGIS-

HENGISTVS Dux Saxoniæ, heros animo, corpore, & armis magnus: cùm magna prudentia Angliam gubernaret: à Vortigerio Britanno, Scotorum & Pictorum armis preſſo, è Germania euocatus A. C. 449. re benè feliciterque geſta, in præmium na... operæ, Regis permiſſu ſedes ſuas fixit Cantij. ...ſim inde maioribus è patria viribus auctus: im...o inhians, nobilitatem Britannicam ex inſidiis ...cidauit: generum Regem in extremam VValliam relegauit. inſulæ imperium occupauit. Nouiſsimè ab Aur. Ambroſio Britannorum Rege, cruento prælio victus, lanceaque confoſſus A. C. 474. Ab eo Angliæ nomen inditum, quaſi Hengiſtilandiam, volunt: niſi placeat magis ab ANGILA e us filiâ.

HORSA ſiue HORSTVS Dux Angriæ, fratrem in Britanniam comitatus; cecidit in bello, quod Aur. Ambroſius Romanus geſsit pro libertate Britannorũ contra Saxones. Sepultus in Orientali Cantia, & monumento magnifico honoratus.

OSCVS ſiue OTTICVS, propagauit Reges in Cantia. Vide ſignum I. fol.

HEBVSVS conditor ſtirpis Regum Northanumbricorum. Vide II. fol. 7.

HATVGASTVS ſiue HATVIGATVS Dux Saxonum in bello Turingico circa A. C. 524. cum Erenfrido commiſſo: quo miſerabi...calu Turingis deletis, & Erinfrido paulò poſt ſuorum inſidiis inter...o; Saxones Turingiæ partem à Lothario Franciæ Rege acceperunt. *...dam falsò fortaſſe filium eum faciunt Odoacri ſiue Hadvakeri Heruli, qui ante ipſum ...axonicas rexit A. C. 480. ſub Childerico Francorum Rege. Hic autem ille eſt, qui Normannorum & Cenomanorum littora armis infeſtauit: Andegauum occupauit: Alemanos ſub...auit: cum maximis exinde copiis Italiam ingreſſus, Auguſtulo deiecto, in exilium ...ſua eam poteſtati ſubiecit: ſeque Italiæ Regem primus nominauit: qui ad extremum à Theodorico Oſtgothorum Rege per triennium oppugnatus; ſeptimo poſt pacis pactionem die Rauennæ in Palatio immiſsis ſicariis eſt occiſus 5. Mart. A. C. 493.*

ANGILA, Polydoro ROXIENA, fœmina aſtuta, uxor Vortigerni Regis Britanniæ.

CHILDERICVS ſiue HVLDERICVS Dux Saxonum, interfectus ab Arthuro Britannorum Rege circa A. C. 540.

BODICVS Dux Saxonum. *Sub hoc Principe, Saxonum magna manus, duce Theodoberto Auſtraſio, Burgundionum & Mediomatricum Rege, in Italiam profecta eſt A. C. 548: vnde poſt annum XXIV. cùm Longobardorum iniurias ferre amplius non poſſent; cum Danis & Turingis recto itinere per Alpes in Franciam contendentes, ad patrios remearunt Lares, armis ſibi viam aperientes.*

BERTHOLDVS Rex Saxonum, bello Francico contra Dagobertum, quo Regis filium ſauciaverat, occubuit A. C. 633. *Regis ipſius manu interfectus. Poſt hanc pugnam graue Saxonibus iugum eſt impoſitum: iisq; , ne rebellarent, adempta arma, machina, equi.*

SIGHARDVS Dux Angriuariorum in VVeſtphalia, in regno militari patris ſucceſſor A.C. 633. Henetos Turingiam infeſtantes, internecione deleuit: aduerſus Francos popularium ſuorum libertatem fortiſsime defendit: poſt multa tandem aduerſus Dagobertum Regem feliciter geſta prælia, in frequentibus in regni Francici prouincias velitationibus victus, caſtrisque exutus. Obiit A.C. 691. regni ſui LIIX. octogenarius. Vxor IVLANDA Goſuini Obetritorum Regis F.

THEODORICHVS ſiue DIETERICVS Dux Angriuariæ, paternis inſiſtens veſtigiis, ſimiliter cum regia dignitate Saxonibus in bellis contra Francos (723. 727. 740.) eorumque ducem Carolum Martellum præfuit: diſsimili tamen fortuna: vtpote multis maximisque ab illo cladibus affectus. Obiit mœrore, accepta clade ad Lippiam fluuium A.C. 740. Vxor DOBRA ſiue DOBROGEVA Billingij Obetritarum Regis F.

SIGEVALDVS ſiue SIBOLDVS, Dynaſta Engerorum, fratrem morte præuenit.

EDELHARDVS Angriæ, Oſnaburgæ & Iburgi Dux, Rex Saxonum poſt plurima & grauiſsima regno Francico illata damna. Quinquies enim cum Francis eſt congreſſus 743. 744. 747. 751. 757. ad extremum à Pipino in prælio vulneratus, triduo poſt expirauit A.C. 757. Vxor HEILA Radbodi R. Friſiorum filia.

ALBION Dynaſta Engerorum, aduerſus Carolum M. aliquot in prælio ad Buchenum feliciter bellum geſſit: à Carolo Magno caſus A. C. 779. ab eo Palatinum Saxoniæ & Dynaſta Nordalbingorum eſt conſtitutum A.C. 785.

HERMANNVS Dynaſta Angriæ ... Bucholzium ... geranit Saxonum ... deum ...

WERNECHINVS Dynaſta Angriæ, Princeps Rugiæ & Iburgi: heros fuit pacificus: ad regiũ nomen non aſpirauit: & à bellis omnino abſtinuit. Obiit A. C. 768. Vxor CHVNHYLDA ſeu GVNDELINDIS Princeps Rugiæ.

HILTEGARDIS vxor Hermanni Comitis Aſcaniæ & Ballenſteti.

BERTHOLDVS Dynaſta Angriæ, pertinaciſsimus per ſtudio Chriſtianæ religionis aduerſarius: à Carolo M. ad Buchholzium victus, & nouos in patriam mala attraheret, à ſuis eſt trucidatus A. C. 779 ætat. 84.

DIETERICVS à Carolomanno captus, & in Galliam captiuus abductus A. C. 744. ... liber dimiſſus, cùm in data fide non perſiſteret, denuò captus carceri perpetuo eſt mancipatus.

ASKINVS Dux Veſtfaliæ à Carolo Magno conſtitutus A.C. 775.

VVITICHINDVS Magnus, Rex Saxonum, Dux Angariæ, Princeps Rugiæ, & Dynaſta Iburgi: conditor nobiliſsimi huius ſtemmatis. Vide Pag. 12.

BRVNO Angriuariorum Regulus: *à quo Duces Saxoniæ, proauos Othonum Impp. deriuant Spalatinus, Lazius, Cruſius, & Fabricius. Petrus Albinus & Henningeſ hinc deducunt GVELPHORVM familiã, Comites Altorfenſes & Rauensbergenſes: de quibus vide IV. Pag. 10.*

HASALA vxor Arberonis IV. Dynaſtæ Aſcanij & Ballenſtedij.

PVLLVLI

PVLLVLI EX RADICE STEMMATIS VVITICHINDEI enati.

I.

REGVM CANTIORVM.

OSCVS ſiue OTTICVS Hengiſti F. Rex Cantiorum alter, eo prælio, quo pater periit, cum fratre vix elapſus: Vtero Britannorum Regi deuicto, eam rurſus Britanniæ partem extorſit, quæ Germanico alluitur Oceano. Paternam hinc necem bello vindicaturus, ipſe quoque cecidit A. C. 492. Ab ipſo poſteri in regno Cantiorum OSCINGI nuncupati ſunt.

OTTICVS II. aliis OCTVS, Cantiorum Rex tertius, vir bellicoſiſsimus: Londinum occupauit: Pictos & Scotos debellauit: cum Britannis vario Marte, diuerſo exitu, decertauit. Victus tandem, cum duce ſuo Cola decennium detentus eſt in cuſtodia: è qua elapſus, nouis è Saxonia copiis euocatis, cùm violentiùs ageret omnia, denuò victus & interfectus eſt.

ERMERICVS, aliis HERMANRICVS, aliis HIMERICVS & IRMERICVS, poſt cædem Arthuri reuerſus, Conſtantino Britannorum Rege expulſo, Cantiorum regnum recepit. Obiit circa A. C. 569.

EDILBERTVS ſiue ETHELBERTVS quintus ab Hengiſto Cantiorum Rex, vir bellicæ rei peritiſsimus: poſt partũ foris orium, quietis minimè patiens; primus omnium ciuile aduerſus nationis ſuæ regulos geſsit bellum: & Cadovalladro Rege Britannorum poſtremo exulante; regnum ſuum corroborauit: & ad Vmbrum fluuium vſque, qui Meridionales & Septentrionales Anglos diſterminat, extendit. Primus idem Anglorum, ductu vxoris BERTHAE ſiue ALDIBERTAE, nobilis Francæ, gentili numinum cultu exploſo, Chriſto nomen dedit A.C. 596. Obiit A. C. 616. regni LVI. Cantij in æde Apoſtolorum ſepultus.

RICOLA coniux Diſulphi Regis Orientalium Saxonum, ſacro fonte lota cum filio, templa à ſuperſtitionibus ethnicis paſsim repurgauit.

EDBALDVS puer admodum in patris demortui locum Rex ſuffectus: vbi ex ephebis exceſsit, ſalutaria parentis optimi oblitus monita, in omnis generis ſceleribus ſe volutauit & exercuit: nouercæ inceſtuoſo ſe connubio polluens: Chriſtianam fidem abiurans, & ceu peſtem execratus. Poſtmodò tamen

EDELBERGA Abbatiſſa.

ETHELBERGA cogn. Tata, maritum ſuum Eduinum Northumbrorum Regem fide Chriſti imbuit.

tamen ad ſaniorem rediens mentem, turpi connubio protinus repudiato, aqua luſtrali tinctus, Chriſtianum dogma reſtaurauit: ſtudioſiſsimeque per omnem vitam fouit. Obiit A.C. 640. regni XXV.

ERCOMBERTVS ſeptimus à Cantiorũ regni exortu rei ſummæ adminiſtrator: vir cùm pietate in patriam, tùm religione erga Deum, patri auoque neutiquam inferior: ementitam ethnicorum deorum ſuperſtitionem prorſus exſtirpauit: & regnũ, quod annos XXV. pacatiſsimè tenuit, bonis legibus exornauit. Mortuus A.C. 666. 14. Iulij. Vxor SEEBVRGA Annæ Regis Orientalium Anglorum F.

Anonymus Princeps Cantij.

ETHELBERTVS ab Egberto patruele peremptus.

ETHELBRITTVS itidem ab Egberto patruele trucidatus.

EDRICVS decimus ab Hengiſto Cantiorũ Regum, ad vindicandam cædem paternam ardens, incidit in domeſticum bellum: quo à Cantianis armis petitus, lethaliter ſauciatus periit, regni vix biennio peracto.

EGBERTVS Cantiorũ Rex octauus, patrueles ſuos nefariè occidit: & præter hoc, nulla re alia nobilitatus. Obiit A.C. 675. menſe Iulio.

EARCONGATA monialis Brigæ in Francia.

HERMENILDA uxor VVulferi Regis Merciorum.

LOTHARIVS nonus Cantiorum Rex, ab Orientalibus Saxonibus in bello peremptus A.C. 685.

VITHREDVS, cùm apud ſuos inuidiam preſſiſſet induſtria, & hoſtes finitimos circumcirca ſibi reconciliaſſet: magna ſpe ciuium vndecimo loco Cantiorum regno eſt admotus. Vir ſpectatiſſimus, & pacis amantiſſimus: religionis cultor ſanctiſſimus: legum optimarum lator fideliſſimus. Obiit A.C. 725.

ERDRICVS bellum mouit patruo Lothario, auxiliis Orientalium Saxonum.

SVEBHARDVS.

EDBERTVS, ETHELBERTVS, ALRICVS, poſt patris mortem Cantianis feliciſſimè imperitarunt. *Quibus Reges degeneres ſuperuenere; ETHELBERTVS, CVTHREDVS, BALDREDVS, & ETHELVOLFVS, qui ab Egberto Occidentalium Saxonum Rege captus, finem regno Cantiano fecit, poſtquam per 363. annos ſtetiſſet.*

REGVM

I I.

REGVM NORTHVMBRIÆ.

EBVSVS Hengiſti Saxonis Cantiorum Regis F. cum Ottico fratre paternam vindicaturus necem, in bellis Britannicis periit A. C. 492.

IDA ſiue IDDA Rex Northumbrorum ad Septentrionem: vir acer & bellicoſus: vt regio nomine meritò ornatus haberetur, armis fines imperij à flumine Humbro ad fretum Scoticum vſque propagauit: Lotho Pictorum, & Contano Scotorum Regibus acie ſuperatis. Obiit A.C. 520. regni XII.

VVIFFA ſiue VFFA conditor ſtirpis regiæ apud Orientales Anglos. Vide ſignum III. Pag 9.

ADDAS ſiue CLAPPAS patris in Northumbrorum regno ſucceſſor: nulla re memorabili nobilitatus, ad poſteros id transmiſit.

THEODVLFVS Rex Northumbrorum ad Septentrionem tertius.

FREDVLFVS quartus Rex Anglorum Northumbricorum.

ETHELRICVS aliis EDELBERTVS quintus Northumbriæ Rex, ſummæ rei, vt & maiores ſui, præfuit ignobilis.

EDELFRIDVS ſextus Northumbriæ Rex, partim dominandi cupiditate, partim etiam diuturno odio irritatus arma in Britannos ſumſit: vrbemque Legionum oppugnare aggreſſus, hoſtes erumpentes, inſidiis exceptos fudit: Scotos quoque, Britannis ſuppetias ferentes, magna ſtrage fugauit. Ob Eduinum, Allæ ſiue Annæ Deiræ Regis F. exilio mulctatum (quippe quem propter egregias ſuas virtutes indies magis metuendum, quàm metuentem, cernebat) à Redoualdo Orientalium Anglorum Rege, cuius ille auxilium implorarat, bello laceſsitus; cum magna ſuorum manu oppetiit A. C. 616. Vxor EBBA Deiræ Regina. Liberi eius tres:

DITBALDVS in pugna fratris cum Edane Scotorum Rege, cũ omnibus ſuis occubuit A.C.603.

ELFERICVS rerum geſtarum gloria nulla nobilitatus.

OSRICVS in Scotia exul cum Eidfrido cognato, animum & ſtudium religioni veræ intendit: in patriam reuerſus, & à morte Eduini patruelis præter ſpem ad dignitatem regiam euectus, hoſtis Chriſtiani nominis factus: paulo poſt meritas apoſtaſiæ ſuæ luit pœnas: à Cedualdo Britanno cum omni exercitu, quem imprudenter inſtruxerat, interfectus.

OSVINVS Deiræ in Northumbria Rex, popularibus renuentibus bellum non neceſſarium excitans; ab Hunibaldo, quodam Bernicorum Comite, ad quem hoſpes confugerat, occiditur.

OSVINA vxor Oſuini Regis Northumbrorum.

1. *EDMVNDVS bello patris Scotico oppetiit A C.603.*
2. *EDVINVS regnum poſt patrem Redoualdi fauore adeptus: Anglis & Britannis glorioſè præfuit annos XVII: & inſulas aliquot Britannorum inter Irlandiam & Britanniam ſitas, Anglorum imperio ſubiugauit. Tandem à Cedualda, vltimo Britannorum Rege, ingenti ſuorum ſtrage ad Heiſeldam cæſus, occubuit A C 633. 12. Octob. ætatis ſuæ X L I I X. Vxores eius duæ: 1. CHOCVBVRGA ſiue QVOENBVRGA Cearli ſeu Caroli Merciorum Regis filia, quam exul duxit: 2. EDELBERGA Edelberti I Vitiorum in Cantia Regis F. à qua ad Chriſtianiſmum eſt perductus A.C.627.*

OTFRIDVS in patrio bello cum Cedoalda occiſus A.C.633 ... F. IS-VIO, patre HEDERICI, qui temporum iſtorum diſſidiis ad Britannorum Regem confugiens, tum in aula veneno periit. Ex vxore BRESGINDA genuit HILDAM Abbatiſſam doctiſſimam in cœnobiis Britanniæ & Galliæ per annos XXXIII. & HERESVIDAM matrem Adulfi Orientalium Saxonum Regis.

EIDFRIDVS ſiue EANFRIDVS in ſumma belli neceſſitate ad Pendam Merciorum Regem profugiens, ab eo ipſo quoque contra fidem datam occiditur.

EITFRIDA vxor Oſualdi Regis.
EDELFRIDA &
EDELMANVS primo infantiæ anno, à baptiſmo ſtatim extincti, & Eboraci ſepulti.
VVITFRIDVS obiit in exilio.

1. ATHA ſiue ACHA quatuor filiorum mater fuiſſe legitur.

EIDFRIDVS Rex Berniciæ in Northumbria poſt auunculi exceſſum: licet Chriſtianam amplexus eſſet religionem; à vitiis tamen, quorum multis maculatus fuit, breui eo peruerſus eſt, vt ad vomitum reuerſus, Chriſtianam religionem deſereret. Iuſto ergo Dei iudicio à Cedoualdo Britannorum Rege ceſus periit A.C.634.

OSVALDVS Berniciæ Rex, apud Scotos exul Chriſtiana religione imbutus: florem iuuentutis in bonis artibus ſtudioſè exercuit. A fratris interitu ad regnum conſtituendum animum aduertens: Cedoualdum Britannum armis quidem infirmis, ſed forti in Deum pectore aggreſſus: victū fuſumque cum totis fermè copiis ipſius peremit. In Pendam tandem Merciorum Regem profectus: barbarorum Inſidiis vndiquaque circumuentus, in campo Maſerfeldo inter impios fortiter prælians occubuit A.C.643.5. Aug. ætatis ſuæ XXIIX. Poſt mortem in Sanctorum album relatus. Vxor CHVNHYLDIS Chunhildi ſiue Cyngili Regis Saxonum Occidentalium F.

OSRICVS caſus in bello.

OSVINVS ob Oſualdi fratris mortem, cum Oſuino fratruele regnum partitus, Deiram obtinuit: à quo poſtea, hunc regno mouente, bello laceſſitus, amici cuiuſdam proditione periit A.C.651. 19. Auguſti.

OSVINVS cum patruo Oſuino regnum partitus, Berniciam accepit: cui deinceps, patruo ſublato, Deiram rurſus coniunxit. Vir ab initio ferox & bellicoſus: quippe qui Pendam Merciorum Regem primo impetu fugauit. Poſtmodò tamen ad ſaniorem conuerſus mentem, Deum religioſiſsimè cœpit colere: veniamque delictorum, inprimis verò parricidii, multis lacrymis obteſtari: de cunctis deniq; benè mereri. Præter cætera autem pietatis opera non poſtremum eſt, quod Merciis in deditionē acceptis, Chriſtianæ religionis ſuſcipiēdæ auctor fuerit. Obiit A.C.670.14 Feb. ætatis LIIX. Vxores eius duæ: 1. OSVINA Oſrichi Deirorum Regis F. ſterilis: 2. ENFLEDA ſiue EVFREDA Eduini VVitorum Regis F.

EBBA Abbatiſſa Col. dingenſis.

EDELBALDVS regni cupiditate flagrans, fratri ſuo ſummi eſt aduerſatus.

OSVALDVS II. adoleſcens temerarius, contra patriam & patruum arma induens impia: Merciis ſeſe iunxit militauit. caſus A.C.657. 28. Nov.

EGFREDVS hæres regni paterni, nomen ſe per omnia bonum Reique publicæ ſeruatorem præſtitit principem. Extremo tandem vitæ actu cum Merciis, quibus bellum indixerat, non ſolum male pugnauit: ſed & à Brudeo Pictorum Rege, maxima exercitus parte amiſſa, in acie cæſus eſt quadragenarius 20. Maii A.C.685. Vxor EDELTRVDA Annæ Orientalium Anglorum Regis F. poſt mariti interitum apud Coldingenſes egit monacham.

ALFRIDVS regnante fratre exul, literis operā nauans, doctiſsimus euaſit. Adeptus ergo regnum, hoſtiumq́ iniuriis laceratum ac deuaſtatū: bonis artibus id inſtaurauit: & contentus finibus, quos poſt fratris interitum à Pictis recuperare abſque bello poterat; paci & honeſto otio pariter ſtuduit: ab exterisque armis quieuit. Obiit A.C.704. regni XIII. Vxor CIMBERGA Pendæ Senioris Merciorum Regis F.

ELFINVS in bello fratris contra Edelredum Merciorum Regem ad Trecom. fluuium occubuit adoleſcens annorum 18. A.C.679.

ALCHFLEDA nupſit Pendæ Iuniori Merciorum Regi.
OSTRIDA vxor Edelredi, Pendæ Senioris Merciorum Regis F.
ENFLEDA Abbatiſſa.

OSREDVS octennis patri in regno ſucceſsit: à popularibus interfectus A.C.714.

REGVM

VII.

REGVM ORIENTALIVM ANGLORVM.

VIFFA Hebuſi F. Hengiſti N. Rex Saxonum Orientalium in Anglia, tantæ fuit exiſtimationis: vt beneficiorum memoria, qua apud ſuos viguit, omnes Reges Anglorum Orientalium VVIFFINGI nuncuparentur.

DITHVLPHVS ſiue TITELFVS ſecundus Orientalium Anglorũ Rex. Vxor RICOLA Ermerici Regis Cantiorum F. Chriſtianam fidem amplexa A.C. 604.

SABERTVS, alijs SIGEBERTVS, tertius Orientalium Saxonum in Anglia Rex, Londini, vbi aulæ ſedem habuit, à Meliſo Epiſcopo ad fidem Chriſtianam perductus A.C. 604: ibidem in ſuburbio condidit cœnobium D. Petri: qui locus nunc Regum ſepulcris, aſylo, & iudiciali foro celeberrimus eſt.

SIBERTVS, SENEDIVS, SIGVARDVS, impietate infames: ab Occidentalibus Saxonibus peremti.

REDVALDVS quartus Orientalium Anglorum Rex, Edelfridum Northumbricum bello ſuperatum occidit: ſubſtituto in ipſius locum filio Eduino. Factus hic Chriſtianus, ab vxore pagana deinceps perſuaſus, fidem prorſus abiecit: & ad idolatriam reuerſus, ſimul Chriſtum & idola coluit.

Liberi eius

ex vxore pagana:

REINERVS in prælio cum Northumbris commiſſo oppetijt.

ERBVALDVS ſiue CARPVALDVS patris in regno ſucceſſor, ab Eduino Northumbrorum Rege ad fidem Chriſtianam perductus, & à Paulino baptizatus: non multo poſt à Richberto quodam gentili perimitur.

SEXVALDVS.

ZVICHELMVS vir fortis, Saxones Occidentales ſubegit. Ob inſidias Northũbrorum Regi ſtructas, Eduinus graue ipſi bellum inferens: duriterq́ caſtigatum, Edelualdus Annæ Regis frater ſacro fonte baptiſmatis leuauit.

EGRICVS regnum à Sigeberto II. per manus accipiens, in prælio cum Penda Mercio commiſſo, occubuit vnà cum Sigeberto patruele.

ex Chriſtiana:

SIGEBERTVS cogn. Paruus, fratris in regno ſucceſſor: vir doctiſſimus & pientiſſimus; familiarium ſuorum perfidia in conclaui iugulatus.

SIGEBERTVS II. Zuichelmi in regni ſucceſſor, in Galliis fonte aquæ ſalutaris ablutus, religionem Chriſtianam ex animo coluit, conſtanterq; promouit: Cantabrigienſem quoq; Scholam A.C. 630. excitauit. Cœnobium tandem ingreſſus, regnum tradidit Egrico patrueli: vnde tempore belli vrgente contra Mercios ad tutandam patriam reuocatus; in eo oppetiit vnà cum Egrico, ἄπαις.

GVELPHO-

IV.
GVELPHORVM COMITVM ALTORFENSIVM ET RAVENSBERgenſium.

BRVNO VVernechini F. VVitichindi Magni frater germanus, Dux Angriuariorum, quos inter Amiſiam & Viſurgim fluuios locat Tacitus: exemplum Orientalium Saxonum ſecutus, Carolo Magno ſe dedens, itidem lauacro cœleſti luſtrandum ſe præbuit A. C. 776. Obiit circa A. C. 790. ſepultus Paderbornæ. Vxor SVSANNA Guelfi Dynaſtæ Altorfenſis F. neptis Iſenbardi, duodena prole nobilitati.

ETICHO matris hæreditatem, defunctis absq; prole auunculis, adeptus & Comes Altorfenſis ac Ravensbergenſis factus: præ nimio libertatis ſtudio feuda ſibi nulla conferri eſt paſſus. Senex tandem multorum annorum ad Amergauiam in ſolitudine cœnobio conſtructo, illuc cum XII. monachis conceſsit: reliquum vitæ ibi exigens. Vxor IVDITH Angloſaxonum Regina.

HENRICVS Comes Altorfius & Rauensbergius, primus inferioris Bauariæ Dux: quippe qui à Ludouico ſororio, Francorum & Boiorum Rege, quicquid in inferiore Bauaria aureo vehiculo à prima luce ad meridiem ambire poſſet, concedi ſibi per ludum popoſcerat. Ludouico poſtulatis annuente, conſcenſis bigis celerrimis, aureum vehiculum in gremio aſſeruans (vnde cognomen ipſi poſtea adhæſit) circuit eam terræ partem, quæ à Lyco amne ad Ambronem, & à Gelone ad Alpes Peninos ſe extendit: quam ipſi quoque Ludouicus, ſophiſmate iſto delectatus, tanquam feudum conceſsit circa A. C. 860. Vxor ORINA Comitiſſa Flandriæ.

BARDO in bello, quod contra Danos ſiue Normannos Saxones geſſere, cum aliis pluribus proceribus apud Ebbesdorfium ab hoste fugatus, & in aquis ſubmerſus A. C. 876.

LIVDGARDIS vxor Ludouici I. Regis Bauariæ.

HENRICVS II. Dux inferioris Bauariæ, Comes Altorfius & Rauensbergius: cum vxore BEATA ſiue HATTA Bogenſi Comitiſſa, è familia Hoheuuartenſi, ſepultus Altorfi Oſſa poſtmodùm inde in montem S. Martini translata.

S. CONRADVS Epiſcopus Conſtantienſis ad lacũ Brigantinum poſt mortem Notingi, à quo ſtrenuè educatus, princeps eruditione & pietate inſignis: Conſtantiæ ædem S. Ioannis, Parœciam S. Pauli, & Xenodochium pro peregrinis ac pauperibus magnifice conſtruxit. Obiit plenus dierum 26 Nov. A. C. 976. Conſtantiæ ſepultus ſub dio prope ſacellum S. Mauritij, prout teſtamento c.. erat.

RVDOLPHVS Dux inferioris Bauariæ, Comes Altorfius, Rauensbergius, & Amergauienſis: obiit A. C. 940. Vxor SEEBVRGIS Duciſſa Sueuiæ.

ETHICO miles, nobilis atq; Rhetiæ Curienſis & Rapolſvvilenſis. Vxor LVTCARDIS ſiue LVIDGARDIS Regina Vngariæ.

IVTHA ſiue LVTGARDA vxor Arnolphi Imp. Rom.

…NRADVS *occubuit in prælio A. C. 944.*

GVELPHVS I. eius nominis, qui Bauariam inferiorem Ducis titulo tenuere, Comes Altorfienſis, Rauensbergenſis & Amergauienſis. Vxor MIZZA Saliqua de Glatzberg, ſepulta in cœnobio Altenmunſter A.C. 980.

ETHICO Præſul Auguſtanus, obiit A. C. 988. præſulatus ſui ru, ſexto.

OTHO ſiue VDO Comes Bauariæ inferioris, periit in bello. Vxor ISENTRVDIS Comitiſſa Lucemburgica.

GERBVRGIS vxor Arnulphi Ducis Bauariæ.

RVDOLPHVS II. Dux Bauariæ inferioris, Comes Altorfenſis & Rauensbergenſis. Vxor ITHA Conradi Comitis Oeningenſis ad lacum Brigantinum F. neptis Othonis I. Imp. in Altonis monaſterio iuxta ſocrum ſepulta.

GVELPHVS II. Dux Bauariæ …ferioris, Comes Altorfius & Rauensbergius: matre adnitēte, Altonis monaſterium, ab Vngaris exciſum, inſtaurauit: …ucq; Veſtales cœnobij Vinearum transferens; hinc monachos Altorfum migrare iuſsit, A.C. 1047. Henrico & Conrado Secundis Impp. acerrimè ſe oppoſuit: Epiſcopum Friſingenſem & Auguſtanū rapinis grauiter vexauit. Vxor IRMGARDIS Comitiſſa Moſellana, ſororgermana D. Cunegundæ Imperatricis.

HENRICVS in venatione damarū ab apro percuſſus Loeniis in Comitatu Tyrolēſi, haud procul Atheſi.

BERTHOLDVS iuxta Reineccij & Enzelini ſententiam conaidiſſe ſtirpē Columninam Marchionum Brandeburgenſium putatur.

RICHILDIS vxor Adalberonis Comitis Eberſpergij obijt 12. Iuny 1045. poſt mariti fata diebus LXXVII.

CVNEGVNDA vxor Friderici Comitis Sindeburgij ad Ambronem: marito in Palæſtina defuncto, Diſſæ condidit cœnobium: in quo & ſepulta cernitur A. C. 1085.

GVELPHVS II. Dux Bauariæ inferioris, Carinthiæ, & Norici, Comes Altorfius & Rauenſpurgius: princeps virtute & fide præſtantiſsimus. Monaſterium Altorfi demolitus, in montem, quo in loco priùs arx erat, tranſtulit: ac B. Martino conſecratum, Vineas ſiue VVeingartum nominauit. Obiit ante patrem abſque liberis A.C. 1055. Sepultus VVeingarti.

CHVNIZA vel CVNEGVNDIS vxor Azonis Marchionis Eſtenſis, Ducis Ferrariæ.

GVELPHVS IV. Dux Sardiniæ Sueuiæ & Spoleti: conditor Stemmatis Ducum Brunſuigiorum & Luneburgiorum in Saxonia, &c.

STEMMA-

STEMMATIS VVITICHINDEI

Stirps I.

DVCVM ET IMPP. SAXONICORVM, VNDE ET PROGNATI DVCES Bauariæ, Sueuiæ, & Carinthiæ



VVITICHINDVS ob rerum geſtarum celebritatem MAGNVS cognominatus, Rex Saxonum, Dux Angariæ, Princeps Rugiæ, & Dynaſta Ilenburgi · vir animi magnitudine, opum

opum amplitudine,corporis robore, & arte militari præſtantiſsimus: gentilium deorum cultor deuotiſsimus: à Chriſtiana pietate alieniſsimus. Bella cum Carolo Magno in annum vſq; trigeſimum geſsit grauiſsima fortuna varia: vnde nõ mediocre ipſi negotium exhibuit. Hoc enim abſente, iugi Francici impatiens, turbas (776) excitans: modò Heresburgum, modò Sigeburgum obſedit; modò Delenburgum oppugnauit, irrito tamen & infelici ſucceſſu: cum Francis ſæpe fœdus pepigit: ſemper tamen fœdus initum frangens, populares ad rebellandũ Carolo incitauit: militeq; conſcripto, à Sala ad Rhenum vſque, quæ Franci poſsidebant, omnia igne ferroq; vaſtauit: à Tuicio ad Confluẽtiam vſq; (779) omnia diripuit, incendit, trucidauit: Francos ad montẽ Sunthal: (783) magna clade proſtrauit. Sæpiſsimè à Carolo victus; tandem (785) exul vagusque, circa VVolmerſtedam in ſyluis, accepto ſaluo conductu, victori factus ſupplex: depoſitaq; tyrannide, Chriſto nomen dans, armis & fide ipſi Saluatori poſtea ſeruiuit: Mittebachij à Bonifacio Præſule Moguntino, ſacro baptiſmi lauacro ablutus A. C. 786. A quo tempore in fide Caroli Magni ſuſceptoris ſui, conſtanter perſeuerauit: inueſtitus ab eo in Magnum Ducem Saxoniæ; nouisque inſignibus auctus & ornatus: pro equo regni Saxonici nigro accipiens candidum, in campo rubeo absque frenis & ephippio ſalientem. In prælio tandem cum Geroldo Sueuorum Duce fortiter pugnans occubuit A. C. 807. ſepultus Angriæ in Baſilica à ſemet extructa: quam poſtmodò Henricus Auceps Imp. vnà cum tumba & corpore ipſius Padebornam tranſtulit. *Liberi eius*

ex GEVA filia Siffridi ſiue Gotrici Regis Daniæ, ſepulta In baſiliea Engerana: cuius tumbam Henrieus Auceps Bertelheimam tranſtulit, vxore prima:

ex SVATANA ſeu SVATERNA filia Zechij Itzitzeſchorum in Bohemia Principis, vxore altera:

VIGBERTVS Dux Saxoniæ & Angriæ, hæres paternarum opum in VVeſtphalia: poſt fœdus inter Saxones & Francos, religionisque mutationem, ad pacis conuerſiis arces: VVibershuſium prope Northeimam condidit: collegiiq; VVildershuſij in diœceſi Bremenſi fundamenta iecit: vbi & poſt obitum ſepultus eſt A.C. 825. Vxor SINDACILLA Radbodi Friſiæ Ducis neptis.

HASALA vxor Berkonis Dynaſtæ Ballenſtedij.

W*ITICHINDVS II. conditor COMITVM VVETHINI: de quibus in Stirpe II. Pag. 25.*

BRVNO Dux Saxoniæ, Angriæ, VVeſtphaliæ, & Nordalbingiæ, Brunſteinam arcem iuxta Northeimam conſtruxiſſe, & cœnobium Brunshuſium prope Gandersheimam fundaſſe legitur, Obiit A. C. 841. Vxor

V*VALPERTVS progenuit IV. STIRPEM Stemmatũ VVitichindei, COMITVM RINGELHEMIORVM & OLDEMBurgiorũ.* *Vide Pag. 101.*

 SVANA

SVANA ſiue SVSANNA filia VVolfardi Comitis Montfertij & Rotenfanij.

LVDOLPHVS à Ludouico Pio Imp. ob egregiam contra Danos (822) Germaniam infeſtantes, nauatam operam, è Marchione creatus Magnus Dux Saxoniæ: Orientalem Saxoniam, quæ inter Viſurgim & Albim eſt, auito VVeſtphaliæ regno adiecit. Vixit exinde in pace: & intra ſuos limites Danos & Vandalos continuit. Gandersheimæ (prima hæc eſt Orientalis Saxoniæ ciuitas, quã ipſemet (843) extruxit) ſepultus A.C. 855 vel vt alij 869. vnà cum vxore ODA VVilligiſi Ducis Orientalis Franciæ F. quæ annos CVII. compleuiſſe ſcribitur.

BRVNO Magnus Dux Saxoniæ, conditor vrbis Brunſvigæ A. C. 861. cum Theoderico & Marquardo Epiſcopis, aliisque XII. proceribus, viribus coniunctis, valida manu in Normanniam ad perdomitandos toties rebelles profectus: cum comitibus ſuis, ne vnico quidem clade ſuperſtite, extinctus eſt: vix in numerum obrutus, obicibus quibus mare arcebatur, à Danis hoſtib. rebellis, A C. 876. 1. Aug.

OTHO Magnus Dux Saxoniæ, Angariæ, & VVeſtphaliæ, Comes Haſsiæ & Turingiæ: monaſterium Benedictinorum Luneburgi in monte, à calce nomen habente (904) fundauit: arcem Aſcaniam è fundamẽtis extruxit: Danorum & Vandalorum incurſiones & latrocinia repreſsit: Imperium, Ludouico (912) defuncto, ad ſe delatum, propter ſenium recuſauit: Cæſarem pro ſe nominans Conradum Francum ſororium. Obiit A.C. 916. Princeps bello ſtrenuus & fortunatus: Romanique Imperij tutor & defenſor. Vxor LVIDGARDIS Arnolphi Imp. F.

ECBERTVS Dynaſta & Marchio Hercyniæ A. C. 881.

TANQVARDVS ſiue DANCOMARVS Dux Saxoniæ. Brunonem fratrem in extructione vrbis Brunſvigæ iuuit: ibi cumque cathedralem S. Blaſii eccleſiam fundauit: & arcem muro cingens (861) Tanquerodam dixit. Periit vnà cum fratre in bello Normannico ad Ebbiſdorfium A C. 876. 1. Aug.

LVIDGARDA vxor Ludouici IV. Imp.

PLACENTIA ſponſa Conradi I. Imp.

HAIMODIS prima Abbatiſſa Gandersheimia obiit 877.

GERBIRGA & CHRISTINA ibidem Abbatiſſæ Gandersheimenſes.

HENRICVS I. ab aucupij ſtudio, quo ſummoperè oblectatus eſſe ſcribitur, AVCEPS cognominatus; Magnus Dux Saxoniæ, Angariæ, VVeſtphaliæ, Turingiæ, Dominus Brunſuigæ & Luneburgi: à Conrado Imp. cum quo pauló antè bellum internecinum geſſerat, in extremo vitæ actu (919) ſucceſſor deſignatus: ſingulari diligẽtia, moderatione, & prudentia, conceptam de ſe omnium expectationem præclarè ſuſtinuit. Vir in bellicis rebus ſtrenuus & fortis. Ante Imperium militiæ & exercitus contra Thalemincios ductor (918) deſignatus: eorum vires ita attriuit, vt deinceps difficulter reſpirare poſſent. In Imperio Burchardum Alemaniæ, & Arnulphum Bauariæ Duces, res nouas molientes

LVDOLPHVS & DANCOMARVS, patrem morte prætererunt.

LVIDGARDA Abbatiſſa Gandersheimenſis IV.

RICHARDIS vxor Leopoldi Marchionis Auſtriæ, ab Vngaris cæſa Melici ſepulta.

BABA, à qua Babenbergæ nomen, vxor Henrici Palatini, Comitis Franconiæ.

ODA vxor Balduini Comitis Flandrenſis.

ADELHEIDIS Abbatiſſa Quedlinburgensis.

lientes (920) coercuit: illum vi & armis, hunc graui oratione. Sclauos multis prælijs (924.928.931.934.) fatigauit: Brandeburgum, belli Heneti arcem, fame, ferro, igne (925) expugnauit: Henetos & Sorabos Imperio ſubiecit. Vngaros, gentilium deorum cultores, Alemaniã depopulantes (quorum ſupra 40000. fuiſſe perhibentur) ingenti clade ad Mersburgum (934) trucidauit: ſeptem duntaxat ſeruatis; quos auribus, manibus, naribus truncatos, ad Vngariæ confinia reducere iuſſit. Ita pacata Germania, pater patriæ, pacis conditor, rerumque dominus ab vniuerſo exercitu audiit. Vngaros vt tranſitu Albis prohiberet: ad Albim tria caſtella montibus opportunis impoſuit; Scharfenbergũ, Strelam, Miſnam: contra Henetos arcem Raguſium renouauit: contra Obetritos Marchiam Brandeburgenſem; contra Polonos, Bohemos, Sorabos, Luſatiæ & Miſniæ Marchiam conſtituit: Quedlinburgi item, Goslariæ, & Arnburgi fundamenta iecit. Iter tandem in Italiam meditans, apoplexia correptus, magno ſubditorum omnium luctu deceſsit in caſtro Saxoniæ Himeleuna 2. Iulij A. C. 936. ſexagenarius: poſtquam Imperio præfuit annos XVI. menſes ſex, dies decem, Quedlinburgi ſepultus. Rex maximus, & corporis anim[illegible]ue dotibus nulli ſecundus.

Liberi eius

ex HATTEBVRGI Eberuini Comitis Mersburgij F. quam ſuaſu Sigumundi Halberſtadienſis Præſulis dimiſſam, ad cœnobium remiſit:

TANQVARDVS ſiue DANCOMARVS Comes Turingiæ: poſt Sigfridi Marchionis, conſobrini ſui, mortem Marchiam Brandeburgicam obtinuit. Non ſtimè Othonis fratris imperium detrectans, & ad Imperij hoſtes deficiens: à Cæſareanis prælio victus, Heresburgi in æde D. Petri confoditur A. C. 937.

ex MECHTILDE Theodorici Comitis Ringelheimenſis F. vxore altera: quę ætate prouecta obiit A. C. 969. 14. Martij.

OTHO I. Magnus Dux Saxoniæ, cui rerum geſtarum amplitudo, quas in toga pariter & militia feliciſsimè confecit, MAGNI cognomentum peperit: patris teſtamento in Imperio ſucceſſor (936) nominatus: Aquisgrani ab Hildeberto Archiepiſcopo Moguntino ſolenni ceremonia eſt inunctus. Initia gubernationis difficilima habuit; bellorum procellis vndiq; fremen-

HENRICVS conditor DVCVM BAVARIæ & Marchionũ Saxoniæ. Vide Ramum I. Pag. 19.

BRVNO Archiepiſcopus Colonienſis, ab Othone I. Imp. Lotharingiæ Præſes datus: primus eiusdem conſenſu ducatum Angriæ Archiepiſcopatui coniunxit. Normaniæ Principes cum magna populi multitudine (959) ad Eccleſiæ ſinum adiunxit, & ſacris vndis abluit. Obijt Compendij 11. Octob. 965. præſulatus ſui XIII. ſepultus Coloniæ in æde Pantaleonina.

GERBVRGIS nupſit 1. Giſelberto Lotharingiæ & Belgij Duci: 2. Ludouico Transmarino Regi Galliæ.

HEDVIGIS (alijs ADELHEIDIS) vxor Hugonis Magni, Pariſiorum Comitis.

RICHS A vxor Arnulphi II. Ducis Bauariæ.

MECHTILDIS Abbatiſſa Quedlinburgica, obiit 942.

frementibus: cui tamen fortunæ malignitati magno animo reſtitit: & ſolo Deo fretus, omnes armis ſuis repreſsit hoſtes. A bellis itaque domeſticis cum conſanguineis & cognatis ſuis, qui in ipſius caput coniurauerant, exorſus: Tanquardum fratrem prælio victum (937) interemit: Arnulphum & Hermannum Bauariæ Duces in prælio ad Andernacum oppidum cæcidit: Giſelbertum Lotharingum (939) in Rheno ſubmerſit: Henricum fratrẽ germanum in fugam coniecit: Ludolphũ filium aliquot annis pòſt (953) cum Conrado Lotharingo genero ſuo, & Friderico Antiſtite Moguntino, qui ſimiliter in ipſum conſpirarãt, absque prælio fugauit, & intra vrbem Ratisbonã concluſit: qua capta, & copiis diſsipatis, conatus eorum eluſit: filio & genero culpam deprecantibus (954) ignouit. Cum Bohemis ſemper rebellibus, ab anno 939 per quindecim continuos ferè annos, bella geſsit: Hungaros, Saxoniam tributariam facere conatos, fortiter (938.939.) repulit, tandemque ad Lycum amnem (955.10. Aug.) magna internecione deleuit: Hugonem Pariſiorum Comitem, nouarum rerum & magni imperij cupidiſsimum, ad pacem petendam (945) adegit: Belgas & Burgundos, Gallico regno ereptos, Imperio (949) adiecit: Haraldum Daniæ Regẽ fidem ſuſcipere Chriſtianã (944) ſeq; Imperij iugo ſubmittere compulit. In Italia Berengarium tyrannũ cum Adelberto filio primò (950) ad obſequium retraxit: res deinde (962) nouas molientes, victos captosq;, alterum Papebergam, alterum Byzantium relegauit. Romæ Ioanni XII. Pontifici, ob fœdas ſuas libidines ſede Apoſtolica deturbato, (962) Leonem IIX: & huic defuncto (965.) Ioannem XIII. ſuffecit: quos in Pontificiam dignitatem aliquoties reſtitutos, cùm Romani ſubinde deiicere non deſiſterent: hac perfidia grauiter offenſus; Vrbe (966) capta, Conſules proſcripſit: Decuriones ſuſpendio mulctauit: ciuibus ſolis pepercit. Græcis præterea, qui legatos ipſius (968) in itinere violarant, Calabriam & Apuliam (970) ademit. Quid multa? Imperium Romanum penè collapſum reſtaurauit: Germaniam, Galliam, Italiam pacauit: Danos, Sorabos, Henetos, Bohemos ad Eccleſiæ ſocietatem perduxit: religionem in Ruſsia, Polonia, Vandalia propagauit: Eccleſias Epiſcopales plurimas, Hauelbergenſem 946. Alteburgenſem 948. Miſnenſem 958. Brandeburgenſem 960. Magdeburgẽſem, Merſburgenſem, & Zizenſem 968 fundauit: Mechelburgiam, Sleſuicenſem, Ripenſem per Antiſtitem Hamburgium emendauit: Magdeburgum ipſum à Slauis vaſtatum (940) inſtaurauit: Goſlariam ob inuentas venas metallicas exornauit. His tantis rebus geſtis, ſenio grauatus, ex apoplexiæ morbo deceſsit in oppido Saxoniæ Mimmeleba A.C. 973. 7. Maij: cum annos imperaſſet XXXVII, demptis LVI. diebus: ſepultus Magdeburgi in templo Cathedrali. Princeps pietate eximius,

mius, conſilio prudens, iudicio iuſtus, bello ſtrenuus, clementia admirandus, rerum geſtarum magnitudine nulli ſecundus.

Liberi eius

EDITHA Edmundi Angliæ Regis F. defuncta Ianuarii 947. & Magdeburgi ſepulta.

LIVDOLPHVS progenitor DVCVM SVEVIæ & Carinthiæ. Vide Ramum II. pag. 23.

LVIDGARDIS nupſit (946) Conrado Sapienti Duci Franciæ & Lotharingiæ: obiit A. C. 953 ſepulta Moguntiæ.

MECHTILDIS Abbatiſſa Quedlinburgica, obiit 6. Februarij A.C. 997. quinquagenaria, iuxta auum ſepulta.

ex ADELHEIDE Rudolphi Regis Burgundię F. vidua Lotharij Regis Italiæ, conditrice cœnobij Olſæ: in quo poſt mortem ſepulta eſt: quæ ipſi accidit A. C. 984. 8. Decembris. Duxit hanc A.C. 951.

ex N. nobili Sclauica concubina.

GVILIELMVS Archiepiſcopus Moguntinus electus A. C. 954. 17. Decembris à patre accepit Turingiam, Haſsiam, & Veterauiam; ad Geram fluuium inter Schlaningradam & Tagberſtad nm duxit coloniam; vbi & Erphordiam condidit. Obiit A. C. 968. 2 Martij. Moguntiæ ſepultus ad D. Albanum.

HENRICVS primogenitus, immaturè mortuus.

BRVNO infans extinctus.

OTHO II. Magnus Dux Saxoniæ, ſeptennis (961) à patre Cæſare Auguſto Imperij conſors creatus: & à Ioanne XIII. Pontifice (968) Imperij Romani corona exornatus: prima militiæ tyrocinia, viuo patre, magna cùm laude fecit (970) in bello contra Saracenos & Græcos geſto ob violatos legatos: quos tota penè Calabria & Apulia eiecit. Imperio poſt patris obitum (973) ſuſcepto; Henricum Bauariæ Ducem, ſuum patruelem, nouis rebus (974) ſtudentem, armis (975. 976.) domuit; Bohemia ferro igneq; vaſtata: Danos rebelles (974) rurſus Imperij iugo ſubdidit: Lothario Francorum Rege Lotharingiam ſibi aſſerente, Galliam (977) fœdis populationibus vaſtauit: & Lotharingiam receptam denuo Germanię copulauit. Cæterùm dum reuertitur, in Axonæ fluuij tranſitu, graui à Gallis incommodo afficitur: plerisque ſuorum fluminis impetu, quibusdam etiam ferro enectis. Nec mitiorem poſtea ſenſit fortunam in bello contra Græcos & Saracenos, Italiam ſibi vindicare conatos. Ad Beneuentum ſiquidem (982) ſuorum perfidia fuſus fugatusque; & ab hoſtibus captus, in mare deſiliit: natandoque diuinitus elapſus, viribus reparatis, ad internecionem eos (983) deleuit: eorumque ſanguine mare tinxit: vnde PALLIDÆ MORTIS & SANGVINARII cognomenta ſortitus ſcribitur. Romam inde ex Sicilia progreſſus, Beneuentanos & Romanos, perfidos deſertores, grauiſsimè eſt vltus: illos vrbe patria excîſa, & ſolo æquata; hos domi cædibus atque ſuppliciis. Obiit Romæ eodem anno 983. 8. Decembris ventris profluuio, annos natus XXIIX. cùm Imperium pari, qua pater, dexteritate; at non pari

ADELHEIDIS (Itali ALOYSIAM nominant) ab Alramo Montiſferrati Marchione, furtim abducta.

SOPHIA Abbatiſſa Paderbornia.

RICHILDIS ſiue RICHOLITA vxor Cunonis Comitis Oeningenſis ad lacum Brigantinum.

felicitate adminiſtraſſet annos decem, menſes ſeptem, diem vnum. Ibidem ſepultus ante baſilicam D. Petri.

Liberi eius

ex THEOPHANIA filia Romani Iunioris, priuigna Nicephori, Impp. Conſtantinopolitanorum; Nouiomagi defuncta A. C. 991. 19. Iulij, & Coloniæ in æde Pantaleonina ſepulta:	*ex concubina:* *VVITHILDIS uxor Theodorici III. Comitis Hollandiæ.*

OTHO III. Imp. & Magnus Dux Saxoniæ, ob prodigioſam ſapientiam, vel etiam, quòd ipſius facta ſtatum & ſortem humanam excedere viderentur, MIRACVLOSVS & MIRABILIA MVNDI cognominatus: patre Romæ defuncto, à Germanis, qui ibi frequentes erant, IMP. nominatus; ſententiam ipſorum approbante Benedicto VII. Pontifice: coronatus eſt Aquisgrani à Ioanne Epiſcopo Rauennate. Auitæ paternæque virtuti æmulus; prima militiæ tyrocinia fecit in Bohemia, quam (986.987) fœdè vaſtauit: in bellis itidem eadem tempeſtate contra Sclauos geſtis. Dehinc cum Germaniã haberet pacatã: in Italiam, perpetuis afflictam ſeditionibus, expeditionẽ (996) ſuſcipiens: totus in eam incubuit curã, qua ratione ipſius ſaluti & quieti conſuleret, Germaniæq; eam copularet. Pontifici ergo Ioanni XVI. defuncto ſucceſſorem dedit Brunonẽ Saxonem, ſuum agnatum, mutato nomine Gregorium V. appellatum: à quo Romæ (996. 7. Iunij) Imperatoriis inſignibus eſt redimitus. Italia vix egreſſus, de ſeditione Creſcentij (997) certior redditur. Romã igitur ingentibus copiis, quantis maximis potuit itineribus, minarũ iræq; plenus, contendens: vrbe capta, Creſcentium aſino facie auerſa impoſitum circumducit; naſo dehinc & auribus mutilatum, ac multis confoſſum vulneribus, cum aliis XII. ſeditionis illius ſociis ſuſpendit: Ioannem adulterinũ Pontificem primò oculis, mox vita priuat, & Gregorium reſtituit. Hoc adiutore poſtea (998) ius eligendi Imperatoris Romani in ſolos Germanos tranſtulit: grauiſſimumq; Electorũ Senatum primus conſtituit. Tertiò Italiam (1000) ingreſſus, cùm deperiſſet vxorem Creſcentij, & iam reditum in Germaniam pararet: venenato chirothecarũ ſimulatæ amicitiæ munere, ab ipſa dono ſibi miſſo, ſenſim infectus: apud Paternum indigna morte occubuit A. C. 1001. 28. Ianuarij, ætatis ſuæ XXX. Imperij XVII. Corpus Aquiſgrani, inteſtina Auguſtæ ſepulta. Fuit in eius conſortio MARIA Sanctij Garciæ Abarcæ, Regis Aragoniæ & Nauarræ filia, vidua Ordonij Regis Hiſpaniæ: mulier ſceleſta, libidine perdita, & infamis: quam adulterij conuictam Mutinæ ad rogum damnauit.

ADELHEIDIS Abbatiſſa Quedlinburgica A. C. 990.
SOPHIA Abbatiſſa Gandeſhemia obijt A. C. 1038.
MECHTILDIS nupſit primùm Ezeloni ſiue Erenfrido Palatino Rheni, cui peperit RICHSAM Miſeconi Poloniæ Regi vxorem: deinde Gotfrido Barbato Duci Lotharingiæ.

RAMI

RAMI EX PRIMA STIRPE STEMMATIS VVITI-CHINDEI, quæ Ducum eſt Saxoniæ, enati.

I.

DVCVM BAVARIÆ, ET MARCHIONVM Saxoniæ.

HENRICVS, Henrici Aucupis Imp. Rom. F. primus Saxonum, Othonis Magni Imp. fratris ſui beneficio (945) Boiis imperauit. Ipſum quidem mater ad Imperij gubernationem euehere conabatur, reclamantibus proceribus: ideoq; fratris initiò detrectabat (937) Imperium; regiumq; affectabat nomen: copias etiam ſuas (939) contra ipſum viribus hoſtilibus coniungebat: ſed ab eo victus, venia ſuppliciter (945) impetrata, bonus ei poſt modò fidusque factus eſt & permanſit. Hoc contra Berengarium euocato iuſſu eius Italiam (950) cum Boiis inuadens; Aquileiam, Iſtros, Venetiam, Forum Iulij, omnes vrbes Ticinum vſque, occupauit. Ab Arnulpho & Hermanno Bauaria exactus, fido fratris ſui Cæſaris auxilio eam (954) recuperauit. Nouiſsimè cum Vngaris (955) per legatos & tribunos ſuos campo Lyci fluminis feliciter depugnauit: & Bulcam eorum Regẽ cum quatuor capitaneis captũ, ad portas Ratisbonæ fœdiſsimo ſuſpendio ſupplicio affecit. Obiit Ratisbonæ A.C. 955. 1. Nouembris: ſepultus ibidem in æde D. Emerani. Vxor IVDITH Arnulphi Mali Regis Bauariæ F.

Liberi eius

1. *CONRADVS annis adoleſcentiæ ab Vngaris interfectus ad Lycum A C. 955.*
2. HENRICVS Saxonum idiomate dictus HEZILO, Dux Saxoniæ, Bauariæ & Brabantiæ: in Saxonia à Mechtilde auia paterna educatus: patre defuncto, vniuerſum Bauariæ regnum obtinuit. Ob clementiam initiò PIVS; deinde cùm Othoni II. Cæſari dicto audiens non eſſet, Imperiumq; (973) affectaret, RIXOSVS eſt cognominatus. Quam ob cauſam quoque ab illo proſcriptus, & hoſtis Imperij iudicatus, regnoque exactus: fuga ad Henricum Carinthiæ Ducem euaſit: cum quo, Patauia (976) capta, viuus in Cæſaris poteſtatem redactus, & Treuirorum Auguſtam in exilium eſt relegatus. Hoc poſtmodò (983) expeditionem in Italiam molientes Bauariam, regio nomine abdicato, procerum ſtudio recepit: nec tamen paulo pòſt contra eius quoque filium adhuc impuberem Othonem III. ad Imperium aſpirare deſiit, quamuis irrito conatu: plurimis ex proceribus Othoni, tanquam legitimo hæredi, illud deferentibus. Naturæ conceſsit Ratisbonæ A. C. 995. 5. Octobris: ibidem in æde D. Emerani ſepultus. Vxor eius GISELA Conradi Regis Burgundiæ filia, fratruelis Adelheldæ Auguſtæ.

HENRICVS II. Imp. & Dux Bauariæ, SANCTVS à vitę integritate & pietate, CLAVDVS à luxato & fracto crure cognominatus: primus ex Othonis III. conſtitutione (1001) à Septemuirali collegio ad Imperij culmen euectus: & Aquisgrani à VVilligiſo Antiſtite Moguntino (1002) coronatus: annos regnauit XXIII menſes quinq;, dies XVI. Vir pietate & vitæ ſanctimonia inſignis: nec armis vlli Principum ſuperiorum inferior: res domi foriſque geſsit maximas. Principes namqu[e] Imperij electioni ſuę aduerſantes (1002.1004) ſuperauit: Brandeburgum expugnauit: Henetos, ad priſtinam gentilium deorum ſuperſtitionem re[-]lapſos (1006) ſubiugauit: eccleſias, ab iiſdem dirutas, reſtaurauit: Synod[o] Tremoniana indicta, peruerſos ſacerdotum mores emendauit: epiſcopatum Bambergenſem (1007) fundauit, liberaliſsimeque dotauit: de Bohemis (1005.1011) Polonis (1006.1015.) & Flandris (1007) varias victorias reportauit: Toxim Vngarorum Regem, multas Germaniæ infligentem clades, procul à Germaniæ finibus abegit; Chriſtoque cum vniuerſa gente (1021) reddidit; ſorore Giſala ipſi deſponſata: Arduinum ſiue Harduigum Italiæ Marchionem, ſuum æmulum, duobus magnis prælijs (1005.1014) victum, trucidauit. In horum priore ipſemet captus, cùm deceptis cuſtodibus elapſus, de muro profiluiſſet: luxato fractoque crure poſtea claudicaſſe ſcribitur. Poſt alteram victoriam Romæ (1014) à Benedicto IIX. Pontifice conſecratus Imperator: inde in Græcos pariter & Saracenos mouens: eos Apulia & Calabria expulit: & Troiam Apuliæ vrbem expugnatam euertit. In Germaniam victor reuerſus: poſt octauum annum Bambergæ exitu beatiſsimo vitam clauſit A. C. 1024. 12. Iulij. ætatis ſuæ LV: ibidem ſepultus. Vxor CVNEGVNDIS Sigfridi Palatini Rheni filia, obiit 3. Mart[ij] 1039. Ambo caſtimonia nobilitati, Veneri bellum indixiſſe ſcribuntur; heroicam viuentes vitam ambo in Sanctorum album relati.

BRVNO Epiſcopus Auguſtanus, nouum fratris aſpernatus Imperium: rebellionem ſubactus, obedientem poſtea imperata fecit. Obiit Ratisbonæ in Comitiis A.C. 1017. ſepultus Auguſtæ in æde Mauricianæ, quam ipſemet fundauit.

GISELA Stephano Regi [Vn]gariæ, nondum aqua luſtr[ali] tincto, nupſit hac lege at[que] omine: vt expulſa falſor[um] deorum ſuperſtitione, Chr[iſti] cultum cum ſua populari[bus] ſuſciperet. Obiit A.C. 103[…] 14. Auguſti.

GERBIRGA Abbatiſſa Ch[…]enſis.

SOPHIA Abbatiſſa Paderbo[r]nenſis.

HEDVIGIS vxor Lotharij [Co]m[itis] Lamberti Burggrauij Magdeburgij.

3. *LVITGARDIS (alijs HEDVIGIS) vxor Burchardi Ducis Sueuiæ, qui in bello Vngarico oppetijt A.C. 953.*
4. *HELICA Abbatiſſa Patauienſis.*
5. *GERBVRGA Abbatiſſa Gandersbamia, fundatrix noui Virginum collegij ibidem ad S. Mariam.*
6. *ADELHEIDIS vxor Burchardi Comitis Geiſenhuſij: mater Henrici Epiſcopi Auguſtani, qui in Italia contra Saracenos fortiter dimicans occubuit A.C. 982.*
7. *menſe Iulio.*

BRVNO Dominus Brunſuigæ, ab Othone I. Imp. cui propter fortitudinem & fidem apprimè carus erat, MARCHIONATVM accepit SAXONIÆ: eique, præter Hercinios, Melueroda quoque & Hoheuartum paruit. Obiit A. C. 1006. Vxor HILDESVINDA Comitiſſa Croatiæ.

BRVNO II. Marchio Saxoniæ & Dominus Brunſuigæ, poſt Ecberti Marchionis cædem, Henrici II. Imp. beneficio eius in Saxonia prouinciam obtinuit. Obiit A.C. 1014. Vxor GISELA Princeps VVetlæ ac Vandaliæ, ſecundis nuptiis ſociata Erneſto Seniori Duci Sueuiæ, gemellos ipſi eſt enixa, Erneſtum & Hermannum: à cuius morte nupſit Conrado Saliquo Imp. Rom.

ECBERTVS prima ætate extinctus.

LVDOLPHVS Marchio Saxoniæ, & Dynaſta Brunſuigæ, tres ibi extruxit ædes ſacras magnis ſumptibus: vnam S. Petri & Pauli Apoſtolorum: alteram B. Magni: tertiam B. Gothardi: in quas omnes fermè ſuas impendit facultates. Huius quoque vrbis muros partim renouauit, partim de integro extruxit. Turingiam accepit à vitrico Conrado II. Imp. in præmium fidelis nauatæ operæ contra ipſius hoſtes. Sepultus Mersburgi A.C. 1074. Vxor HILDA ſiue HILTRVDIS F. Balduini II. Comitis Flandriæ.

EGBERTVS I. Marchio Saxoniæ & Turingiæ, Dominus Brunſuigæ: arcem condidit VVolferbytum, & collegiũ Numburganum: vbi ſtatua eius, ſago & pallio veſtiti, etiamnum conſpicitur. Heros extitit fortis & bellicoſus: qui pro Henrico III. Imp. cõſobrino ſuo, arma gerens in ſeditioſos Bohemos; Pragam fortiter expũgnauit: & cum Othone II. Turingiæ Marchione, latronum duce, manus conferens, cruento cum Marte (1057) cæcîdit. Obiit A. C. 1068. ſepultus ad S. Cyriacũ. Vxores eius duæ: 1. GERBVRGIS Comitiſſa Lansbergenſis: 2. N. filia Othonis Ducis Suinfortẽſis.

BRVNO III. Marchio Saxoniæ, contra Othonem Turingiæ Marchionem, Saxoniam igne & direptionibus vaſtantem, ſocijs armis cum fratre profectus: eum exercitum diſſipauit quidem: ſed in mutuo cum Othone conflictu ipſe quoque concidit A.C. 1057.

HERMannus Palatinus Saxon.

LIX Auxor Othonis VI. Marchionis Saxonis Inquellejis.

HEZILO Antiſtes Hildeſienſis, cum VViderado Abbate Fuldano (1063) in templo Hildeſienſi ob ſeſſionem decertauit, præſente Henrico IV. Imp. non ſine multi ſanguinis effuſione. Obiit A. C. 1079. ſepultus in Canonicorum collegio nomine S. Mauricij.

OTHO Dux terrarum in Saxonia ad Viſurgim, & Comes Northæmius: vir conſilio, induſtria, ac rei militaris ſcientia præſtans: nouas intulit in familiam vires: ob primæuorum Principum cognationis vinculum, & recentes de Sclauis victorias, Bauariæ principatu, Henrici IV. Imp. beneficio donatus. Sed à quo nõ ita multo pôſt (1070) ex quorundam inuidia & maleuolentia proſcriptus: ne in Saxonia locũ habere tutũ potuit. Quæ res anſam ipſi præbuit (1073) cũ reliquis proceribus, Magno Saxoniæ Electore, eiusque fratre Othone, Ecberto Marchione Saxoniæ, & Buccone Præſule Halberſtadio contra Imp. conſpirandi: à quo conatu etiam poſt liberationem (1076) ex vinculis, licet aliquandiu Imperatori adhæreret, non tamen deſtitit: donec in conflictu cum hoſte Imperatore caderet A. C. 1083. Vxor CVNIZA Ducisſa Bauariæ.

ECBERTVS II. Marchio Saxoniæ & Turingiæ, Dominus Brunſuigæ: Bohemis Miſniam (1076) eripuit: & cum Viperto Groicio acerrimo conflixit prælio. Quia vero potentia ipſius non eſſet contemnenda: à factione Hilrebrandi Pontificis Rom. ſpe Imperij ineſcatus; cum aliis proceribus (1082) conſpirauit contra Henricum IV. Imp. cumque aliquoties manus feliciter conſeruiſſet, magna ipſi damna inferens. Tandẽ in molẽdino haud procul pago Eiſenbergo à Cæſaris ſatellitibus per inſidias confoditur A.C. 1090, ſepultus à ſuis Brunſuigæ ad S. Cyriacũ. Vxor AGNES filia Othonis Diuitis Marchionis Saliſquellenſis.

GERTRVDIS fratre perempto, virgo paterna hæreditate electa: ſed abſente Imperatore per ſuos reſtituta: S. Aegydij ædem (1117) Brunſuigæ condidit: vbi & ſepulta eſt. Nupſit 1. Henrico Craſſo Comiti Northamio, Duci Viſurgano: 2. Theodorico Cattimelibocenſi, Burggrauio Magdeburgenſi.

MECHTILDIS coniux Eſiconis V. Comitis Ballenſtadij.

HENRICVS Craſſus ſiue Pinguis, Dux Saxoniæ ad Viſurgim, Comes Northæmius: conditor cœnobij Burſcfeldæ: cũ vxore GERTRVDE, Ecberti I. Marchionis Saxoniæ filia, ditionem accepit Brunſuicenſem. Ob virtutem Friſiis præfectus datus, per inſidias ab iis trucidatur, fluctibusq; ſubmergitur A.C. 1100.

ITHA vxor 1. Thimonis Marchionis Miſniæ: 2. Gebhardi Comitis Querfordēſis.

ETHELINDA Guelpho IV. Duci Bauariæ deſponſata: ſed ab eo dimiſſa nupſit Hermanno de Caluele Comiti VVeſtphalo.

Tertia N. nupſit Friderico Comiti Arnsbergio.

Quarta N nupſit Othoni Cappelndorfio.

CVNO ſeu CONRADVS Palatinus Saxoniæ, Comes Northæmius & Beichlinganus, princeps literarum ſcientia, fortitudine, & diuitiis præpollens: fundator Cattelnburgi, quod poſtea Hirsveldio tradidit cœnobio: ad Aleslebiam in caſtra Saxonum profectus: ſuorum familiarium, ab Imperatore pecunia corruptorum, perfidia noctu in cubili iugulatur A. C. 1103. Vxor CVNEGVNDA poſtmodò nupſit VVigberto Miſniæ Marchioni & Comiti Groicenſi in Oſterlandia.

SIGFRIDVS Palatinus Saxoniæ, Comes in Bomenburg fundator Hamelsbornenſis cœnobij in ducatu Brunſuicenſi: domicilium habuit in Helfelda.

SIGFRIDVS II. Palatin. Saxoniæ, Herſeldam cœnobio tradidit Hamelsbornēſi.

HERMANnus cogn. Diues, Archiepiſcopus Colonienſis, in Syberacēſi cœnobio ſepultus A. C. 1099. præſulatus ſui XI.

OTHO Dux Viſurganus, in pueritia extinctus.

RICHSA ad maritum LOTHARIVM II. Imp. Rom. dotis nomine attulit Brunſuigam, Comitatũ Northæmium, cum tota ditione ad Viſurgim.

GERTRVDIS vxor. 1. Henrici Senioris Marchionis Miſniæ 2. Conradi Electoris Palatini ad Rhenũ.

SIGFRIDVS Palatinus Saxoniæ & Comes Beichlinganus: ab Hoiero Mansfeldenſi occiſus, cum eſſet captiuus Henrici V. Cæſaris A. C. 1113.

OTHO Comes Beichlingenſis.

CVNEGVNDIS vxor VVigberti III. Comitis Groizenſis.

II.
DVCVM SVEVIÆ ET CARINTHIÆ.

LVDOLPHVS Othonis Magni Imp. Rom. F. Hermanno Sueuiæ Duce, cuius vnicam filiam ITHAM vxorē habuit, fatis abſumpto; Sueuiæ Ducatum à patre Cæſareauguſto obtinuit. Cui poſtmodùm (951) rebellans, non veritus eſt cum ipſo parricidiali bello (953) confligere: mox tamen victori (954) ad genua prouolutus ſceleris iſtius veniam impetrauit. Cum magna exinde manu in Italiam miſſus (955) aduerſus Adelbertum Berengarij filium, crudeliter & ſine diſcrimine in quosuis ſæuientem, cædibusque & exiliis patriam deſolantem: re feliciter geſta, deceſſit Papiæ ex vulnere, ſibi ab eodem [illegible]ncto A.C. 957. 6. Septembris: ſepultus Rhegij ad S. Antonium. Cadauer inde in Germaniam translatum à patre, frater ipſius Guilielmus ſepeliuit Moguntiæ in æde S. Albani.

OTHO Burchardo Sueuorum Duce defuncto (974) ducatum eum recepit: & biennio pòſt Bauariam quoque & Carinthiam, Henrico Rixoſo exacto, ab Othone II. Imp. adminiſtrare eſt iuſſus: cui ad officium redeunti, de Bauariæ quidē prouinciâ ſponte ceſſit: at Carinthiā retinuit. Tegrenſe cœnobium in Bauaria, ab Vngaris deſtructū, reſtaurauit: & Altahenſe, opera B. Gothardi, reformauit. Imperatorē, cuius ſemper obſeruantiſsimus fuit, in Italiā ſecutus, Saracenis fædè eam (981) depopulantibus, ordines præcipuos duxit: & Tarentū ſuo milite expugnauit. Ex altera eiusdem contra Saracenos expeditione infeliciſsima fuga elapſus: cùm vix patriæ fines attigiſſet, moritur A. C. 982. 31. Octobris, ætatis ſuæ XXIIX Princeps animi magni, & fortunatus. Vxor HIMELTRVDIS Sigfridi Lotharingiæ Ducis filia vnica.

MECHTILDIS nata A. C. 949.

ECHARDVS Marchio Saxoniæ. *GVNZELINVS Marchio Miſniæ.* *BRVNO II. Comes Merſburgius.* *[illegible] bos Gunsheri Comitis Pleſſenſis filios [illegible]: de quibus vide in primo Ramo Stirpis Vvitekinenſis, veterum Marchionum Miſniæ, Pag. 47.*

CVNO ſiue CONRADVS Carinthiæ dominatū, agnati ſui Othonis III Imp. beneficio & auctoritate retinuit: quòd patris exemplo, cauſam Imperij contra Ducis Bauariæ filios rebelles fideliter & conſtanter defenderat. Obiit A. C. 1012. cæſus in quodam prælio. Vxor Mathildis Comitiſſa Querfortēſis.

BRVNO Epiſcopus Veradnſis, fundator cœnobij Oldenſtadenſis circa Vlyſſeam: ab agnato Othone III. Imp Pontifex Romanus deſignatus, GREGORII V. nomen aſſumſit A.C. 995 Pontificatu per Creſcentium Vrbis Conſulem exactus, in Germaniam ad Imperatorem confugit: à quo reſtitutus, cum ipſo Collegium Electorum conſtituit Obiit Romæ 17 Februarij A C 998. non abſque veneni ſuſpicione: ſepultus in baſilica D. Petri.

CVNO

CVNO II. Dux Carinthiæ, nulla re memorabili geſta nobilitatus; obiit A.C. 1035.

CVNO III. Dux Carinthiæ, propter fidem Henrico III. Imp. præſtitam, Bauariæ quoque accepit ducatum A.C. 1049: quem tamen poſtea (1053) iterum amiſit, ab eodem ſibi ademptū. Carinthiam verò contra Albertum Orientalis Carinthiæ Marchionem, Guelphum Ducem Bauariæ, & Bertholdum Comitem Zaringiæ, qui omnes eam ambiebant, Vngarorum auxiliis fortiter defendit. Obiit A.C. 1054.

BRVNO Præſul Herbipolenſis, Conradum II. Cæſarem ad expeditionē (1034) in Inſubriā; itēq. Henricum III. Imp. ad expeditionem in Vngariā (1045) ſecutus: in reditu, oppreſſus ruina ædificij Boſenburgiæ in Auſtria; poſt ſeptimum diē extinguitur, 26. Maij A. C. 1045. Vurciburgi ſepultus ad B. Chilianū.

HENRICVS Lotharingiæ Palatinus, coniuge deſerta & curis domeſticis relictis, clauſtro religioſo in oppido Gorziæ ſeſe abdidit. Cuius facti poſtmodò pœnitentia ductus, ad vxorē & poſſeſſiones ſuas rediit: ſed in furorē verſus, paulo pòſt eā ſua interfecit manu: quamobrem in cœnobium Endomacenſe relegatus; animi mœrore illic conſumptus eſt.

CVNO IV. Dux Carinthiæ, Guelpho Bauaro Ducis Carinthiæ nomen vſurpante, cùm ipſi viribus longè inferior eſſet: in exilium ſponte abiens; opes ſibi & amicitias hinc inde, & præſertim ab Vngaris, collegit. Guelpho defuncto, iuſtis inſtructus copiis, prouinciam à maioribus acceptam recuperare laborans; in ipſo conatu morte inopinata tollitur A.C. 1057.

VLRICVS Marchio Carinthiæ Orientalis, obiit circa A.C. 1070. Vxor IOLADA Belæ Vngarorum Regis filia, antea deſponſata Guilielmo Marchioni Turingiæ.

HERMANNVS Præſul Pataulenſis factus ex gratia Imp. Henrici IV. A C. 1086, obijt 1087.

LVDOLPHVS cum patre aliquandiu exulauit: paternā tandem dignitatem beneficio Henrici IV. Imp. recuperauit. Obiit *circiter* A.C. 1090.

VLRICVS Abbas (1070) Sanctogallenſis, in Sigbardi deinde Patriarchæ Aquileienſis locum ſurrogatus (1082) ob fidem Imperatori conſtanter præſtitam: cum Echardo Abbate Reichenauienſi, Bertholdo item Marchione Zaringenſi, & Baſileenſibus, aliquoties, victor tamen vt plurimum, manus conſeruit.

STEM-

STEMMATIS VVITICHINDEI

Stirps II.

COMITVM VVETHINI, A QVIBVS ORTI MARCHIONES MISNIAE, qui poſt varias fortunæ viciſſitudines primò COMITATVM PROVINCIALEM THVRINGIAE acquiſiuerunt: exinde auitam quoque DVCVM SAXONIAE titulum, vnà cum SEPTEMVIRATVS honore, ad legitimos hæredes reuocarunt.

VVITICHINDVS II. VVITICHINDI Magni Ducis Saxoniæ filius, quò ad titulum ac poſſeſsiones paternas, veteri more ceſsit fratri natu maiori: Saxoniæ Orientalis parte quadam, quę materna fuerat poſſeſsio, contentus: tractu nimirum illo ad VVethinum inter Salam & Albim fluuios; quod præſidium ipſe aduerſus Soraborum incurſiones condidit, & hodiè Viteberga appellatur: à quo Comitis quoque nomen vſurpauit: vnde & Præfectus Soraborum, & Dominus Budſeciæ cum aliquot ſuis poſteris audiit. Patre Carolo Magno Imp. multa difficultate ſuperato; Oſteruigæ (hodie Seling ſtadium nuncupatur) ſacro baptiſmi lauacro ablutus, Chriſto nomen dedit: ſeſeque Carolo obedientem præbuit. Sepultus in VVildershuſenſi cœnobio. Vxor IVLIANA ſiue NILADA Theoderici Comitis Rochlicenſis ad Muldam F.

DIETGREMVS Comes VVethini, Burggrauius Zorbecæ, & Dominus Budſetiæ; Friderici fratris cædem vindicaturus, cum multas Saxonibus inferret iniurias: ab Othone Duce Saxoniæ magno, patre Henrici Aucupis, ditione eiectus: ad Dalemincos, gentem Sclauicam, toti Saxoniæ infeſtiſsimam, confugit: contra quos poſtmodùm, eidem Othoni reconciliatus, ſtrenuam nauans operam; ditionem ereptam recepit. Vxor BOSSENA Comitiſſa Pleiſſenſis.

FRIDERICVS Burggrauius Zorbecæ, ob iniuſtas vicinis per agrum ſuum iter facientibus exactiones, in tumultu hac de cauſa excitato oppreſſus A.C. 876.

VVITICHINDVS III. progenitor REGVM GALLIÆ, CAPETORVM: de quibus Stirpe III. pag. 56.

DITHMARVS Zorbecæ Burggrauius, vir rei militaris peritia apprime excellens, cōſilio magnus, & præſentium atque improuiſarum rerum breuiſsima deliberatione egregius æſtimator: Henricum Aucupem Groningæ à milite Conradi Imp. (916) obſeſſum, non armis, ſed ſtratagemate inſigni, hoſtibus terrore incuſſo, liberauit. Ab eodem exinde (931) contra Redarios Sclauos, nouæ defectionis auctores, miſſus: inſignem de iis reportauit victoriam. Vngaros quoque, in Saxoniam irruptionem facientes, in agro Merſburgico (933) armis fortiter repreſsit; magna hoſtium ſtrage edita. Obiit A. C. 940. Vxor VVILLA Othonis Comitis Reueningenſis & Nortringenſis F.

CHVNIGILDIS vxor Alberti II. Vrſini, Comitis Aſcaniæ & Ballenſtedi.

FRIDERICVS Comes VVethini conditor veterum Marchionum Miſniæ. de quibus vide Ramum I. huius Stirpis, pag. 31.

DEDO I. interfuit ludis equeſtribus, prope Magdeburgū in inſula Albis celebratis 935.

DITERICVS ſiue THEODORICVS I. Comes VVethini, Burggrauius Soraborum, Dominus Budſeciæ; Bernardo Luneburgico & Diterico Brandeburgico militauit contra Sclauos: Boleslao quoque Bohemiæ Duci, Miſniam vaſtanti animosè ſe oppoſuit. Senex mortuus. Vxor IVDITH Bionis Comitis Merſburgenſis F. a Bohemis (955) captiua abducta.

CHRISTIANum Reueningenſem, Ditmari filium facit Hiero Henninges: ab eoque Marchiones Luſatiæ deriuat. Vide Ramum III.

DEDO II. Comes VVethini & Merſburgi, Burggrauius Zorbecę, Dominus Budiſſeciæ: puer à Riddaco Marchione Miſniæ eſt educatus. Princeps animoſus & bellicoſus: Bohemię Duci militans (98.) contra Othonē II. Imp. diœceſin Citienſem & Merſburgenſem vaſtauit: vnde cum reliqua præda matrem quoque abduxit. Ab Imp. in gratiam receptus, & inter duces præcipuos numeratus. Bione auo materno in quodam prælio cæſo, prouinciæ eius partem obtinuit. A Beringero Marchione Ballenſtadio apud Henricum II. Imp. inſimulatus, quòd ipſius vitæ inſidias strueret; VVolmerſtad am Beringeri arcem exulsit: à cuius filio ὁμωνύμῳ deinceps in conflictu ad Tangermundam eſt confoſſus A. C. 1009. Vxor TEIBVRGA Theodorici Marchionis Brandeburgÿ F.

ODA vxor Miecislai Ducis Poloniæ.

FRIDERICVS Comes VVethini & Ilenburgi, primus Miſniæ Burggrauius; ab Impp. Othonibus & Henrico II. propter fidem & prudentiam in honore habitus. Ilenburgi ætate grandi mortuus 5. Ian. A.C. 1017. Vxor HILDA Burggrauia Magdeburgenſis.

HILDA. HIDDA. Virgines obierunt.

ODA vxor Adelberti Pincernæ Smmerſenburgÿ.

IOANNES FRIDERICVS I. Dux Saxoniæ Elector, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ; à tolerantia rerum aduerſarum MAGNANIMVS cognominatus: natus Torgæ A. C. 1503. 30. Iunij, hora ſexta pomeridiana: cruce aurei coloris in dorſo fulgente fuit inſignitus. Princeps vitæ morumque probitate laudatiſsimus: & inter Germanos opibus & potentia facilè primus: nutritius Eccleſiæ & Scholarum ſingularis: ſalutiferæ Euangelij doctrinæ confeſſor conſtantiſsimus: pater patriæ ſanctiſsimus. Bello Schmalcaldico (1542) Henricum Iuniorem Ducem Brunſuigium, fœderatorum auxiliis ditione eiecit: deinde eam repetentem, (1545) cum ſociis Principibus ad deditionem adegit. Carolo V. Imperatori, Pauli III. Pontificis Rom. inſtinctu, Germaniæ bellum (1546) inferenti, in Bauaria & Sueuia fortiter reſtitit: Albertum Brandeburgium & Chriſtophorum Leuchtebergium, intercludere ipſum conantes, Rochlicij ſecuros & incautos cepit. Ad Mulbergam tandem (1547. 24. Aprilis) pro aris & focis fortiter dimicans; iniquo Marte ſauciatur: victorique Carolo traditus, Septemvirali dignitate ſpoliatur: & libertate priuatus, maximaq; ditionum ſuarum parte exutus, captiuus ad Belgas abducitur: vbi ægrè poſt quintum demum exilij annum (1552) dimiſſus eſt. In his ergo malorum procellis non ſuccubuit: ſed heroico planè robore aduerſus omnes caſus humanos ſeptus, tantoque ſpiritu fuit munitus: vt pro diuini nominis gloria, & ſalute ſuorum, minas mortis ab hoſtibus ſibi intentatas, terriculamenta duceret anilia: & quò vehementiùs premeretur, eò magis emergeret; ſe ipſo ſemper illuſtrior. Quibus omnibus malis exantlatis, in patria tandem piè ſanctèque mortuus; verum obtinuit elogium, ab Eccleſia Chriſtiana ipſi dicatum, Epitaphioque adſcriptum hoc modo. IOANNES FRIDERICVS DEI GRATIA ELECTVS MARTYR IESV CHRISTI, DVX AFFLICTORVM, PRINCEPS CONFESSORVM FIDEI, COMES VERITATIS, SIGNIFER S. CRVCIS, ANTESIGNANVS PATIENTIÆ ET CONSTANTIÆ, HÆRES VITÆ ÆTERNÆ, OBDORMISCENS IN CHRISTO, MIGRAVIT EX HAC MISERRIMA VITA IN COELESTEM PATRIAM, VINARIÆ M. MARTIO D. III.

ANNO M. D. LIV. ÆTATIS LI. Idem quoq; cùm fatali quacalamitate pleriſq; in locis de ſumma religionis Reiquepublicæ ... ianę humanitùs actum videretur: Academiam Salanam (1548) ...s excitauit atq; fundauit. Vxor SIBYLLA Iuliacenſis, Ioannis ...cis Cliuenſis F. fœmina ſanctiſsima, obiit 1554. 21. Februarij.

...FRIDERICus Dux Saxoniæ, ...rauius Turin...rchio Miſniæ, A.C. 1529. 8. Ian. poſt meridiem: A...iam Salanam ex ...enſis Scholæ ...a vnà cum incly...s pio & lau...o inſtituit: facta publicatione publica pri... Cæſ...rei A.C 1558. 2. Februarij Gothâ ab Au... Saxoniæ Electore, aliisque Germaniæ Principi... 1567. 13. April.] captâ; & ſupplicio ſumpto de ...riptis ab Imperio: captiuus ad Maximilianum II. ...p. miſſus. ... diuturno XXIIX. annorum exilio, quod ... magnitudine ac patientia pertu..., pie in Dei voluntate ſemper acquieſcens, obiit A. C. 1595. 9. Maij: ſepultus Coburgi. Vxores eius duæ: AGNES Philippi Landgrauij Haſsiæ F. vidua Mau... Saxoniæ Electoris, febre extincta 1555. 4. Nov. ELISABETH Friderici III. Electoris Palatini Rhe... ducta 1558. 12. Iunij: maritum pio amore con... in exilium ſecuta, obiit A.C. 1594.

IOAN. FRIDERICVS III. tertiogenitus, Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ, natus A. C. 1538. 15. Ianuarii: Princeps literatus & literatorum amantiſsimus: animique conſtantia in vera religione defendenda patris ſimilis præ...bat. Iinæ. A. C. 1565. 31. Octob. ætatis ſuæ XXVII. menſe nono, die XI. ſepultus Vinariæ.

IOAN. ERNESTVS Dux Saxoniæ, puerili ætate mortuus A. C. 1553. 8. Febr.

...ERICVS IV. ...oniæ, infans ſex...um XII. Vina...m A. C. 1560. 8.

...CVS Helihurgi ... C. 1573. 3. Febr. ...nus obijt Iſenbergæ ...573. 3. Augusti. ſe... Vinariæ.

IOAN. CASIMIRVS Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ: Princeps ſpectatæ virtutis, fideique probatæ, & ſingularis erga Deum & patriam pietatis: natus A. C. 1564. 12. Iunij. Vxor ANNA Augusti Saxoniæ Electoris F. ducta 1586. 16. Ianuarij.

IOAN. ERNESTVS Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ: Princeps ingenio & virtute illuſtris: natus A. C. 1566. 9. Iulij. Vxor ELISABeth Ioannis Comitis Mansfeldij F. obijt A. C. 1596. 12. Aprilis: ſepulta Iſenacæ.

IOAN. FRIDERICVS V. Dux Saxoniæ, natus 8. Aprilis 1596. denatus cum matre puerpera, & Crucenaci ſepultus.

IOAN. GVILIELMVS Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingię, Marchio Miſniæ, natus A. C. 1530. 11. Martij hora 3. min. 30. ante meridiem. Heros eximio pietatis flagrãs ſtudio: in religione ſincerus & conſtans: ſcholarum & eccleſiarũ fautor ac nutritius ſingularis: ſaluti concordięque publicæ amantiſsimus. In Gallia ſub Henrico Rege plurima fortitudinis & virtutis ſuæ reliquit veſtigia, in ciuilibus iſtis ruinis non ſolùm fortẽ bellatorẽ, ſed & ſalutarem agens pacificatorẽ. Domi verò, gliſcentibus ſubinde in religione erroribus, vt inter doctores Eccleſiæ pax & concordia Chriſtiana cõſeruaretur, exẽplo piorũ Imp. & Principũ, ſynodos & conuẽtus Theologorũ Alteburgi & Vinariæ habuit. Obiit in vera agnitione & cõfeſsione Filij Dei Vinarię A. C. 1573. 2. Martij: Ibidem ſepultus. Annos vixit

xLIII

XLIII. demtis diebus nouem, horâ vnâ, minutis XLV. Vxor DOR THEA SVSANNA, Friderici III. Electoris Palatini filia, obiit A 1592. 29. Martij.

FRIDERICVS GVILIELMVS Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ: natus Vinariæ A. C. 1562. 25. Aprilis paulo ante horam XI. antemeridianam. Defuncto Saxoniæ Electore Chriſtiano, Electoratus adminiſtrationem & tutelam ſuſcepit, iure non modò Imperij & confraternitatis, ſed etiam ipſiusteſtamenti, ſumma totius prouinciæ voluntate. Princeps paternarum auitarumque virtutum æmulus: puræ & ſinceræ religionis cultor ac vindex ſanctiſsimus: literarum ac literatorum patronus atq; nutricius benigniſsimus: ſalutis atq; tranquillitatis public ſtudioſiſsimus Cuius pios conatus vt DEVS Opt. Max, bene fortune & ad nominis ſui gloriam ac Chriſtianæ Reip. ſalutem dirigat: eumq cum tota illuſtri domo Saxonica ſaluum & florentem diu nobis con ſeruet: omnibus votis exoptamus.

SIBYLLA MARIA nata Vinariæ A. C. 1563. 7. Sept. hora ſeſquinona antemeridiana. obiit Altenburgi 20. Febr A. C. 1569. annorum quinque, menſium totidem, dierum XIII.

IOANNES Dux Saxoniæ, Landgrauius Miſniæ: Princ verè gratioſus: ſumma genij ſolertia, dexteritate virtute: & ſingulari erga os & patriam pietate: na 22. Maij A. C. 1570. Nup as celebrauit cum DOR THEA MARIA Ioachi Erneſti Principis Anhalti filia A. C. 1593. 7. Ianuar

MARIA Vinariæ 1571. 7. Ia

IOAN. ERNESTus Dux Saxoniæ, &c. natus 1594. 21. Febr. inter h 9. & 10. mane.

IOAN. GVILIELMVS natus 1595. 6. April. inter h. 5. & 6. matutinam: obijt ſtatim poſt acceptum baptiſma.

FRIDERICus Dux Saxoniæ, natus 1596 1. Martij ante horam primũ antemeridianam.

IOANNE Dux Saxoniæ, natus 1597 3 Martij, ma inter h. 6. 7.

Liberi eius

ex SOPHIA Chriſtoph. hor. Ducis Virtẽbergij F. ducta 1583 5. Maij: pie defuncta in ſexto partu filioli ἀνωνύμου 21. Iulij A. C. 1590. ætatis ſuæ XXVI. M. VII. d. XXVII.

DOROTHEA MARIA duorum annorum. menſium quatuor, & vnius diei, obiit 28. Auguſt. 1585.

IOAN. GVILIELMVS Dux Saxoniæ natus 1585. 30 Iunij: obiit infans 1587. 23. Ianuarij.

FRIDERICVS natus 1586. 27. Septembris: in cunis extinctus 1587. 20. Iunij.

DOROTHEA SOPHIA nata 1587. 19. Decemb

ANNA MARIA nata 31. Martij, 1589.

ex ANNA MARIA Philipp Ludouici Comitis Palatini Rheni filia, ducta A. C. 1591. 29. Aug.

IOAN PHILIPPVS Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ, natus A. C. 1597. 25. Ianuarij h. 6. m. ☉.

IOAN.

II.

ALBERTVS, Friderici II. Electoris F. Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ, Grymmæ ad Muldā natus A. C. 1443. 27. Iulij: vndecennis (1454) ex arce Alteburgica raptus vnà cum fratre Erneſto; at diuinitus ſeruatus. Princeps manu & armis promptus: laude & gloria bellica ſui temporis celeberrimus: nomine & aſpectu Vngaris, Gallis, Belgis, Friſiis terribilis: ſagacitate & conſiliis expedita celeritate admirabilis: fortitudine ac vehementia impetu præliorum feruore intolerabilis: moderatione poſt victoriam & clementia ſalutaris, vel ipſorum hoſtium teſtimonio. Contra hos enim populos pro duobus Imperatoribus Friderico III. auunculo, & Maximiliano I. conſobrino, ne Imperij faſces fluctuarent, fortiſsimè pugnauit. Noueſium à Carolo Burgundo (1474) grauiſsimè obſeſſum & oppugnatum, ſuo aduentu liberauit: Mathiam Vngariæ Regem à vaſtatione Auſtriæ (1471. 1477. 1485.) quantum potuit, prohibuit; & multis prælijs contuſum ad paciſcendum de pace; ac conditiones, quas ferret, amplectendas (1474. 1477. 1485.) adegit. Maximiliano Imp. à Brugenſibus & Gandauenſibus (1486) in Flandria capto, cum ... Principibus in eos mouens: cum hoſtibus manus feliciter conſe... t: in primis ſemper verſatus ordinibus. Belgij gubernatione tota ...e ſibi commiſſa; cum Philippo Raueſteinio diu multumque armis ...endit: Grimbergam expugnauit: Thamum ſtratagemate, Ar... ...um & Thenas expugnatione, VVordam (1492) Montfurtum, ...mum deditione cepit: Gallos Belgio exturbauit: atq; ita Belgium ...m in periculoſiſsimo rerum ſtatu, ex difficilimis bellis ciuilibus ex...t, & pacauit: infrenem quoque Friſiam (1493) ſub Imperij ha...nas reduxit: atque ita Imperij decus inclinatum & iam ruens, priſtinæque laudis bellicæ gloriam penè perditam recuperauit. Hinc ab animi ...uicti robore, & rerum, quas pro dignitate Germaniæ, patriæque ...orumque ſalute geſsit, magnitudine ANIMOSVS; à Pontifice Romano, DEXTERA MANVS IMPERII; à milite Belgico, ROLANDVS ...audiit. Bohemiæ regnum à ſoceri morte (1471) ſibi oblatum re...auit: Annæbergam condidit. In altera contra Friſios rebelles expeditione deceſsit ad Embdam 12. Sept: A. C. 1500. ætatis ſuæ LVII: mor... Martiſque pericula ſatis expertus. Cadauer Miſnam ad maiorum tumulos tranſportatum. Vxor ZEDENA Georgij Regis Bohemiæ F. obiit 1. Febr. 1510. Miſnæ ad latus mariti ſepulta.

CATHA-

CATHARINA nata 1468. 24 Iulij. post Sigismundi Austriaci Comitis Tyrolij exceſſum, nupſit Erico Seniori Duci Brunſuigo. Mindæ ſepulta A. C. 1524.

LVDOVICVS, IOANNES duo & ANNA in prima ætate extincti.

GEORGIVS Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ, natus 1471. 27. Aug. h. 11. m. 48. ante meridiem. Iuuenis olim à Maximiliano I. Cæſare Friſiæ præfectus: quarto à patris obitu anno (1504) arma in eos demre-belles (1514) mouit: tumultum ruſticum (1525) ſedauit: ditiones ſuas magna cum iuſtitia, clementia, & prudentia laude rexit in annum vſq; XL. Poſt omnium tandem hæredum mortem, mærore, curis, & ætate confectus, deceſſit Dreſdæ A. C. 1539. 17. Aprilis, magno cum Pontificiorum dolore: quibus inſtigantibus & incendentibus, inflammatus odio & zelo præter ſcientiam; Henricum fratrem ob Lutheranum (vt vocant) dogma, exuere hæreditate, ac ſucceſſionis iure priuare ſtuduerat: atque aliò transferre terras adſententia & ſecta ſua complices: verùm Deo ſic ordinante, quod conatus fuerat, morte præuentus exequi non potuit. Vixit annos LXVII. menſes VII. dies XXI. Vltimus inter Duces Saxoniæ Miſnæ ſepultus; cum vxore BARBARA Caſimiri Regis Poloniæ F. quæ diem obijt 17. Ianuarij A. C. 1534.

CHRISTOPHORVS I. Lipſiæ defunctus primis infantiæ annis A. C. 1497. 5. Sept.

VVOLFGANGVS obijt 21 Ianuar. 1499. infans quinquemeſtris, Miſnæ ſepultus.

IOANNES Dux Saxoniæ, Dreſdæ ex æſtu mortuus 11. Ianuar. 1537. ætatis ſuæ XXXIIX m IV d XIX Miſnæ ſepultus. Vxor ELISABETH Guilielmi Medij Landgrauij Haſſiæ F. poſt mariti exceſſum Rochlitij conſenuit.

FRIDERICVS Dux Saxoniæ, natus 15. Mart 1504. mente non ſatis conſtans: hæres ac ſucceſſor paterni ducatus patris teſtamento deſignatus, adiunctis XXIV conſiliarijs: patrem morte præuertit Dreſdæ 27. Febr. 1539. menſe vix vnico exacto poſt nuptias cum ELISABETHA Erneſti Mansfeldij F. Miſnæ ſepultus.

CHRISTOPHORVS II. ibidem prima ætate extinctus.

MAGDALENA vxor Ioachimi II. Electoris Brandeburgij, obijt 1534. 28. Decemb.

CHRISTINA vxor Philippi Landgrauij Haſſiæ, nata 25. Decemb. 1505. obijt menſe Iulio 1549.

ANNA, MARGARETA, AGNES omnes puellæ impuberes deceſſere.

HENRICVS PIVS, Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ, natus A. C. 1473. 16. Mart. hora XI. min. 53. ante meridiem. In prima ætate ductum atq; auſpicia patris ſui (1492) ſecutus: egregiæ virtutis ſpecimen edidit in Belgico; & poſtea ætate prouect... or, tumultu (1525) ruſtico. Friſi... rum, quos pater debellarat, & ... ſuam poteſtatem redegerat, gube... nator ab eo relictus: in vrbe Fran... ca extremè de vita periclitatu... ſubitaneo eiusdem aduentu, im... pendētis mortis diſcrimine omn... quecura liberatus: non ſine mino... ri diſcrimine vitæ Palæſtinam &... Galleciam (1498) peragrauit. Po... patris obitum, VVolkenſteinæ &... Fribergi aulæ ſedem habuit. Bell... ſopitis, ad pacis opera conuerſus... Mariæburgum condidit; & Pontificiis ſuperſtitionibus exploſis, ſinceriorem cœleſtis veritatis doctrinā ſuſcepit: fratre Georgio omnibus viribus repugnante, ſibique aduerſante: quo tandem morte abſumto, Eccleſias in omnibus ſuis prouinciis de Lutheri & collegarū cōnſilio conſtituit: earundem vitia emendauit: ſcholas inſtaurauit. Deo tandem receptui canente, beatiſsimo exitu vitæ finem impo-

ſuit

FRIDERICVS D... xoniæ, Marchio M... Ordinis Boruſsiaci ... ceps magiſter: ado... liteꝛis dedit operam ... vrbe Hetruriæ: ibi q... um præceptorem ſep... Armis Regis Poloni... lexandri preſſus, po... num XII. ſuæ guberi... nis, cùm Imperij ... deſtitueretur: maluit ... catum & præmia c... relinquere; quàm ... extero iureiurando ſ... ligare. A Polonis i... exactus: hydrope ex... ctus eſt Rochlitij 19. ... nemb A C 1510 æ... ſuæ XXXVI. Miſnæ ... pultus.

fuit Dreſdæ 18. Auguſti. 1541. Sepultus Fribergi. Princeps pius, fortis, & pacificus. Vxor CATHARINA Magni Ducis Megapolenſis F. obiit Torgæ 1561. 6. Iunij.

MAVRICIus cogn. Magnus. Dux Saxoniæ Septemuir, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ, natus Fribergi 21. Martij A.C. 1521. h. 9. min. 34. poſt meridiem. Patre defuncto, ante annos animũ gerens curasque viriles; ſumma ordinum omnium gratulatione ditionis gubernationem accepit. Princeps fortiſſimus & bellicoſiſſimus: auitæ gloriæ æmulus; ideoq́; meritò cùm ob ætatem, tùm ob gubernationem, & res maximas domi foriſque geſtas, Alexãdro Magno comparandus. Patris exemplo ſuperſtitioſos cultus, qui quòd radices egerant, nondum planè exſtirpati erant, ſuſtulit: Eccleſias & Academias conſeruauit auxitq́; : tres illuſtres ludos, vnum Miſnæ ad Albim, alterum Grimæ ad Muldam, tertium Portæ ad Salam, (1543) erexit: Dresdam & Lipſiam ſplendidè muniuit: arces nouas extruxit: veteres reſtaurauit & ornauit. In bello Vngarico ad Budam (1542) ſingulare virtutis documentum edidit: vbi in maximum vitæ diſcrimen incidit: hoſtilis tamen violentiæ conatus eluſit: vno fidiſſimo ſatellite ſupra ipſius corpus confoſſo. Carolo V. Imp. contra Franciſcum Gallum militauit (1544) ad Landreſium: ad D. Victorinum de hoſte ſplendidam reportauit victoriam. In Electorem agnatum, orta de Vurcina oppido controuerſia, arma (1542) ſumturus: pacis conſilia, ſuadente ſocero Landgrauio, libenter admiſit. Henricum Brunſuigium, ſocero ſuo Landgrauio & agnato Electori (1545) arma ſubitò inferentem, repreſſit. Bello Germanico grauiſſimo (1547) partes Imperatoris ſecutus, Saxoniæ Septemvir in caſtris ad Vitebergã au[...]: quæ ipſi dignitas Auguſtæ in Comitiis (1548) ritu ſolenni cõfirmatur. Publica inde militia dux factus, Magdeburgum (1550) poſt XIV. menſium obſidionem, pacis conditionibus datis, in deditionem accepit. Pro ſocero liberando bellũ (1552) Cæſari mouens, Alpiũ Rhetiarum faucibus occupatis, tantũ ei incuſſit terrorem: vt Oenipontẽ relinqueret: & pacis conditiones Paſſauiæ acciperet. Atq́; hoc demum pacto pacem religioni, libertatẽ captiuis Principibus, decus Germaniæ reſtituit. Rebus compoſitis, eodem exercitu copiis Solymanni (1552) occurrens in Vngaria: hoſtes ſolo nominis ſui terrore extra præſidia continuit: inſulam Danubianam muni[...]: cladis exitioſæ metum genti penè oppreſſæ ademit.

SEVERINVS Dux Saxoniæ, Marchio Miſniæ, extra patriam in alpibus Oeniponti, vbi cum regiis filiis inſtituebatur, obiit 10. Octob. 1533. annos natus XI menſem vnum, dies XIII Sepultus in cœnobio Stamſiano.

AVGVSTVS Dux Saxoniæ Elector, Lãdgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ, Burggrauius Magdeburgius, natus 13. Iulij A.C. 1526. h. 5. min. 38. ante meridiem: adoleſcens militauit in Gallia Carolo V. Imp. cùm ad S. Victorinũ inſignẽ de Franciſco Rege reportaret victoriã. Caſtra quoq; fratris ſecutus eſt in Germania: poſt cuius mortẽ, Imperij feuda ſucceſsione & Imperatoria auctoritate excepit 11. Aug. 1553: quæ ipſi poſt annos tredecim (1566) viſitata ac ſolenni ceremonia à Maximiliano II. Cæſare Auguſto, Auguſtæ Vindelicorũ in Comitiis ſunt confirmata 23. Aprilis. Bellum Gothanum totius Imperij nomine aduerſus perduelles contumaces feliciter confecit: latrocinia, quæ multis paſſim locis inualuerant, ſeuerè coercuit: pacem Eccleſijs, à nonnullis malè turbatam, & opinionum varietate ſciſſam, reſtituit, φῶς καὶ ὄμμα Imperij: Princeps non armis ſolùm decoratus, ſed & legibus armatus: vt vtrumque tempus, tàm bellorum quàm pacis, rectè poſſet gubernare.

AEMYLIA vxor Georgij Marchionis Brandeburgici obiit 1591.

SIBYLLA vxor Franciſci Ducis Saxoniæ inferioris.

SIDONIA coniux Erici Iunioris Ducis Brunſuigij & Luneburgij obiit A. C. 1574. 4. Ianuarij.

Piè

Alberto tandem Brandeburgico, armis ac incẽdijs in patriam ſæuienti, prope arcem Peinam ad vicum Siffridhuſium occurrens: in curſu victoriæ bombardæ globo ad ilia traiectus: triduo pòſt piè obiit 11. Iuly A.C. 1553. ætatis ſuæ XXXII. menſe tertio, die XXI. completo. Sepultus Fribergi iuxta patrem. Vxor AGNES F. Philippi Landgrauij Haſsiæ, poſtmodò nupta Ioanni Friderico II. Duci Saxoniæ, obijt 4. Nouemb. 1555.

ALBERTVS natus 1545. 28. Nouemb h. 9. antemeridianæ: infans quatuor menſium & dierum XV. obijt 12. Aprilis. 1546. Fribergi ſepultus.

ANNA locata Guilielmo Naſſovio Principi Vraniæ 1561: Dreſdæ obiit 18. Dec. 1577. Miſnæ ſepulta.

Pie defunctus 11. Febr. A. C. 1586. hora 9. poſt meridem: ſepultus Fribergi. Annos vixit LIX. menſes ſex, dies XI. horas XVI. Princeps incomparabilis, Imperij columna, flos Europæ, Pater Patriæ, nutritiùs & altor Eccleſiæ, Muſarum tutor, religionis purioris vindex, iuſtitiæ & iuris aſſertor. Vxores eius duæ: 1. ANNA F. Chriſtiani III. Regis Daniæ, XV. liberorum mater, obiit 1585. 1. Octobris: 2. AGNES HEDVIGIS Ioachimi Erneſti Principis Anhaltini F. ducta 3. Ianuar. 1586: poſtea nupſit Ioanni Duci Holſatiæ.

IOAN. HENRICVS natus VVeiſſenfelſij 12. Ian. 1550: infans decimeſtris obiit 12. Nov. eod. anno.

LEONORA nata VVolcken ſteina 6. Octob. 1551: obyt bima 21. Aug. 1553.

ELISabeth nata VVolckenſteinæ 1552. 28. Nov. nupſit Ioanni Caſimiro Principi Palatino Rheni 1568. 26. Nouembris: obyt 1590. 2. Aprilis.

ALEXANDER Dux Saxoniæ, Adminiſtrator Epiſcopatus Merſburgenſis, natus Dreſdæ 21. Febr. 1554: diarrhæa ibidem extinctus 8. Octob 1567 adoleſcens annorum XIII quos exceſsit menſibus ſeptem, diebus XIIX Cum fratribus Fribergi ſepultus.

MAGnus natus Dreſdæ 24 Sept. 1555. obijt trimus 6 Nouemb 1558.

IOACHIMVS natus Dreſdæ 3. Maij 1557. obiit eodem anno 21. Nov.

HECTOR natus Dreſdæ 1558. 7. Oct. obijt 4. April 1560.

CHRISTIANus Dux Saxoniæ Septemuir, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ, Burggrauius Magdeburgi: Princeps omnibus animi, corporis ac fortunæ bonis ornatiſsimus: natus A. C. 1560. 3. Nouemb. h. 4. ante meridiem: ex difficili morbo deceſsit Dreſdæ A. C. 1591. 24. Sept. ætatis ſuæ XXXI. nondum cõpleto. Sepultus Fribergi. Vxor SOPhia Ioan. Georgij Electoris Brandeburgij F.

MARIA nata Torgæ 8. Martij 1562: obijt quadrima 1566. 6. Ianuarij.

DOROthea nata Dreſdæ 4. Oct. 1563. h. 4. pomeridiana: nupſit Henrico Iulio Duci Brunſuigio & Luneburgio 26. Sept. 1585: obijt puerpera 1587. 13. Febr.

AEMILIA nata Dreſdæ 28. Ianuarij 1565: obijt eodem anno 2. Iulij.

ANNA nata Dreſdæ 1567: nupſit Ioanni Caſimiro Duci Saxoniæ, principi agnato 1586. 16. Ianuar.

AVGVSTVS natus Dreſdæ 1569. 23. Octobris; in cunis expirauit 12. Februarij 1570.

ADOLPHVS natus in arce Stolpena 8. Iunij 1571: obiit Dreſdæ 1573. 12. Martij.

FRIDERICVS natus Anneburgi 1575. 19. Maij: obiit 1576. 24. Ianuarij: infans ſeptem menſium, dierum ſeptem.

CHRISTIANVS II. Dux Saxoniæ & Electoratus hæres, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ natus A. C. 1583. 23. Sept. h. 3. matutina.

IOAN. GEORGIVS Dux Saxoniæ, &c. natus 5. Martij 1585. poſt h 10. pomeridianam.

ANNA SABINA nata 1586. 21. Ian. eod. anno obiit 24. Martij. Sepulta Fribergi.

ELISABETH nata 1588: eodem anno extincta.

AVGVSTVS Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ, natus 1589. 7. Septembris.

RAMI ALII EX EADEM STIRPE VVETHINENSI ENATI.

I.

VETERVM MARCHIONVM Miſniæ.

FRIDERICVS, Dietgremi F. VVittikindi II. N. Comes VVethini, cum Brunone & Tanquardo Ducibus Saxoniæ, aliiſque proceribus occubuit in bello Normannico 1. Aug. A.C. 876.

FRIDERICVS I. Marchio Miſniæ inueſtitus ab Henrico I. Cæſare: cui poſtea militans in bello Vandalico, periyt armis A. C. 925.

BRVNO Comes VVethini, vir magnæ auctoritatis & gratiæ apud Henricum I. Imp. contra Sclauos fortiter pugnans oppetiit A.C. 925. Vxor ODA Philippi Comitis Reueningenſis ac Nortringenſis F.

DEDO I. Comes VVethini & Rochlicy, cæſus in prælio cõtra Henetos. 925.

RIDDACVS Diues, Comes Merſburgenſis, ſecundus Marchio Miſniæ creatus A C. 930: fundauit cœnobium Gerbſtetanum Obiit A C. 985.

CA[illegible]LVS ab Imp. [illegible] III. ex quo[illegible] calum[illegible] [illegible]nona[illegible] obiit 1014 [illegible].

Filia N. à marito Boleslao Poloniæ Duce ripudiata.

GVNTHERVS Comes Pleiſſenſis vel Libonotriæ, poſſeſſor arcis Scheuditzenſis: multa pro Othone II. Imp. bella confecit: pro quibus tamen meritis dignam non accepit gratiam: quippe qui à dignitatibus aliquandiu fuit excluſus.

BRVNICO conditor veterũ Marchionum Brandeburgiorũ. Vide II. pag. 53.

ALBIA ſiue ALARICA I. Abbatiſſa cœnobij Gerbſtetani, quod vnà cum fratre fundauit.

E[illegible]ARDus I. tertius Marchio Miſniæ, quã ob res præclare geſtas ab Othone III. Imp. ceu hæreditarium feudum accepit A.C. 987. Bo[illegible]os (990) Miſna eiecit: Volchuldum Præſulem re[illegible] [illegible]um Boleslao Polono am[illegible]itiam coluit: epiſcopa[illegible]m Z[illegible]nſem Numburgũ [illegible]ſtulit. Tandem à Sigfrido Comite Northæmio venabulo per collum traiectus expirauit 20. April. 1002. octogenarius. Sepultus Ienæ. Vxor SVANHILDIS Hermanni Billungi Ducis Saxoniæ & Luneburgi F. vidua Dithmari I. Marchionis Luſatiæ, ſepulta in cœnobio Georgiano prope Numburgum, cuius ipſa extitit fundatrix.

GVNZELINVS Comes Merſburgenſis, cum Hermanno fratruele, Comite Rochlitio, de maiorum bonis adeò contendit, vt ad arma quoque procederent. Miſna eundem expulit A.C. 1010 & Rochlitium cremauit 1011. Quam ob rem de reliquorum Principum conſilio, maieſtatis reus iudicatus: Arnulphoque Antiſtiti Lebuſienſi cuſtodiendus traditus, poſt ſeptimum demum annum, qui fuit 1818 vinculis liberatus eſt.

ALBIO Comes Merſburgenſis, in ſylua à proprio ſatellite confoſſus.

BRVNO Comes Merſburgenſis, Hermannum fratruelem in itinere intercipere conatus: ſed inſidijs patefactis, ſpe ſua fruſtratus: vitam in Bohemia finiit exul.

ESICO Comes Merſburgenſis obijt Lipſiæ A C. 1005.

BION Comes Merſburgenſis, genitor IVDITHæ vxoris Dieterici VVethinenſis.

BERNARDVS Comes Merſburgenſis.

ECHARDVS I. Marchio Miſniæ & Turingiæ, adoleſcens militauit Henrico II. Cæſari in Inſubria, non exigua fortitudinis indole. Domi controuerſias habuit grauiſſimas cum patruis Gunzelino & Brunone, iura vetera ſibi & fratri erepta conquerentibus: ſed Gunzelino proſcripto, & Brunone exilium ſibi ſponte indicente; Comitatum Rochlitium præter ea bona, quæ in Turingia tenebat, quietus retinuit. Obiit Goſlariæ quo Henricum IV. Imp. ægrotantẽ inuiſendi gratia profectus erat. A. C. 1068. ætatis ſuæ XXCVI. Vxor SVANHILDIS Othonis Ducis Suinfortenſis F.

LVIDGARDA vxor VVerneri Marchionis VVolmerſtadenſis obijt 1012. 13. Nov. In cœnobio VVallbicenſi ſepulta.

MECHTILDIS vxor Theodorici II Comitis VVetbini.

HERMANNVS Marchio Miſniæ, Comes Rochlicius: contra patruos quibus infenſiſſimus erat, paternas poſſeſſiones defendit acriter: Guilielmum Vinarienſem Comitem hoſtiliter diu eſt perſecutus, bellumq́ contra Boleslaum Polonum Cæſareanis copiis feliciter confecit. Miſnæ a Miſicone Polono obſeſſus, ab amnitina & mirabiliter cum tota vrbe eſt defenſus & liberatus repentina Albis inundatione. Ex duabus vxoribus, GODILA Lotharij VVolmerſtadenſis Comitis vidua, & altera Boleslai Poloniæ Ducis filia, nullam ſobolem ſuſtulit.

OTHO tenella ætate extinctus.

ODA nupſit Boleslao Chabri Regi Poloniæ A. C. 1018.

VLTE-

II.
VETERVM MARCHIONVM BRANDEBVRGICORVM.

BRVNICO, Brunonis F. Comes VVethinenſis, Burggrauius Sorabborum, ab Othone I. Imp. poſt Geronis mortem Marchio Brandeburgicus creatus A. C. 965: manus conſeruiſſe legitur anno 937. cum Eberardo Orientalis Franciæ Duce, magna ſuorum clade accepta, inſuperque oppido Elma incendio vaſtato. Sepultus Brandeburgi ad B. Mariam in monte Harlungorum. Vxor VVILLA Marchioniſſa Saxoniæ in Italia obiit: ſepulta in cœnobio Septonenſi proximè Florentiã.

[illegible]RIDVS Marchio Brandeburgicus, iuxta patrem ſepultus [illegible]. Vxor CYTHAVA He[illegible].

HERMANNVS Marchio Brandeburgicus.

SIGHARDVS Marchio Brandeburgicus: princeps (vt Epitaphium habet) Chriſtianiſsimus: obiit 20. Aprilis A. C. 1010.

HVGO Marchio Brandeburgicus Elector primus, & ſupremus Othonis III. Imp. præfectus in Thuſcia & Hetruria: ſeptem illic monaſteria fundauit: Imperatorem [illegible] pleni fidelitatis ac prudentiæ conſilio liberauit: Florentiæ deſides & otioſos in ciuitate locum habere prohibuit. Obiit Piſtorij in Italia 22. Decemb. A. C. 10[illegible]1: ſepultus Florentiæ in monaſterio à ſe extructo.

THEODORICVS Elector Brandeburgicus à patruo ſecundus; Princeps ſuperbus & inquietus: Henetorum hoſtis infenſiſsimus: à Miſtiuoio Obotrita, quem per ignominiam Canem Henetum appellarat, bello petitus: cùm non expectatis auxiliaribus copiis Henrici II. Imp. & Bernardi Saxoniæ Ducis, in hoſtem irrueret: vi[?]enti victus prælio, principatuque exutus, in perpetuum exilium (vnde Exulis cognomentum accepit) actus eſt A. C. 1020.

TETBVRGA nupſit Dedoni II. Comiti VVethini: qui cum ipſa ius quidem in Marchionatum Brandeburgenſem accepit: ſed quem Heneti vi occuparunt.

III.

MARCHIONVM LVSATIÆ.

CHRISTIANVS Dithmari Comitis VVethinenſis F. Philippi auunculi in Comitatu Reueningenſi hæres & ſucceſſor: poſt Geronis obitum ab Othone I. Imp. in Luſatiæ Marchionem inveſtitus: occidit in bello Heneto: Magdeburgi ſepultus. Vxor SIBVRGIS F. Geronis I. Burggrauij Magdeburgij.

DITHMARVS I. Marchio Luſatiæ, Comes Reueningenſis & Nordtingenſis: cœnobiorum Munchenenburgi, Hagenrodæ, & Dancomarsfeldæ fundator: obiit A C. 978. Vxor SVANHYLDIS Hermanni Billungi Ducis Saxoniæ F. nupſit poſtea Erhardo I. Marchioni Miſniæ.

GERO Archiepiſcopus Colonienſis, ἐκτάσει correptus, à ſucceſſore VVarino viuus eſt ſepultus 29. Iunij A. C. 983.

DITHMARVS II. Marchio Luſatiæ, Comes Reueningenſis, contra Henetos auxiliis Henrici II. Imp. proſperè pugnauit.

GERO Marchio Luſatiæ, bello Cæſaris Polonico occubuit 25. Aug. A C. 1015. Sepultus Munchenenburgi.

OTHO Marchio Luſatiæ, conditor cœnobij ad Salam circa Magdeburgum, quod Gratiam Dei nominant: in bello Henrici II. Cæſaris cum Polonis, ſagitta lethaliter caput vulneratus, occubuit 25. Auguſti 1015. Sepultus Munchenenburgi, ἄπαις.

PALA-

I V.

PALATINORVM SAXONIÆ.

FRIDERICVS Dedonis II. Comitis VVethinenſis F. iuxta Henningis ſententiam: Fabricius ortu paterno Saxonem, progenie materna Francum vocat: Comes Gozecenſis, obiit A.C. 1020. Vxor AGNES Dedonis Luſatiæ & Landsbergæ Marchionis F. fœmina docta, in Goizeke, vbi ædem B. Simeonis conſtruxit, ſepulta.

... Comes Gozecen... ...us & bonus. ... duarum & corpl a pater audyt. mili... ...rem diſciplinæ e... ...pernus m...itauit ...I Imp (1043) ... vir MAR... ...M PALATII ab ...mer...s. A ſacer... ...omnie nobile, in pa... ...ite ...rum corſcen ...ad ing...ma ... obiit 5. Maij A.C. ...53.

FRIDERICVS nobus, ...bus comby Gozecen...

FRIDERICVS II. Comes Gozecenſis, alter Saxoniæ Palatinus: cum cæteris Saxoniæ proceribus in Henricum IV. Imp. conſpirauit: qua de cauſa Tuitinum in exilium actus, & poſt reditum carceri aliquandiu eſt mancipatus. Ex vinculis liberatus, monaſterium Gozecenſe ditauit, & bibliotheca exornauit: inque memoriam filij occiſi, curtim ſuam Tundorfium eidem legauit. Obijt ...6. Maij. 1088. Gozecæ ad latus filij ſepultus: ...r HEDVIGIS Bauarica.

HILARIA, gentili vocabulo VDA nominata, nupſit ALBERTO Comiti Summerſenburgio.

ALBERTVS Antiſtes Naumburgenſis & Bremenſis, Aquisgrani (1043) ab Henrico III. Imp deſignatus: vir acri ingenio, memoria inſigni, eloquentia admiranda: ab Imp. Friſiæ Comitatu donatus: Gozecenſe cœnobium vna cum fratribus extruxit, priuilegijsque dotauit. Cum Ducibus Saxoniæ, reliquisque proceribus, non pauca geſsit bella. Obiit Goslariæ 1072. 21. Martij: ſepultus Bremæ.

FRIDERICVS I. Comes Summerſenburgius, Friderico II. Palatino ſuo auunculo, in Inſubriam relegato, Palatini dignitatem auctoritate Imperatoris obtinuit: contraquem deinceps (1078 conſpirans; in Francia copias eius perſequi non deſtitit prius, quam eas intra mœnia Vurciburgica compuliſſet. Fines inde Francicos ingreſſus, Schmalcaldiam occupauit: & regionem circumquaque vaſtauit.

...ERICVS III Palatinus Saxoniæ & Co... ...zecēſis, in ipſo ætatis flore in venatione ...us a Ludouico Saltatore Turingiæ Co... ...xoris ſuæ adultero, qua illi poſtmodò ... fraude 8. Ianuarij 1085. In cœnobio ...ceni... ſepultus. Fuit ea ADELHEIDIS ...onis I. Marchionis Stadenſis F. quam pa...ter ...pli, ...ix pueriles egreſſo annos, deſpōderat.

FRIDERICVS IV. Poſthumus, Saxoniæ Pa...us, ex ephebis vbi exceſſit, à vitrico pa...nam hæreditatem magnis ſimultatibus, ca...s, rapinis, incendijs repetijt: quem & Mers...s ad monomachiam prouocare non dubi...u.t. Et tandem reconciliatus; magno auri ...ndere accepto, nonnulla ipſi prædia vnà ...s Aduocatia Gozecenſi ceſſit. Obijt Tiggeſteti A.C. 1120. ſepultus Halberſtadij.

FRIDERICVS II. Comes Sommerſenburgius, à patre Palatinatum accepit Saxoniæ. Vxor AGNES Henrici Ducis Luneburgij F.

HENRICVS in ætatis flore ſtatim poſt patrem mortuus: ſepultus Sulzæ.

FRIDERICVS III. ſacris deſtinatus, à fratris morte, ſacerdotio relicto, Palatinatum occupauit: vxoremque duxit N. filiam Comitis Serzonis: ſed non multò pòſt à Norberto Archiepiſcopo diris devotus: coniugio eiurato, monachum rurſus induit A.C. 1135.

GVILIELMVS puer obiit A.C. 1140.

ALBERTVS Palatinus Saxoniæ, obiit ...mus. A.C. 1153.

ADELHEIDIS Abbatiſſa Quedlinburgia, hæres ditionum paternarum; cum nubere recuſaret: Lotharius Imp. Comitatum Diterico Rochlicio, Dedonis filio, tradidit: eumque honore & titulo Palatini ornauit.

STEMMATIS VVITICHINDEI

Stirps III.

CAPETINA REGVM GALLIÆ.

A QVIBVS QVOQVE ORTI REGES QVIDAM NAVARRÆ, SICILIÆ & NEAPOLIS: itemque DVCES BVRGVNDIÆ, BRITANNIÆ, BORBONII, ALENCONII: COMITES denique MONTFORTI, ARTESIÆ, NIVERSIÆ, &c.

VVITICHINDVS III. VVitichindi Magni nepos Saxo Germanus, vir prudentia & virtute excellens: cum afflictam patris ſui fortunam videret & paternas opes tribus fratribus haud ſufficere poſſe putaret: domo ſua extorris, in Galliam Lugdunenſem militiæ exercendæ gratiâ profectus: auſpiciis Caroli Calui Imp. in Normannos mouit feliciter: à quo deinceps in præmium nauatæ operæ Andibus eſt præfectus. Vxorem duxit Gallicam.

RVPERTVS I. Andium Comes, in Galliis natus: primorum fortiſsimus, rei militaris peritiſsimus: ob virtutes heroicas, & res præclarè geſtas, alter Iudas Machabæus cognominatus: & à Carolo Imp. ducatu inter Ligerim & Sequanam donatus: Haſtingum Normannorum Regem, Nannetes, Andegaues, Pictones, Turones crudeliter deuaſtantem; ac in templo quodam, quod viæ hærebat, latitantem; cùm tota die vndique ſummis viribus oppugnaſſet: veſperique æſtus de labore impatiens auram captaret: ab hoſtibus de improuiſo erumpentibus; dum eos fugam ſimulantes, inermis, galeâ & lorica nudatus, incautiùs inſequitur; in acie occiditur vnà cum Ranulpho Aquitaniæ Duce A. C. 866.

OTHO

*ſiue VDO Dux Aureliæ, Comes An-
aucnſis, & Pariſiorum, Abbas S. Ger-
man. Carolo Craſſo mortuo, a Celtis Galliæ
unenſi impoſitus: & à Gulielmo Se-
Archiepiſcopo Rex (888) inunctus:
eam nomine annos adminiſtrauit
Normannos & Danos, fædere rupto
ancia bellum renouantes & Pariſioru
m ſecundò obſidētes, acerrimis erupti-
us caſtra mutare coegit multiſq; hoſtiu
is, urbem liberauit. Inſignia regia, innu-
meris depicta lilijs, primus ſumſit; ſimiliter
dum depictus vexillu: quæ Franciæ Reges
nceps retinuere, ad Carolum uſq; Sextū
nominis: qui rurſum induxit uſum in-
nium antiquorum, hoc eſt, trium dunta-
liorum. Obijt A.C. 898. 3. Ianuarij:
pultus Pariſijs ad S. Dionyſium.*

RVPERTVS II. Comes Andegauenſis, Dux Celticæ, Abbas S. Germani: Carolo Simplice in Galliis regnante; rebus nouis ſtudens, ſeque Regem (921) nominans: bello ab eo victus; profligatoque exercitu, haſta confoſſus periit prope Sueſſones A. C. 922. poſtquam regnum obtinuit annum plus minus unum. Sepultus in Dionyſiano. In eius vixit conſortio N. ſoror Heriberti Comitis Veromandui.

HVGO Magnus, Comes Andium & Pariſiorum, Abbas S. Germani, ab Arnulfo Imp Forchemij regni Arelatenſis conſtitutus Gubernator: Ludouico IV. Galliæ Regi infenſus redditus, quòd auunculum ſuum Comitem Veromanduorum tœdo affeciſſet ſuſpendij ſupplicio: Normannos ad bellum ipſi mouendum non ſemel incitauit. Quibus turbis ſedandis cū Otho I. Auguſtus in Galliam aduolaret, Regem liberaturus; hic eius inopinato aduentu ſpe ſua deiectus, Regis ſe poteſtati permiſit. Obiit ad villam Dordingam A. C. 94[illegible] 6. Iunij. ſepultus Pariſijs in baſilica B. Dionyſij. Vxores ei fuere duæ: ELIZABETHA F. Eduardi I Regis Angliæ ſterilis: & ADELHEIDA (alijs HEDVIGIS) F. Henrici I. Imp. Rom. ducta A.C. 938.

EMMA coniux Rudolphi Regi Burgundiæ & Franciæ.

HVGO CAPETVS ſiue SCAPLARIVS cognominatus, Comes Pariſienſis, Abbas S. Germani, Dux Francorum & Burgundiæ [illegible]: Othonem II. Imp. Pariſiorum urbem (977) obſidentem, quotidianis eruptionibus magno affecit dāmno, ... taque eiusdem expugnati ... circa Sueſsiones aggreſ... gnam ipſius exercitus ſtragem ... Ludouico Rege vltimo ex Carolo Magno poſteritate veneno necato, ... um in FRANCIAE REGNVM ... Carolo Lotharingiæ Duce, ... ore, capto; vi ac militum fa... illud acquiſitum (987) ad poſteros ſuoś

OTHO Dux Burgundiæ ex ſoceri Giſelberti teſtamento, cuius iam LVIDGARDIM uxorem habuit; obiit orbus. A.C. 965.

HENRICVS Andegauenſis, Othonis in Ducatu Burgundiæ ſucceſſor: ſuppetias ferens Lothario Regi Franciæ, copias Othonis II. Auguſti prope Lutetiam (977) fudit: qua victoria MAGNI cognomen meruit. Abſq; liberis deceſſit, ſui principatus hæredem teſtamento ſcripſit ROBERTum Regem Galliæ, ſuum ex fratre nepotem: A. C. 1001.

HVGO ſexennis à patre Remenſibus datus Archiepiſcopus ſed nec à Pontifice Romano, nec à clero receptus, Occupator duntaxat nominatus eſt.

ADELRICVS Artaldo Archiepiſcopo Remenſi ſurrogatus, fratre excluſo, A.C. 962.

BEATRIX coniux Friderici Comitis Barrhi.

EMMa nupta Richardo I. Duci Normāniæ anno 960. deceſſit ἄπαις.

c-piens; coronæ Francicæ eam coniunxit. Obiit A.C. 1060. poteſtatis ſuæ XXX. Sepultus in maiorum mauſoleo ad S. Dionyſium. Vxores eius memorantur duæ: prior N. neptis Henrici II. Auguſti, paulò poſt nuptias obiit *ἄπαις*: altera fuit ANNA F. Georgij Rufsiæ ſiue Moſcouiæ Regis.

PHILIPPVS I. Rex Francorum, nouennis patri ſucceſsit: vſus in initio tutore Balduino Flandriæ Comite. Biturigũ terras, Vaſtinum, & Montem Medianum ęre ſuo emptas, Franciæ regno acquiſiuit: poſteà voluptati & laſciuiæ ſe totum mancipauit. BERTHA náq; vxore legitima, (filia hęc erat Florentij Comitis Hollandiæ) repudiata, & Monſtrolium ad mare relegata: ſeptem annis cũ BERTHRADA Montfortenſi, tori conſorte Fulconis Andegauenſis, in adulterio vixit: quam inſano amore adeò deperiit, vt etiam ipſa inconſulta in publicis regni negotiis vix quicquam ſtatuere auderet. Obiit Meloduni 29. Iulij. A.C. 1109. ætatis ſuæ LIIX. regni XLIX. Sepultus in cœnobio S. Benedicti ſuper fl. Ligerim, antè aram maximam.

ROBERTVS ante patrem morte abſumptus.

HVGO Comes Veromanduorum, cum alijs proceribus bello Sacro, in Palæſtina geſto, duce Godefrido Bilionæo, interfuit A. C. 1099. Vxor ALEXIA Heriberti poſtremi ſuæ familiæ Veromanduorum Comitis filia & hæres.

RVDOLPHVS Senior, Comes Veromanduorum, Seneſcallus Angliæ: coniuge ELEONORA repudiata (qua de cauſa diris notatus eſt) duxit PETRONELLAM Guilielmi Pictauienſis Comitis filiam.

RVDOLPHVS Iunior, Comes Veromanduanus, ἄγαμος.

ISABELLA Veromandua, vxor Philippi Alſatij, Flandriæ Comitis.

ELEONORA quatuor ordine elocata viris: Godefrido Comiti Hannoniæ; Guilielmo Comiti Niuernenſi: Matthæo Bononienſi, Philippi Flandri germano: & Matthæo Comiti Bellomontano.

SIMON Epiſcopus Nouiodunenſis.

AVANTINVS Calmontis in Vegrino agro Dominus

HVGO Calmontenſis, Franciæ Conneſtabilis

MATHILDIS vxor Hugonis Bargoncij.

ELISABETH ex Roberto Mealentenſi Comite mater facta Roberti Gloceſtriæ Comitis in Anglia nupſit deinde Guilielmo Varanno Comiti Suriæ.

MARIA vxor Bonifacij Marchionis Montisferrati in Italia.

Liberi eius

ex BERTHA vxore legitima:

LVDOVICVS VI. cognom. CRASSVS, Francorum Rex coronatus Aureliæ à Daberto Archiepiſcopo Senonẽſi: finibus ſuis repulit Henricum V. Auguſtum: pro

CONSTANTIA à marito Hugone Comite Campaniæ propter ſanguinis coniunctionem ſeparata, & Bohemundo Principi Antiocheno, Roberti Guiſcardi primogenito, eſt elocata.

ex BERTHRADA pellice:

CAECILIA vxor primùm Tancredi, Bohemundi Antiocheni ex ſorore nepotis: deinde Petri Tripolitani in Syria Comitis: cuius pater Bertrandus ortus ex Comitum Toloſatium gente.

PHILIPPO pater conceſſit agrum Magdunenſem ad Eboram: vbi filiam Gualiberij Montisberienſis Domini vxorem duxit. Quem agrum ob ſuam perfidiam ipſi poſtea eripuit Ludouicus Rex. vitam gratioſè indulſit.

FLORVS.

Nor-

Normannia cum Henrico I. Angliæ Rege manus aliquoties conſeru
ædem D. Victoris Pariſiis erexit: vbi 1. Aug. A. C. 1137. deceſsit ſex
genarius: poſtquam regnaſſet annos XXIIX. Sepultus ad S. Diony
um. Vxores habuit duas: quarum priorem N. filiam Guidonis Con
tis Rupefortij, Franciæ Seneſcalli, Paſchalis II. Pont. Rom. inſtinc
ob neſcio quam ſanguinis coniunctionem, repudiauit: poſterior
LEXIA ſiue ARDELINA F. Humberti Moriennenſis Sabaudi,
monte martyrum ſepulta, parens ex ipſo facta eſt ſeptem liberorum

PHILIPPVS à patre in regni conſortium adſcitus, & Remis à Reinaldo Archiepiſcopo 15. Martij A C. 1129. coronatus: ſeſqui biennio ab hinc Pariſiis in ſuburbio ex caſu equi (porco inter illius pedes tumultuante) decidens; exanimatus eſt 13. Octobr. A. C. 1131. Sepultus in æde Dionyſiana.

HENRICVS I. monachus Clareuallenſis, pòſt Epiſcopus Bellouacenſis, poſtremò Archiepiſcopus factus eſt Remenſis.

PHILIPPVS Archidiaconus primò, poſtea Præſul Pariſienſis, eam dignitatem ceſſit virtuti doctrinaq; Petri Lombardi, Sententiarum Magiſtri.

CONSTANTIA nupſit Euſtathio Comiti Bononienſi, Stephani Anglorum Regis filio: deinde Reimundo Comiti Toloſano.

LVDOVICVS VII. cogn. IVNIOR, patre etiamnũ ſuperſtite, regni Frãciæ habenas ſuſcepit: coronatus Remis ab Innocentio II. Pontifice 26. Octob. 1131. Cum Conrado III. Imp. Rom. expeditionem Aſiaticam (1147) infeliciſsimo ſuſcep
ſidere: expertus totum iter periculis inſidiis
plenum, ob perfidiam Græcorum: qui cu
Turcis clanculum conſpirauerant. Qu b
difficultatibus ſuperatis; nullo licet memo
bili facinore edito, in Franciam reuerſus: vx
rem ELEONORAM (fuit hæc filia & hæ
Guilielmi Ducis Aquitaniæ Pictonumq; C
mitis, quæ terras illius dotis nomine ad ipſu
attulit) repudiauit propter adulterij & pr
ditionis ſuſpicionem: ſuperinducta CON
STANTIA Hiſpaniarum Regis Alpho
VII. filia: qua in puerperio extincta, ad tert
tranſiens nuptias, cõnubio ſibi iunxit ALIſa
F. Theobaldi Magni, Briæ & Campaniæ Comitis, Palatini Bleſen
Obiit Lutetiæ 29. Sept (alij 18. Sept.) A. C. 1180. ſexagenarius; po
quam ſummæ rei præfuit annis XLV. diebus quinquaginta. Sepult
in cœnobio Ciſtercienſi Barbeel dicto, à ſemet fundato.

ROBERTVS condi
COMITVM DRVIDE
SIVM. & BRITANNI
PRINCIPVM: de quib
infra Ramo V. & VI. pa
87. & 89.

PETRVS CORTENA
Dominos procreauit:
quibus infra Ramo I
pag. 85.

Liberi eius

ex ELEONOra Aquitaniæ Duciſſa:

MARIA vxor Henrici Largi, Comitis Briæ & Campaniæ.

ALISA ſiue Aalix vxor Theobaldi V. Com. Bleſenſis.

ex CONSTantia Hiſpana:

MAGARETA nupſit 1. Henrico, Henrici II. Regis Angliæ F. 2. Belæ Regi Pannoniæ.

ADELA.

ex ALISA ſiue AL
XIA Theobaldi M
gni Comitis Cam
niæ F. vxore poſtret

PHILIPPVS II. cognomento AVGVSTVS, vulgò quoque, quod Regi ætatem iam grandiori præter omnium ſpē & expectationem, ſingulari Dei beneficio datus crederetur, A DEO DATVS cognominatus: Remis ab auunculo Guilielmo Archiepiſcopo Rex Galliæ coronatus 1. Nouemb. A.C. 1180: ſub regni ſtatim auſpicia, ſeueriſsima ſcripſit edicta in diuini numinis blaſphemos: Iudæos & hæreticos regno ſuo exterminauit: Lutetiam multis ædificiis publicis exornauit, turribusque ac propugnaculis muniuit: ædem Virginis Deiparæ ibidē perfecit. Cum Richardo Anglo expeditionē (1196) in Palæſtinam ſuſcipiens: naufragium licèt paſſus, amiſſo nauium ſuarum magno numero; nihilominus ad Syriæ littus appellens, vrbem Ptolemaida occupauit: ſed peſte indies magis magisq; in ſuos graſſante, cùm inſuper Anglo diffideret, domum remeauit: nec multo pòſt bellum inter vtrumq; Regem exarſit. Richardo motuo (1199) cùm in regno ſucceſsiſſet Ioannes, Sine terra cognominatus, occiſo nepote Arthuro Comite Britannæ: hanc eius cædem Philippus Rex tam acerbè vindicauit, vt armis illi eriperet prouincias (1203) Normanniam, Aquitaniam, le Maine, Andegauum, Pictauiam & Aruerniam: Imperatorem Othonem IV. qui fœdus cum Anglo pepigerat, (1214) fugauit: Ferrandum Flandrum cum Comite Dammatrino captiuos Lutetiam abduxit. Medeunte morbo abſumptus 14. Iulij, A.C. 1223. ætatis ſuæ LVII. quem menſibus exceſsit decem, diebus XXII. cùm annos imperaſſet XLI. menſes decem, tribus duntaxat demptis diebus. Sepultus Pariſiis in Dionyſiano. Vxores ei fuere tres: quarum ISABELLA F. Balduini III. Comitis Hannoniæ eam regionem, quæ nunc Arteſia vocatur, dotis nomine ipſum attulit: mortua Lutetiæ 20. Febr. A.C. 1189. ibidemque in ſummo templo ſepulta. Cum altera ISEMBERGA ſiue GELBERGA ſorore VValdemari Regis Daniæ, conſanguinitatis prætextu fecit diuortium iuſſu Guilielmi Cardinalis: quam intra tertium menſem in Stamparum arcem concluſit. Eam tamen poſt vxoris tertiæ repudium, decreto Innocentij III. Pp. Rom. reduxit. Fuit ea AGNES F. Bertholdi IV. Ducis Meraniæ, Dalmatiæ, & Iſtriæ: quæ ob repudium ex mœrore animique indignatione, Poſsiaci in exilio vitam finiit A.C. 1201.

ADELA deſponſata quidem eſt Richardo I. Regi Angliæ; ſed nupſit Guilelmo Comiti Pontiuano.

AGNES vxor Alexii Emanuelis, Imp. Byzantini.

Liberi eius

ex ISABELLA Hannoniæ Comitiſſa:

LVDOVICVS IIX. cogn. MITIS, Rex Francorum, viuo adhuc patre, Henrico III. Angliæ Regi armis multa ademit: totamque Andegauenſem ditionem in patris poteſtatem redegit. Ab Anglis, à

ex AGNETE Iſtriæ Duciſſa:

PHILIPPVS Comes Bononienſis, Comitatum à patre accepit Claromontanum. Princeps fuit coniuratorum contra S. Ludouicum Regem adhuc impuberem: in cuius priore expeditione Aſiatica periit A.C 1249. Deſponſata ipſi erat AGNES F. Goteſridi Gennabenſis, & Mathildis An-

MARIA deſponſata Arturo Comiti Britanniæ: eo ante diem nuptiarum extincto, nupſit Philippo Namurcenſi, fratri germano Balduini Imp. Byzantini, & inde Henr. Duci Lothar.

Rege

Rege ſuo Ioanne deficientibus, ad regnũ (1216) accitus: valido inſtructus exercitu, Londinum perrexit: vnde tamen paulo pòſt, perfidiam Anglorum pertæſus, in Franciam rediit. Regno Francico ſuſcepto, cum Cæſare Friderico II. antiqua renouauit (1224) Germanorum Gallorumque fœdera: Auc nione tandem capta, Montpenſerij obiit 12. Nouemb. 1226. annos na tus XXXIX. menſes duos, dies ſex: poſtquam à patris obiit rem tenu it Gallicam annos tres cum quatuor menſibus. Sepultus in Dionyſian cũ vxore BLANCA Alphonſi IIX. Caſtallæ Regis filia, mortua 125c

tiſiodorenſis: ſed ea deſerta, duxit MECHTI DEM filiam & hæredem Reginaldi Comitis B nonienſis & Dammartinei.

IOANNA nupſit (1236) Gaucherio Caſtilion S. Agnani Domino: qui & ipſe in prima S. L douici Regis expeditione (1248) oppetiit ipſa autem vidua ante matrem obiit abſque prole.

PHILIPPVS in flore adoleſcentiæ defunctus: & Lutetiæ in æde Mariana ſepultus.

IOANNES ſponſus IOLæ Dreuſiæ. Petri Britanniæ Comitis filiæ: ante nuptias extinctus.

ALPHONSVS Comes Pictauienſis & Toloſanus, in fratris expeditione Saracenica (1248) ad Faramiam captus. Vxor IOANNA Raimundi Toloſani F. vnica, &c.

ISABELLA deſponſata Hugoni F. Hugonis Luſignani, Comitis Marcæ & Angoliſmorum ſed cœnobium S. Clodoldi ingreſſa, vitam profiteri cœpit monaſticam.

LVDOVICVS IX, à religioſa pietate celebris, ideoq; SANCTVS cognominatus: duodecennis Celtarum Rex inunctus Re mis 29. Nouemb. 1226. Angliæ Regem Henricum III. ob Normanniam & Andegauum bellum ſibi inferentem (1226) fugauit: pacem petere adegit. Multa paſsim Oratoria extruxit ſcholas publicas non paucas erexit: quarum i numero eſt Collegium Sorbonnæ (1236) i vrbe Pariſiorum: multaque alia ad regni adminiſtrationem ſpectan tia, tàm piè quàm prudenter ordinauit. Duas contra Saracenos Ægy ptios & Africanos ſuſcepit expeditiones: religioſo quidem inceptu ſed exitu admodum aduerſo. In priore (1248) Damiatam, quæ eſt Pe luſium (1249) expugnauit: verùm longiùs inde in Ægyptum progreſ ſus: multis ſuorum amiſsis & captis, ipſe quoque cum fratribus ab ho ſtibus (1250) eſt interceptus. Damiata tamen reddita, & λύτρῳ perſolu to dimiſſus, in Franciam rediit. In altera (1270) Carthagine primo ad uentu expugnata, in vrbis Tunetanæ obſidione, ventris profluuio ex tinguitur 25. Aug. anno ætatis ſuæ LVI. poſtquam ad clauum ſediſſe annos XLIII. menſes nouem, dies XII. Corpus in Gallias relatum, Lu tetiæ in Dionyſiano eſt conditum. Vxor eius MARGARETA F. Rai mundi Berengarij Comitis Prouinciæ Phocenſis, Franciſcanos & æ dem S. Marci ad Lutetiam fundauit: vbi vitam vidua exegit: mortua A. C. 1285.

ROBERTVS Comitum ARTESI conditor. Vide Ramum VII pag. 93.

CAROLVS Andegauenſis, REGVM NEAPOLIS progenitor. Vide Ramum IIX. pag. 94.

LVDOVICVS deſponſatus Berengariæ Alphonſi X. Regis Caſtellæ filiæ: ætatis ſuæ anno ... ſepultus in templo Malobuiſſonenſi ad Pontiſeram.

PHILIPPVS III. cogn. Audax, in caſtris Tunetanis (1270) Rex Frã-

ROBERTVS Comes Claromontanus, conditor DVCVM BORBONIORVM. Vide pag. 75.

PETRVS Comes Alençonij auxiliares ducens copias in Italiam contra Siculos a Carolo deficientes: in Apulia obiit A. C. 1282. Vxor IOANNA

corum

NES cogn. Triſtanus, quòd … captiuo eſſet natus in obſidione Tuneti (1270) peſte extinctus paulo ante patrem: anno ætatis … I. excoſ. Vxor IOLE Comi… Burgundiæ & Niuerſii, ex… nupſit Roberto Comiti Flandriæ.

BLANCA poſt mortem mariti … Ferdinandi de la Cerda, monaſtice profeſſa Lutetiæ in æde S. …

… ISABELLA nupſit Theobaldo … Regi Nauarræ.

MARGARETA nupſit … I. Duci Brabantiæ.

AGNES vxor Roberti III. Duci Burgundiæ.

corum ſalutatus: anno inſequēti 29. Sept. Remis eſt conſecratus. Princeps pacificus: vtpote qui multas lites ac diſcordias vicinorum principum ſumma diligentia compoſuit: quo item mediante, inter Venetos & Genuenſes induciæ quinquennales ſunt factæ. Petrum Brochium cubicularium ſuum ſuſpendio mulctauit: partim quòd Reginā falsò accuſauerat: partim quòd Regis ſui conſilia cum hoſtibus Hiſpanis communicauerat. Genua tandem & Girona vrbibus expugnatis, in Galliam reuerſus: deceſſit apud Perpinianum 23. Septembris A. C. 1285. regni XV. die XXIX. Sepultus in Dionyſiano. *Liberi eius*

Ioannis Comitis Bleſenſis F. 4

MECHTILDIS Alenconia, Comitiſſa Bloſii & Carnutum: dominia Auennæ & Renoranii cū Comitatu Bleſenſi attulit in dotem Hugoni marito. Alenſonia autem ditio ad Regem rediit: quòd in ea ſibi hæres eſſe noluit.

ex ISABELLA Iacobi I. Aragoniæ Regis F. quæ Carcaſſonam dotis nomine ad ipſum attulit: & ex Africa reuerſa grauida, obiit in Apulia A.C. 1270. vxore priore:

ex MARIA Henrici Ducis Brabantiæ F. quæ priuigno primogenito procuraſſe mortem falſò inſimulata, veneno periit:

LVDOVICVS Comes Eboracenſis. Vide Ramum IX. pag. 100.	*MARGARETA vxor Eduardi I. Regis Angliæ.*	*BLANCA nupſit primùm Ioanni Namurcenſi, Hannoniæ Comitis; dehinc Rudolpho Auſtriaco Bohemiæ Regi deſponſata, paulo pòſt deceſſit Viennæ A. C. 1299.*

1 *LVDOVICVS veneno ſublatus iuuenis, & in Dionyſiano ſepultus A.C. 1275.*

PHILIPPVS IV. cogn. Pulcer, Rex Franciæ *coronatus A. C. 1286. 6. Ianuarii: habuit in matrimonio IOANNAM filiam ac hæredem Henrici Nauarrai: cui defuncto in regno ſucceſſit. Princeps magnanimus ac bellicoſus. Guidonem Dampetrum Flandriæ Comitem, Eduardi Angliæ Regis partes fouentem, bello (1297) deuicit: captiuum cum duobus filiis abduxit: præcipuasq; Flandriæ vrbes præſidio impoſito retinuit. Non multo pòſt contra Flandros, qui defectione (1300) facta præſidiarios eius milites in lectulis ſuis oppreſſos trucidarant, inauſpicatò exercitum ducens: ad vrbem Cortracum (1303) magnam ab eis accepit cladem, ſuorum amiſſis quàm plurimis: qua tamen irritatus magis quàm fractus; viribus redintegratis eos ad montem Piaurum iterum [1304] aggreſſus, ad triginta hoſtium millia cecîdit; ac pacem orare adegit. A Bonifacio IIX. Pontifice Rom. abſque cauſa excommunicatus: ſynodum regni procerum coegit: in qua Pontificem ipſum hæreticum pronunciauit. Obiit in venatione ex lapſu equi 29. Nov. A.C. 1314. ſepultus Pariſiis in baſilica B. Dionyſii. Coniux verò decennio ante maritum Regem 2. Aprilis defuncta, Lutetiæ in æde Franciſcanorum eſt condita.*

LVDOVICVS X. Hutinus, poſt matris obitum Rex Nauarræus inauguratus 1. Oct. 1307. Pompelonæ: patri quoq; defuncto in regno Franciæ ſucceſſor datur; coronatus 27. Iunii 1315. Iudæis liberum in Galliam cōceſſit reditum: Petri Archiepiſcopi Lugdunenſis, regiam ſibi ſumentis iuriſdictionem, conatus repreſſit: Engueranum de Marignio Comitem Longauillanum, regii ærarii præfectū, peculatus accuſatum, fe-

tiſsimo ſuſpendij ſupplicio necauit: Flandris rebellantibus pacis conditiones, q… ipſe voluit, dedit. Ad Vicennarum ſaltum deſunctus 5. Iunij 1316. annos na… XXV. menſes octo, diem vnum: Sepultus in Dionyſiano.

Liberi eius

ex MARGARETA Roberti Ducis Burgundiæ F. quam in adulterio deprehenſam, in carcere fame necauit A.C. 1313.	*ex CLEMENTIA Caroli Martelli Regis Vngariæ F. ſepulta Luteciæ ad Franciſ… ano…*

IOANNA Regina Nauarræ, nupta Philippo Eboracenſi, regnũ ad ipſum attulit.	*MARGARETA vxor Ludouici Malani, Comitis Flandriæ.*	*IOANNES Poſthumus, infans d… rum octo in cunis extinctus 25. Iun… 1316: ſepultus Pariſijs iuxta p…*

2. PHILIPPVS V. cogn. Longus, Pictauorum Comes, fratri in Franciæ regno ſ… rogatus 9. Iulij 1316. neſcio quid inſoliti tributi exigens, à ſubditis impet… are n… potuit. Sub eius regimine peſtis orta (1320) per totam Galliam, fontibus a… … veneno corruptis à lepra infectis hominibus: qui ad id facinus perpetrandum, Iudæis mercede erant corrupti: cuius ſceleris quidam conuicti, merita luerun… ſupplicia. Obijt 2. Ianuarij A.C. 1321. regni ſui quinto: ſepultus in Dionyſiano. V… xor IOANNA F. Othelij Comitis Burgundiæ, ad Franciſcanos ſepulta.

LVDOVICVS puer extinctus, & Luteciæ in æde Franciſcanorum ſepultus.	*IOANNA vxor Ottonis Ducis Burgundiæ.*	*MARGARETA vxor Ludouici Comitis Flandriæ & Niuerſii.*	*ISABELLA nupſit Guidoni Comiti Albonenſi Delphino Viennenſi.*	*BLANCA monialis in cœnobio Longicampi, obiit 26. April. 1358.*	*MARI… vxor Huber… ti Delphin… Viennenſis.*

MARGARETA vxor Philippi Audacis, Ducis Burgundiæ.

3. CAROLVS IV. cognom. Pulcer, ex Comite Marchæ Francorum Rex inaugura… tus 6. Ianuarij 1321: ſolenni ceremonia Remis eſt coronatus 11. Februarij: iuſti… tiæ patronus acerrimus, ſeuerè in homines nefarios animaduertit. Primus R… g… Galliæ Papa decimarum partem conceſsit (1327) in ſumtus belli contra Ludouic… Boium Cæſarem. Ad ſaltum Vicennarum defunctus 1. Febr. 1328. ſepultus i… Dionyſiano. Annos regnauit VIII. dies XXVI. Vxores eius: 1. BLANCA O… thelij Comitis Burgundiæ F. ob adulterium repudiata, & in arce Gaillardi (1313 … carceri incluſa: 2. MARIA Lucemburgica, Henrici VII. Imp. Rom. F. mor… in abortiuo partu filia BLANCA, quæ illicò matris fata poſt acceptum bapt… … eſt inſecuta; ſepulta in æde monialiũ S. Dominici ad Montargiu: 3. IOANNA Lu… douici Eboracenſis F. obiit 4. Mart. 1327. in Dionyſiano ſepulta. Hæc nata … nt

MARIA immatura ætate mortua.	*BLANCA Poſthuma, vxor Philippi Franci Ducis Aurelianí.*

4. ROBERTus duodecennis obiit, ſponſus CATHARinæ filiæ Friderici Regis Siciliæ

5. MARGARETA.

6. ISABELLA vxor Eduardi II. Regis Angliæ.

7. BLANCA puella obiit.

3. ROBERTVS immaturæ ætate mortuus.

CAROLVS, Philippi III. Franciæ Regis F. primus Valeſiorum & Alenconi… Comes, Princeps ſine terra vocitatus: Philippo Pulcro fratri vniuerſam pe… nè Flandriam ſubegit. Exercitu quoq; in Aquitaniã ducto (1323) contra An… glos, qui contra fœderis conditiones feciſſe dicebantur, eripuit eis Burdegalan… vrbem primariam, magnamq; Aquitaniæ partem. Eum Papa, regno Aragoni… Valentiæque vna cum Comitatu Barcinonenſi ipſi tradito, Regem dixit: cu… tamen poſtea ex pacto conuento pacis cauſa renunciauit. Obiit 1. Ian. 1325: i…

æd…

æde Iacobitarum ſepultus. *Liberi eius XI.*

ex CLEMENTIA Caroli II. Regis A- a filiá cum qua ... ium Cenomã ... mque accepit ... itatus; vxore ... a:

ex CATHARINA, Balduini I Imp Byzantini ex filia Philippo nepte, cuius ergò Constantinopolitanum ſe ſcripſit Imp vxore media:

- *CATHARina Imperatrix Byzantina, Hugoni VI. Duci Burgundiæ deſponſata: verùm nupta Philippo Siculo Duci Achaiæ & Tarenti.*
- *IOANNA deſponſata Carolo Tarentino ſed nupta Roberto III. Comiti Arteſio.*

ex MECHTILDE Guidonis Caſtilionæi, Comitis S. Pauli, & ſummi Franciæ à poculis F. vxore poſtrema:

- *LVDOVICVS Comes Alenconius, innuptus. Comitatus ad Carolum fratrem deuolutus eſt.*
- *ISABELLA deſponſata Ludouico Comiti Niuernenſi, ſed nupta Petro I. Borboniorum Duci.*

PHILIPPVS Valeſius, eius nominis Sextus, Caroli Pulcri Re... agnatus proximus, de præſcripto legum Salicarum, quæ fœminam ad regnum Francicum non admittunt, excluſo Eduardo Angliæ Rege, Caroli ex ſorore nepote, a proceribus Rex Galliæ electus; ſolenniterque coronatus eſt 29. Maij. A. C. 1328. Remis à Gulielmo Triano Archiepiſcopo: id quod ſeminarium fuit belli Anglici. Sub regni autem limine 24. Aug. eiuſdem anni, Flandros, qui à Principe ſuo Ludouico defecerant, ad Caletum cruento proſtrauit prælio: deuictosque ſub obedientiam ſui principis redegit. Cum Anglis poſtmodò, da... iuramenti oblitis, infelicíſsimè congreſſus: ad Cluſium amnem A. C. 1340. 24. Iunij naues fermè omnes; ad Creſciacum verò A. C. 1346. ... Aug. Carolum fratrem germanum, cum triginta millibus ſuorum ... didit: & in his Ioannem Bohemiæ, Petrum Nauarræ Reges, Rudol... Ducem Lotharingiæ, IV. Epiſcopos, XXIIX. Comites, aliosque ... ima nobilitate quàm plurimos. Cumque annos regnaſſet XXII. ... menſibus; Nogenti deceſsit 28. Auguſti A. C. 1350. Sepultus ad S. Dionyſium.

CAROLVS Alenconij Comes. Vide Ramum X. pag. 101.

IOANNA poſt mortem Guilielmi III. Comitis Hollandiæ fata, Fontanellæ monaſticam profeſſa eſt vitam

MARIA vxor Caroli Ducis Calabriæ.

MARGARETA nupſit Guidoni Caſtilionæo, Comiti Bleſenſi.

ISABELLA puerili ætate in Abbatia Valeriana ſepulta.

ISABELLA altera, Monialis Poſſiaci.

Liberi eius

ex IOANNA filia Roberti Ducis Burgundiæ, in Dionyſiano ſepulta A. 1348, vxore prima:

ex BLANCA Philippi Regis Nauarræ F. ducta 1349. 29. Ianuarij:

IOANNA deſponſata Ioanni Duci Geronenſi. nuptias celebratura in Hiſpaniam contendens, deceſsit Betiris A. C. 1361. Ibidem ſepulta.

IOANNES Valeſius, Dux Normaniæ, patre defuncto, ad regnum Franciç adſcitus, & Remis coronatus 25. Sept. 1350. Burgundiam, principũ ſuorum cognatorum interitu deſolatam, Francico regno coniunxit iure

- *LVDOVICVS infans XIV. dierum in cunis extinctus A C. 1330.*
- *PHILIPPVS Dux Aurelianenſis innupt. Vxor BLANCA Caroli Pulcri Regis Galliæ poſthuma.*
- *MARIA nupſit N. Duci Brabantiæ.*

hære-

hæreditario. Quæ copulatio lites peperit, & bella longa ac difficili. quibus certatum eſt vſque ad Caroli V. Imp. Rom. tempora. Prim autem litem Ioanni mouit de Comitatu Campaniæ (1355) Carol Rex Nauarræ, ipſius gener: quem ideo de regno affectando ſuſpectu habens, carceri mancipauit. Non multò pòſt (1356) Anglis, quos Ph lippus captiui Regis frater euocauerat, in Aquitania obuiam procede inauſpicatò cum illis conflixit. Ipſe namque non procul vrbe Pictc num acerrimo ab eis prælio victus: cum Philippo F. plurimiſque Francica nobilitate captiuus in Angliam abductus; ſuorum ſex mill bus & ampliùs deſideratis: poſt quadriennij tandem captiuitatem datis obſidibus, (1360) liber in Franciam rediit: quorum liberandc rum gratiâ exinde in Angliam reuerſus; Londini diem clauſit extre mum 27. Martij A. C. 1364. cùm annos regnaſſet tredecim, menſe ſeptem, dies quatuor. Corpus exanime in Franciam relatum, in Dio nyſiano eſt ſepultum. Vxores habuit duas: IVTHAM, à Gallis voc tatam BONAM, Ioannis Regis Bohemiæ F. ductam A. C. 1329: i Abbatia Malobuiſſonenſi tumulatam A. C. 1348. & IOANNAM Bononienſem, Philippi Ducis Burgundiæ viduam, ἄπαιδα.

CAROLVS V. Valeſius, cogn. SAPIENS, primus è regiis filiis Fráciæ Delphinus: paterni regni hæres & ſucceſſor: coronatus Remis cū vxore 19. Maij 1365. Rex bello felix: quippe qui omnia ferè, quæ patri ab Anglis erepta erant, (1370) recuperauit. Aſsiduis hiſce bellis cum Anglis exhauſto ærario; noua ſubditis imponere tributa neceſſe habuit; ſalis præterea & vini exigere vectigalia: cæterùm Rex pius, eruditorum Mecœnas, iuſtitiæque patronus eximius. Anno regnauit XVI. menſes quinque, dies XX. Obiit 16 Septemb. 1380. Bel tæi ad Matronam: ſepultus Lutetiæ in Dionyſiano cum vxore IOAN NA, Petri I. Ducis Borboniæ filia, quæ mortem mariti biennio ante uerterat in puerperio filiæ Catharinæ, A. C. 1378. 6. Februarij.

LVDOVICVS Valeſius, Dux Andegauenſis. Vide Ramum XI pag. 102.

PHILIPpus Valeſius, Dux Burgundiæ. Vide Ramum XII. pag. 104.

IOANNES Valeſius, Dux Biturigū & Auerniæ, Comes Pictauienſis: vir ſapiens, & beneficus erga Eccleſiam: obiit A. C. 1416. Biturigibus ſepultus. Vxores eius duæ: IOANNA Armeniaca: & IOANNA Bononia & Auerniæ Comitiſſa, ſterilis.

MARTHA vxor Roberti, Henr. ci Barrenſis Duc primogeniti.

IOANNA vxor Caroli Ambuſ. Regis Nauarræ.

ISABELLA vxor Ioannis Galeac Ducis Mediolanen ſis.

MARGARET virgo Veſtal in cœnobio Poſ ac

IOANNes Comes Mompenſerius, ex duabus coniugibus, CATharina Caroli V. Galliæ Regis filia, & ANNA Ioannis Borbonij, nihil liberorū tulit.

MARIA Bituricà nupſit 1. Ludouico Caſtilionen, Guidonis Comitis bloſienſ. lio: 2 Philippo Artiſio Franciæ Conestabili. 3. Ioanni Duci Borbonio.

BONA Biturica vxe Amedi Comitis Saba di. 2. Bernardi Arme ni cui peperit BON Carolo Valſio ſociatam

Libe

Liberi eius VII.

1. CAROLVS *Valeſius*, eius nominis Sextus, *Benenatus* cognominatus, quòd Lutetię in æde S. Pauli eſſet editus 3. Decemb. A.C. 1368. Patris defuncti in regno ſucceſſor: duodecennis propter tutorum diſcordias, 4. Nouem. Rex conſecratus: temporis ſucceſsu rurſum induxit vſum inſignium trium Liliorum, quæ inſtituerat Clodouæus, primus Regum Francorum Chriſtianus. Flandros biennio poſt coronationem (1382. 21. Nouemb.) cruento vicit prælio: hoſtium viginti millibus trucidatis. Iniuriam vlturus, Oliuerio Cliſonio regni ſui Comeſtabili illatam à Petro Domino Caronio & Duce Britanniæ: in Britanniam profectus, alienatæ mentis valetudine laborare cœpit. Quā ob rem Ioannes Biturigum & Philippus Burgundionum Duces, Ipſius patrui, regnum denuò tutorio nomine adminiſtrarunt: quod tumultuantibus Gallis, inprimis verò Ioanne Burgundo, Angli prælio ad Azincurium (1415) victores occuparunt. Febre quartana extinctus A. C. 1422. 21. Octobris: quo eodem die ante annos XXVII. cum Richardo Anglo inducias pepigerat. Sepultus in Dionyſiano quinquagenario maior annis quatuor, demptis XLIII. diebus. Vxor ELISABETH, Gallis ISABELLA vocitata, F. Stephani Ducis Bauariæ: fœmina fortunæ, ſi Reginam conſideres, tenuis & pauperis: quippe quę ſub Anglorum, Lutetiam obtinentium, principatu degens; eorum arbitratu vitam egit priuatę fœminæ non abſimilis: ex mœrore animi deceſſit 30. Sept. A.C. 1435. Eius cadauer, quatuor tantùm comitibus naui aduectum, apud S. Dionyſium abſque vlla pompa eſt ſepultum.

CAROLVS natus A.C. 1391. nouennis ex febre hectica deceſſit A.C. 1400. ſepultus in Dionyſiano.

MARIA nata A.C. 1392. promiſſa Henrico V. Regi Angliæ, ſed monaſterium Poſsiacenſe ingreſſa, ibidem Prioriſſam egit.

IOANNA nupſit Ioanni VI. Duci Britanniæ.

MICHAELA ſeu Micaella, vxor Philippi Boni Ducis Burgundiæ, nata 13. Ianuarij A.C. 1394.

LVDOVICVS Dux Aquitaniæ, & Delphinus Viennēſis, natus A.C. 1396. Obiit ἄπαις paulo poſt pugnā ad Azincurtum A.C. 1415. 24. Septembris Vxor MARGARETA F. Ioannis Ducis Burgundiæ.

MARGAReta deſponſata Ioanni V. Duci Britanniæ, ante nuptiarum diem naturæ ſatiſfecit.

MARia conſors Gulielmi II. Ducis Bauariæ, & Comitis Hollandiæ.

ISABELLa poſt Richardi II. Regis Angliæ fata, nupſit Carolo Duci Aurelianenſi.

CATHarina nupſit Henrico V. Regi Angliæ, & poſt eum Ouino Tyderio ſiue Teuthero viro nobili è VVallia oriundo.

IOANNes Dux Turonenſis, & poſt Ludouici fratris obitum Delphinus Viennenſis obiit ἄπαις 6. Apr. A.C. 1417. In huius vixit matrimonio IACOBA Gulielmi II. Bauariæ, Hollandiæ, Hannoniæ, & Zelandiæ Principis F.

CAROLVS *Valeſius*, eius nominis *Septimus*, natus A.C. 1402. 27. Febr. patre defuncto, *Rex Frācorum* inauguratus, nulla habita ratione ſponſaliorum quę inter Henricum Angliæ Regem, & Catharinam huius germanam contracta iam antè fuerant. Sed quoniam Angli regni maiorem partem obtinebant: Carolo vero reliqui fermè nihil eſſet, præter Pictauienſem & Barrenſem ditionem: ab eis per ludibrium nuncupatus eſt Rex Biturigum. Hos ergo, cùm omnia populabundi paſsim deuaſtarent; & iam proſpero fortunæ zephyro adiuti, nihil ſibi non pollicerentur: ſexto regni ſui anno

(1428)puella duce,armis victricibus Francia eiecit: paternoque principatu re-
cuperato, Remis demum coronatus eſt 7. Iulij A.C. 1429. [Erat autem puel-
la hæc IOANNA, Iacobi Arxi & Iſabellæ Valteuriæ F. nata Dumptinii a
Moſam: quæ ſexum virilem ſimulans, tanta animoſitate arma tractauit vt ſt
biliendo Caroli regno Angliſque Franciæ expellendis, cœlitus demiſſa vulg
credita fuerit. Hæc tandem e Compendienſibus eruptionem faciens in hoſt
(1430) capta: & in foro Rotomagenſi igne cremata eſt.] CAROLVS autem
Rex cum regnum ſuum pace firmaſſet. Galliamque annos rexiſſet triginta ſe
ptem, & menſes nouem, cum biduo: Magduni ad Ebotam deceſsit 22. Iulij
A.C. 1460. ſeſquibiennio minor quinquagenario. Sepultus ad S. Dionyſiū c
vxore MARIA, Ludouici II. Andium Ducis ac Regis Siciliæ filia, defunct
A.C. 1463 menſe Ianuario.

PHILIPPVS natus Chionij 4. Feb. 1435. obiit ſeſquibimus.

CAROLVS Dux Aquitaniæ & Biturigum, caput & fax belli à proceribus ob Reſpub. bonum (vt ipſis quidem videbatur) Ludouico XI Regi illati A.C. 1464. Deſponſarat ſibi IOANNAM Henrici IV. Caſtellæ Regis F. ſed in ipſis ſponſalibus veneno, quod Abbas quidem Regis iuſſu ipſi propinarat, apud Burdegalam extinguitur 12. Maij 1472

LVDOVICus XI. Valeſius, patre ſuperſtite, quaſi exul agebat apud Burgundiæ Ducem, principem agnatū: parentis morte comperta, inde mox in Franciam regreſſus: Rex in vrbe Remenſi coronatus eſt 15. Auguſti A.C. 146 . Regni ſui initio cum domeſticos miniſtros, quorū fideli opera parens vſus fuerat, omnes loco mouiſſet; ſuffectis in eorum locum vilis conditionis hominibus: bellū ipſi à procerib. (1464) eſt motum: quoad Montericum victus, omnes quos loco mouerat, in priſtinam reſtituere dignitatem eſt coactus Bellum quoque non ita multò pòſt (1470) ... mouit Carolus Burgundus; cuius potentia Reg ... erat ſuſpecta: pacemque ac fœdus ab ipſo debellato extorſit. Poſt cuius ... (1477) Ludouicus Rex Flandriam & Burgundiam iterum occupare conte...
dens: à Maximiliano Cæſare rurſus (1479) acie victus, cedere eſt coactus. P...
ſiaci tandem ad Turones obiit 30. Auguſti A.C. 1483. ſexagenario mi...
menſibus decem, diebus quinque: poſtquam rem Francicam tenuit annos
XXIII. cum XXXIX. diebus: ſepultus Pariſiis in æde B. Mariæ Clericanæ. Ce-
terùm Princeps fuit ἄμουσος, literiſque ac literatis adeo infenſus; vt Carolo fi-
lio linguæ Latinæ cognitionem interdiceret: infidus præterea cui nihil tam fa-
miliare fuit, quam ex vſu & commodis ſuis ſine diſcrimine fidem fallere qui-
buslibet; inprimis vero agnatis principibus: quos ceu nimium potentes & fa-
ctioſos, numero viribusque deminutos aut extirpatos cupiebat Vxores ...:
1. MARGARETA Iacobi Regis Scotorum F. Turoni ducta 1436. 25. Iu...,
obiit ἄπαις in Catelaunis A.C. 1445: condita in ſummo templo. 2. CARO-
LOTA Amedæi Ducis Sabaudiæ F. ad maritum ſepulta 1484.

RAGVNDIS Sigismun... Auſtriaco promiſſa, ante nuptiarum diem obijt.

YOLANTHA vxor A...medæi Ducis Sabaudiæ.

CATHARINA decennis nupſit Carolo Au...daci, Duci Burgundiæ: mortua & ſepulta Bruxell .

IOANNA dicata Io...anni II. Duci Borbonio.

MAGDALENA Ade... Ladislao ſponſata Regi Vngariæ & Bohemiæ: e... ante nuptiarum diem ex...tincto, nupſit Gaſtoni Principi Viennenſi, Gaſtonis Fe...cenſis filio.

Liber

Liberi eius ſex:

IOACHIMVS in pueritia ſepultus Amboſiæ apud Franciſcanos. *FRANCISCVS natus A.C. 1472. in pueritia extinctus Amboſiæq; apud Franciſcanos ſepultus.*	CAROLVS IIX. Valeſius, cognomento Gibboſus, Rex Franciæ, natus Amboſiæ 30. Iunij 1470. iuuenis alacer & feruidus, atque ex aſſentatorum applauſu ſpebus ampliſsimis, eximiæque	*LVDOVICA puella mortua.* *ANNA vxor Petri II. Ducis Borbonij.* *IOANNA à marito Ludouico XII Rege Galliæ, repudiata.*

gloriæ cupiditate inexplebili inflammatus: cùm domi pacata videret omnia: animum ad recuperationem regni Neapolitani adiecit: quod ad ipſum ſpectare dicebatur ſucceſsione Renati Andegauenſis. Quę res ex animi ſententia ipſi ſucceſsit. Nam celeri & incruenta victoria (1494) Aragonios regno iſto exegit: Gilbertum Mompenſeriū regni Gubernatorem conſtituens. In reditu vbi trіplici exercitu, Romanorum nempe, Venetorum, & Mediolanenſium, iter ipſi ad Foronouum præcluderetur: generoſo pectore medias hoſtium phalanges, magna illorum ad Tarrum amnem facta cæde, armatus perrupit: incolumisque in Galliam remeauit. Eadem hac victoria liberauit quoque Ducem Aurelianensem, Nouariæ obſeſſum. Non multò pòſt cognita regni Neapolitani deditione; Amboſiæ præpropera morte extinguitur, nullis relictis liberis, 7. Aprilis A.C. 1497: ſepultus ad S. Dionyſium Lutetiæ. Annos vixit XXVI menſes IIX. dies XXIV: regnauit annos XIII. menſes VII. dies X. Deſponſatę ipſi erant 1. ISABELLA Eduardi IV. Regis Angliæ F. 2. MARGARETA Auſtriaca, Maximiliani I. Imp. F. ſed quibus ſpretis, rapuit Maximiliani ſponſam ANNAM filiam & hæredem Franciſci II. Ducis Britanniæ, quo matrimonio Britanniam regno Franciæ vniuit. Ex hac nati ipſi tres mares, totidemque fœmellæ.

FRANCISCVS natus 1472. in pueritia [illegible], & Amboſiæ ad Franciſcanos [illegible]. *[illegible] duo [illegible] in cunis extincti.*	*LVDOICA puella mortua.*	*ANNA vxor Petri II. Ducis Borbonij.*	*IOANNA nupta Ludouico XII. Galliarum Regi: tandem ab ipſo repudiata.*

IOANNA BONA obiit antequam pater obtineret regnum: ſepulta in æde S. Antonij Campani.

IOANNA nata 2. Iulij 1366: obijt in cunis eodem anno 12. Decemb.

MARIA nata 25. Febr. 1370. deſponſata Gulielmo Boio, Hollandiæ Comiti, ante nuptiarum ſolennia hominem exuit.

ISABELLA nata 25. Iulij 1373. deſtinata Ioanni I. Duci Alenconio, obiit 13. Februarij 1377.

6. *CATHARINA nata 1377. 4. Februarij: promiſſa Ruperto Duci Bauariæ, ſed nupta Ioanni Mompenſeriano, filio Ioannis Bituricenſis.*

7. LVDOVICVS *Valeſius*, Dux Aurelianenſis & Turonenſis, Alenconij & Vertuzij Comes: natus 3. Martij A.C. 1371. Lutetiæ ad Portam Barbitanam ſub horam octauā veſpertinam trucidatus per ſicarios, à Ioanne Burgundo patrucle ſubornatos, 22. Nov. A.C. 1407. ætatis ſuæ XXXVI. cōpleto cum menſibus IIX. dieb. XX. Poſtridie ſepultus in Cœleſtinorū æde in ſacello Aurelianenſi. Nuptum data ipſi erat VALENtina Ioan. Galeacij Ducis Mediolanenſis F. & Aſta vrbs in dotem conceſſa: conditio inſuper ſuperaddita, vt ſi fratribus nouæ nuptæ nulla ſoboles legitima eſſet ſuperſtes; Valentiæ filij

tan-

tanquam legitimi ſucceſſores, Inſubrium principatu potirentur. Verùm tab
lis dotalibus in hanc ſententiam confectis, defuit Imp. Rom. auctoritas.

Liberi eius

1. *CAROLVS* Valeſius Dux Aurelianenſis; *hæres Comitatus Mediolanenſis: Philipp Vicecomite (1446) extincto, Ducem quidem Mediolani ſe appellauit ob matris hæ reditatem: verùm Comitatum illum iam occuparat Franciſcus Sfortia, qui Blan cam Philippi notham vxorem duxerat: contra quem in Italiam cum iuſtis copi tranſmiſit Reinaldum: verùm eo à Mediolanenſibus ſuperato captoq; , auito Inſu brium principatu excidit. Ab Anglis in prælio ad Agincurtum captus A.C. 141 vigintiquinq; annis in cuſtodia detentus eſt. Poſt obitum ſepultus Bleſis: vnde oſ deinceps filius tranſportauit Lutetiam in ædem Cæleſtinorum ad aui tumulum Deſponſauerat ſibi adoleſcens ELISABETHAM F. Ioannis Marchionis Morauiæ ſed ea relicta duxit ISABELLAM F. Caroli V. Regis Franciæ: viduam Richar Angli: qua in puerperio vnà cum infante extincta, connubio ſibi ſociauit BO NAM, natam Bernardo Comite Armeniaco, & Bona Biturica, ἄπαιδα mortu am. Ad tertias inde tranſiens nuptias iunctus eſt MARIAE (quidam Margare tam nominant) filia Adolphi Ducis Cleuenſis A.C. 1440. menſe Nouembri.*

LVDOVICVS XII. Valeſius, Dux Aureliæ & Mediolani, poſt Caroli IIX. agnati ſui mortem Rex Galliarum magno omnium	*MARIA vxor Ioan- Foxenſis, Vicecomitis Narbonenſis.*	*ANNA Abbatiſ Fonteuralliorum.*

applauſu inauguratus 27. Maij A.C. 1497. Ante regnum (1494) caſtris Re giis ex Aſta vrbe ſua promotis, Nouariam occupauit: verùm inde longius pro greſſurum, hoſtium confœderatorum exercitus repulit: obſeſſumque Noua ria abire coegit. Triennio tamen pòſt (1497) regnum Franciæ adeptus, ad ar ma reuerſus: icto cum Venetis fœdere, (1503) Ludouicum Morum Inſubriū ducatu expulit: Sfortiam è Germanis Heluetica Rheticaque auxilia attrahen tem, ad Nouariam cepit: abductumq; in Galliam carceri incluſit: in quo quin to captiuitatis exacto anno (1508) miſerrimo ille interitu pœnas expendit cō miſsi parricidij & rapti principatus. Mediolano ſubiugato, mox regnum quo que Neapolitanum (1503) occupauit: quod tamen cum Ferdinando Hiſpa no eſt partitus. In Lombardiam inde (1506) digreſſus: etiam iureiurando, quo ſe Imperatori Haganoæ obſtrinxerat, poſthabito; Genuam, quæ ab ipſo defe cerat, recepit A.C. 1507. 29. Aprilis. Seſquiennio pòſt, fœdere icto Cameraci cum Cæſare, Pontifice, & Hiſpano; Venetos ad amnem Abduam in ducatu Mediolanenſi (1507. 14. Maij) memorabili clade ſtrauit, fudit, in fugam ver tit; hoſtium octo millibus occiſis: omneſq; in continenti eorundem vrbes ad deditionem adegit. Princeps fuit fortiſsimus & fortunatiſsimus: ſed qui poſteà fortuna mutata, à Iulio Pontifice bellicoſo magis, quàm religioſo, excommu nicatus (1512) ac proſcriptus: ab eodēq; , Hiſpano & Venetis fœderatis, vno tē pore diuerſis in locis oppugnatus eſt: ex quibus tamen omnibus difficultatib. feliciter emerſit. Cæterùm Academiam Pariſienſem reformauit: Rothomagi Parlamentum inſtituit: antiqua tributa tot bellis implicitus nihilominus ſuſtu lit. Pariſiis tandem corporis exuuias depoſuit 1. Ianuarij A.C. 1515. ætatis ſupra quinquageſimū ſeſquialtero cōpleto, cum diebus XVII cùm regnaſſet annos XVII. menſes ſeptem, dies quinque. Funeratus ad S. Dionyſium. Tres vxores habuit: Priorem, IOANNAM F. Ludouici XI. Regis Franciæ, de ſententia Pontificis repudiauit, propter vim & metum, quo ſe obſeſſum confirmabat: ducta ANNA Britannica, Caroli IIX. vidua: qua defuncta 9. Ianuarij A. C.

A. C. 1514. cum MARIA Henrici VII. Angliæ Regis filia eodem anno celebrauit nuptias 11. Octob. poſt quas vix tribus menſibus ſuperfuit: duabus relictis filiabus ex Britannica.

CLAVDIA nata 13. Octobris A.C 1499: nupſit Franciſco I. Valeſio Reg. Franciæ 18. Maij 1514. mortua Bleſis 26. Iulij 1524. — *RENATA vxor Herculis Eſtenſis Ducis Ferrariæ.*

PHILIPPVS Comes Virtutum ſiue Vertuzij, ex legibus pacis inter domum Aurelianam & Ioannem Burgundum factis, duxit CATHARINAM Burgundam, Ioannis F. Ætatis mortuus.

ANNA vxor Ioannis II. Ducis Alenconij.

MARGARETA nupſit Richardo Britanno, Stamparum Comiti.

MARIA coniux Ioannis Harcuriæ & Aumaliæ Comitis: peperit MARIAM Harcurianam, nuptam Antonio Vadimontano.

6. IOANNES Valeſius, Comes Angoliſmorum, ex Anglia, quò miſſus fuerat obſes ſtipendiorum gratia, reuerſus: duxit MARGARETAM Rohanenſem A. C. 1445. Obiit 1468.

CAROLVS Valeſius, Comes Angoliſmenſis, obiit 1494. Vxor LVDOICA ſiue ALOYSIA Philippi Comitis Breſſani & Seguſiani, Ducis Sabaudiæ F. obiit 15[illegible]2. 28. Octobris.

MARIA (alij IOANNAM nominant) vxor Caroli Coeſiuij, Comitis Tallebugij.

FRANCISCVS I. Valeſius, Eugulemæ Comes, natus in oppido Galliæ Coignac, ditionis Santonum A. C. 1494. 12. Sept. h. 9. pomeridiana: vxorem duxit CLAVDIAM Valeſiam, Ludouici XII Galliæ Regis filiam 1514. 18. Maij: ſoce[illegible] ſine maſcula prole defuncto, in regno ſucceſſit: Rex inaugura[illegible] in vrbe Remenſi 20. Ianuar. 1515. Huius in adminiſtratione tanta c[illegible] grauitate dignitateque eſt verſatus: vt meritò omnibus admira[illegible] eſſet. Fuit enim virtutibus iis omnibus, quæ Regem decent, or[illegible]: omni doctrinarum genere excultus: erga literatos humaniſſi[illegible]. Quare & Academiam Pariſienſem liberalitate ſua exornauit: [illegible]legia eius amplificauit: ipſasque artes liberales, quæ tunc paſſim peſſum ierant, quaſi poſtliminio reuocatas, priſtinæ ſuæ dignitati reſtituit. Vnde literarum quoque inſtaurator, literatorumque Mecœnas vnicus audiit. Fuit præterea animi robore inuictus, [illegible] militaris apprimè peritus: quod re ipſa non ſemel oſtendit: [illegible]ano Duce cum Hiſpanis ex Aquitania eiecto; deuictis (1515.) [illegible]luetiis; occupato (1516) Mediolano; capta Fontarabia; de[illegible]i a Galliæ ceruicibus (1521) Anglorum Cæſariſque nume[illegible]imis exercitibus Ad Ticinum, cuius obſidionem deſerere [illegible]at, poſt plurima facinora fortiſſimo Imperatore digna, re[illegible]nte demum fortuna, equo vulneribus ad terram collabente, ſuis fermè

MARGARETA heroina multa virtute prædita, Literata, & Muſarum altera Mnemoſyne: vxor primùm Caroli Alenconij, inde Henrici Albretani Regis Nauarræi: obiit A. C. 1549. 21. Decemb.

fermè omnibus deſideratis, in Caroli V. Cæſaris venit poteſtatem
Februarij A.C. 1525: cuius beneficio nondum exacto anno in regn
reſtitutus: & LEONORA Caroli ſoror (CLAVDIA namque iam
em obierat) ipſi eſt deſponſata: ex qua tamen nullos ſuſcepit liber
Bello hoc recrudeſcente, Sabaudiam Pedemontanamque inuaſit d
onem: & Imperatorem Prouincia excedere coegit A.C. 1542. P
tandem Franciæ vndique reſtituta, grauiſsima febre correptus; o
in arce Rambouilletana 31. Martij A.C. 1547. ætatis ſuæ LII. qu
exceſsit menſibus ſeptem. Sepultus in Dionyſiano,

Liberi eius ex CLAVDIA:

FRANCISCVS Delphinus Franciæ, natus Amboſiæ 1517 28. Februarij: Turone apud Allobroges veneno eſt ſublatus 10. Aug. 1536. ſponſus iam MARIAE Henrici IIX. Angliæ Regis filiæ. Annos vixit XIX menſes quinq., dies tredecim.

CAROLVS Dux Aurelianenſis, in bello contra Carolū V. Imp. Tovidium expugnauit: Viroetonium, Arlunum, & Lucemburgum arces cepit muniuitq. 1542. Eodem Carolo Imp. poſtea futurus gener, immatura morte deceſſit ex febre peſtilenti 9. Sept. 1545: quo fermè tempore nuptiæ erant peragendæ. Annos vixit XXIII. menſes VII. dies XIIX.

LVDOICA & CARO[…] vtraque Carolo V. Imp. in m[…] trimonium promiſſa: vtr[…] immatura ætate obijt.

MAGDALENA eloc[…] ta Iacobo V. Scotorum Reg[…] 1537: quarto poſt nupti[…] menſe tabe conſumpta per[…] 7. Iulij.

MARGARETA nup[…] Emanueli Philiberto Du[…] Sabaudiæ 29. Iunij 1559.

HENRICVS II. Rex Galliarum, natus ad S. Germanū Laianum A.C. 1519. 30. Mart. h. 17. poſt meridiem: & in vrbe Rhemorum ſolenniter inauguratus 1547. 25. Iulij: ſub regni ſui auſpiciis, Scotis contra Anglos auxilia miſit: paternum cum Heluetiis fœd
renouauit: Boloniam recuperauit. Cæſari e
inde (1551.) bellum faciens: per Pedemont
& Taurinos oppida multa cepit; & in his Ch
rium & Sandamianum; & mox (1552) Tul
quoque, Virodunum, ac Metim. Inde regre
ſus, in Lucemburgico agro populationibus &
incendiis omnia vaſtauit: Aſtenæum oppi
dum, à defenſoribus vacuum recepit: Danuillerium expugnauit: poſ
etiam Iuxum ex præcipuis eius loci propugnaculis haud poſtremum
Iulio dehinc Pontifici (1554.) reconciliatus, Parmam & Mirandula
Italiæ vrbes liberauit: Senenſibus (1555) ab Hiſpanis ereptam liberta
reſtituit. Cæſare ab vrbe Mediomatricum (1553) abacto, cæptis felicit
inſtans, inter alia multa cepit Mariæburgum, Bouinum, & Dinantū
Cæſare nequicquā reſiſtente. Clade ad Sanquintianū (1557) ſatis memo
rabili & miſerabili accepta: reſtauratis viribus, Philippo Hiſpano eri
puit (1558) Caletum, Guyneium, Hanium, cum Comitatu Hoiano. I
tanta autē animorum vtrinq, exacerbatione, cùm nequicquam res a
compoſitionem ſpectare videretur: æquato quaſi vtrinq; damno, præ
ter omnium opinionē pacem expetiit. quæ mox multis conditionibu

inita

inita, intimo inter ipſos affinitatis vinculo eſt confirmata A. C. 1559. 17. Iunij. Sed quid fit? Cùm ſub nuptiis Margaretæ ſororis publicè haberentur equeſtris certaminis exercitia: Rex conſcenſo equo, cum Comite Moncomerij concurrens, grauiſsimè vulneratus ex feſtuca haſtæ, ex occurſu confractæ, per galeæ minutiſsimum foramen oculare fataliter penetrante; & per oculi ſedem ad cerebrum vſque adacta: febri ardente ſuperueniente, poſt diem decimũ 10. Iulij extinguitur: verum atque admirabilem, ſi quis alius vnquam, exhibens vitæ humanæ tragœdiam. Annos regnauit duodecim, menſes tres, dies vndecim. Sepultus in Dionyſiano. Habuit in matrimonio CATHARINAM Mediceam, Laurentij Florentini Ducis filiam, ductam Maſsiliæ ſuaſu & inſtinctu Clementis VII. Pontificis Romani, 4. Octobris A. C. 1533. quam veneno necatam aſſerunt A. C. 1589. 5. Ianuarij Calendarij Gregoriani. De hac, cùm primis aliquot annis non conciperet, ob ſuſpectam ſterilitatem repudianda non leuiter fuit actitatum: quæ tamen mariti beneuolentia retenta, & ab ea difficultate liberata; ſatis numeroſam vtriuſque ſexus prolem poſtea enixa eſt.

1. FRANciſcus II primogenitus, natus Aquis Bellis A.C. 1544. 10. Ian ducta in vxorem MARIA Stuarta, Scotorum Regina, regnum illud ſuſcepit: poſt patris quoque interitum in Regem Franciæ conſecratus: ſed in ipſo ſtatim limine cùm adoleſcentiæ, tum regni, cũ dies decubuiſſet ſeptemdecim, ex apoſtemate cerebri periit ἄπαις A C. 1560. 5. Decembris. Vixit annos XVII. demptis XLV. diebus: regnauit annum duntaxat vnum, menſes quatuor, dies XXV.
2. ISABELLA Valeſia, nata in Fontebellaqueo A.C. 1545. 2. Aprilis, hora 11. min. 26. poſt meridiem: nupſit Philippo Hiſpaniarum Regi Pariſiis, non ſine incredibili ſubditorum congratulatione, quorum vires continuis XXV. annorum bellis fatigatæ, iampridem erant exhauſtæ, 22. Iunij A.C. 1559. Deceſſit ex δυστοκίᾳ 7. Octobris A.C. 1568. ætatis ſuę ſeſquitertio ſupra vigeſimum, cum diebus quinque completo.
3. CLAVDIA nata 12. Nouembris A. C. 1547. matrimonio collocata eſt Carolo Duci Lotharingiæ A.C. 1559. 22. Ianuarij.
4. LVDOVICVS Dux Aurelianenſis, natus 3. Februarij A.C. 1549. inſequenti anno menſe Octobri nondum bimus naturæ debitum perſoluit.
5. CAROLVS MAXIMILIANVS: qui poſtea *Caroli IX.* nomen accepit, natus A. C. 1550. 27. Iunij hora 5. min. 15. ante meridiem: decennis Franciſco fratri in Franciæ regno ſucceſſor datus; & in vrbe Rhemorũ 15. Maij A.C. 1561. coronatus: ſub quindecim tutoribus & Regina matre, donec pubeſceret, primis annis regnauit. Sub eo quidem liberũ reformatæ religionis exercitiũ conceſſum: ſed cum contrariæ opinionis homines, quò id impedirent, multa paſſim latrocinia cædesque facerent: tota Gallia ciuilibus exarſit (1562) bellis: quibus vix ac ne vix quidem ſopitis, interueniente connubio Regis Nauarræi cum Regis ſorore; nouum cudi malum cœpit. Ad nuptias namque inuitati Admiralius, Condæus, & reliqui reformatę religionis proceres, quomodo excepti, etiam dimiſſi fuerint: toti terrarum orbi eſt notiſsimum. Eoas enim Pariſienſes [1572. 24. Aug.] ecquis eſt Chriſtianorum, qui neſciat? Carolus tandem Rex acuta fe-

bre,cum multa ſanguinis effuſione eſt extinctus 30. Maij, ipſo Quinqua
naliorū feſto A.C. 1574. non abſque veneni ſuſpicione. Annos vixit XX
menſe excepto vnico: regnauit annos tredecim, menſes quinque, dies XX
Sepultus ad S. Dionyſium. Vxor ELISABETH Auſtriaca, F. Maximiliani II. In
quæ Spiræ in Comitiis A.C. 1570. 21. Octob. nuptum ipſi fuit collocata, ob
20. Ianuarij. 1592.

MARIA ELISABETH nata 28. Octobris A.C. 1572. baptizatur 2. February anni inſequentis.

6. *HENRICUS III.* Valeſius, *Dux Andium & Comes Engulema, è ſacro baptiſma fonte leuatus, ALEXANDER EDVARDUS nominatus: lucis huius vſuram cepit 19. Sept. A.C. 1552. hora 5. min. 15. poſt meridiem. Obſidens Rupellas, in ſtris [17 May 1573.] à Polonis Rex ſalutatus: anno vertente, quarto poſt con crationem menſe, fratris Caroli morte intellecta, cùm ſciret, regnum Francicum ſu ceſſionis iure ad ſe ſpectare: intempeſta nocte, qua conuiuium regium primarijs Po nis præbuerat, clam elapſus: comitatus duobus domeſticis Gallis: equis citatiſſimis ennam quanto maximo potuit curſu contendit: indeq; Venetias, & in Galliam reue ſus, regnum fratris ſucceſſione excepit. ALOYSIAE vxoris, filiæ Nicolai Comitis V dimontij, coniugio ſterili vſus: a factione Guiſiana poſt infeſtatus Marte occulto manifeſto: & in extremum vitæ diſcrimen adductus: tandem à monacho Iacobit no, venenato cultello confoſſus 1. Auguſti, poſtridie expirauit: Rege tamen Naua rao, quem fideliſſimum ſibi ſemper expertus eſt, priùs impoſita corona ſucceſſore n minato A.C. 1589. A trigeſimoſeptimo ætatis anno diebus duntaxat abfuit XIIX*

7. *MARGARETA nata A.C. 1553. 14. May Henrico Regi Nauarreno nupſit Lu tetiæ 1572. 18. Auguſti.*

8. *HERCULES Andegauenſis, Dux Alenconius, qui poſtea FRANCISCI aſſumſit n men, natus 18. Martij: A.C. 1555. Contra Philippum Hiſpanum in Belgium accerſ tus: & in Brabantiæ Ducem Imperijq; Romani Marchionem Antuerpiæ inaugurat [19. Febr. A.C. 1582.] Antuerpiam, Brugas, Aloſtum, Nyportum, & alias Belg ciuitates ſubdolè occupauit, vno eodemq; die ac hora: Qua eius fraude detecta, Gal ad vnum omnes, inter mœnia quotquot erant, trucidati ſunt A.C. 1583. menſe Ianu ario: ipſe fuga in Franciam elapſus, anno proximo 31. May eſt extinctus, non ſine ſuſpicione veneni.*

9. *VICTORIA & IOANNA gemellæ natæ A.C. 1556. 24. Iunij: non diu ſuperfuere.*

10. *illa namque ſex hebdomadas nata; hæc paulò poſt ſuſceptum baptiſmum eſt exti cta.*

STIR-

STIRPIS CAPETINÆ

IN STEMMATE VVITICHINDEO

AMVS BORBONIORVM, AD QVOS hodie GALLIÆ REGNVM peruenit, quadrifidus.

I.

DVCVM BORBONII.

ROBERTVS, S. Ludouici Galliæ Regis F. Comes Claremontanus apud Bellouacos à patre inſtitutus: in matrimonio habuit BEATRICEM F. Ioannis Ducis Burgundiæ: quæ à matre Agnete Archimbaldi Borboniorum domini filia, dominium Borboniæ accepit.

LVDOVICVS cognom. Magnus, Comes Claromontanus, à Philippo VI. Rege Franciæ, primus Borbonij Dux 1329. conſtit. Lutetiæ in æde Iacobitarum ſepultus. Vxor MARIA F. Ioannis Hannoniæ Comitis.

IOANNES Claromontius, Liber Baro Caroloi, S. Iuſti in Campania dominus, florenti ætate defunctus. Vxor IOANNA ſoror & hæres Sueſſionum Comitis.

IOANNA vxor Ioannis Comitis Boloniæ & Aruerniæ.

BLANCA coniux Roberti Magni, Borboniæ & Aruerniæ Comitis.

MARGARETA nupſit Ioanni Flandro, Comiti Namurcenſi.

MARIA deſponſata quidem Ioanni Marchioni Montiſferrati: ſed quæ monaſteriũ Poſsiacenſe ingreſſa, ſacru ſe dicauit.

PETRVS Claromontanus, maximus Lutetiæ Archidiaconus.

…TRVS I. Dux Borbo… ſecundus, & Molini Dominus, occubuit in … Pictauienſi cum … commiſſo, 19. Se… mbris 1356. Sepultus … tiæ iuxta patrem.

…SABELLA Caro… orum Comitis F.

IACOBVS progenitor Marchæ & Vendomæ Comitum. Vide Ramũ II. pag. 77.

IOANNA nupſit Ioanni primogenito Ioannis Foreſtani.

MARIA nupſit Roberto Principi Tarentino: & ante eum Guidoni, filio Hugonis Cypri & Hieroſolymorum Regis: mater ex hoc facta Hugonis Luſignani Galilaa Principis.

BEATRIX vxor Philippi Principis Tarentini.

PHILIPPVS Dominus Belloiocenſis.

LVDOVICVS Bonus, Dux Borboniæ tertius, di… obiit A. 1410. Vxor ANNA F. Beroaldi Delphini Aruernorum, Simi ducis nomi…ti, & Ioannæ …oreſtanæ.

IACOBVS Borbonius, Marca Dominus, contra ſeditioſos milites ad Lugdunum malè pugnans, poſt tertium diem vulneribus confectus perijt vnà cum F.

PETRO eiuſdem belli ſocio.

IOANNA vxor Caroli V. Regis Franciæ.

BLANCA à marito Petro Caſtellæ tyranno iugulata.

BONA nupſit Amedæo Comici Sabaudiæ.

CATHARINA vxor Ioannis Harcortenſis.

MARGARETA nupta primùm Ioanni, Henrici Salliani filio: deinde Arnoldo Albretano.

MARIA Monialis Poſsiacenſis.

Filia natu minima elocata Godefrido Duci Brabantiæ.

IOANNES I. Dux Borbonij quartus, Mompenſerij Comes, & Aruernæ Delphinus: in prælio Gallorum cum Anglis (1415) ad Azincurtum captus, & in Angliam abductus, in vinculis expirauit. Vxor MARIA F. Ioannis Biturigum Ducis.

ISABELLA vxor Albretenſis Domini.

BEATRIX poſt Ioannem Lucemburgum Bohemiæ Regem, nupſit Eudo Grauiarum Domino.

LVDOVICVS Borbonius adoleſcens XVI. annorū mortuus.

IACOBVS Pranſiy Dominus: cuius F. ἀνώνυμος perijt in prælio Azincurtano.

CAROLVS I. Dux Borbonij quintus, partes Caroli VII. Galliæ Regis ſecutus, contra Anglos & Philippum Burgundum fortiter pugnauit: cum quo tandem, mediante & adnitente coniuge AGNETE Burgunda, huius ſorore germana, pacem ſanciuit. Obiit A.C. 1456.

LVDOVICVS Borbonius, Comes Mompenſerij: maritus primùm IOANNAE filiæ Beroaldi [illegible] Delphini Aruerni, [illegible] deinde GABRIELÆ Turcensis [illegible] Turr[illegible].

IOANNES II. Dux Borbonius ſextus, trigamus licet, tamen obiit [illegible] Vxores eius 1. IOANNA Caroli VII Franciæ Regn. 2. CATHARINA Armeniaca, Iacobi Ducis Nemorenſis 3. IOANNA Ioannis Borbonij filia.

LVDOVICVS Borbonius, gracilis, adoleſcens. IACOBVS puer deceſſit Brugis.

LVDOVICVS Leodienſis Epiſcopus, vir prudens, doctus ac ſapiens: omnibus patrocinari, deque omnibus pro viribus optimè mereri ſtudens: de ſuorum ingratitudine apud Carolum Burgundum conqueſtus, magnam vrbi eccleſiæq; ſuæ calamitatem accerſiuit. Tandem in quodam contra Arenburgum prælio cæſus oppetiit A.C. 1479. ætatis ſuæ XLVII. regiminis XXIII.

CAROLVS Borbonius Cardinalis.

IOANNA vxor Ioannis Chalonij, Principis Aurantij.

CATHARINA coniux Adolphi Egmondani, Ducis Geldriæ.

MARGARETA Philippo Breſſico Duci Sabaudiæ nupta.

ISABELLA Caroli Pugnacis, Ducis Burgundiæ coniux.

MARIA primùm [illegible] Ioannis Calabriæ Ducis, nupſit Ga[illegible] ac [illegible] Comiti Ficenſi.

PETRVS Bellomontius Dominus, Dux Borboniorum VII. ſponſam quidem MARIAM Aurelianenſem, ſed duxit ANNAM Ludouici XI. Franciæ Regis F.

SVSANNA nupſit Carolo Mompenſerij Comiti: quem [illegible] nuptijs Borboniæ Ducem fecit.

GILBERTVS Borbonius Comes Mompenſerianus & Aruerniæ, Caroli IIX. [illegible] Regis in Neapol. Prorex 1495. ibidem obiit. Vxor LEO[illegible] Gonzaga F. Friderici Marchionis Mantuani.

G[illegible] vxor [illegible] Trimolliani.

CAROLA coniux [illegible] Barcel[illegible] Comitis B[illegible].

LVDOVICVS Borbonius in regno Neapolitano mortuus, & iuxta patrem tumulatus. Cum enim patris manes inuiſeret: præ nimio dolore illico animam cum lacrymis effudiſſe dicitur.

FRANCISCVS Borbonius, caſtelli [illegible] dux, in prælio S.B[illegible] occiſus A.C. 1515. 14. Sept.

CAROLVS II. Comes Mompenſerius, & Conneſtabilis Franciæ, Dux B[illegible]oniorum IIX. factus ob coniugium SVSANNAE Borboniæ: à Franciſco I. Galliæ Rege defecit ad Carolum V. Imp. cuius auſpicijs vrbem Romam oppugnans paucis ante ex[illegible] horis, [illegible] pugi[illegible] acerrimè ciens, plumbea glande à quodam ſuorum incautiùs emiſſa, traiectus occubuit [illegible] 6. Maij A.C. 1527. ætatis [illegible] duodequadrageſimo [illegible] quem binis exceſſit menſibus, & diebus vndeuiginti Sepultus Caietæ in arce. Poſt SVSANNæ vxoris fata, Rege Bo[illegible] ſibi [illegible] Vendomæ Duces arma titulumque iure cognationis [illegible].

LVDOVICA coniux primum Andreæ Caluigniani, [illegible] Ludou[illegible] Rupis [illegible] Principis.

RENATA conſors Antonij Ducis Lotharingiæ.

COMI-

II.

COMITVM CLAROMONTIORVM.

IACOBVS F. Ludouici Magni primi Ducis Borbonij, Comes Caroloi, Marcæ, Clermontij, ac Pontiaci, Franciæ Conneſtabilis. Vxor IOANNA Comes S. Pauli.

IOANNES Borbonius, Comes Carolēſis, Marchianus, Claromontanus ac Pō... cuanus; ob vxorem CATHARINAM filiam ac hæredē ...nnis Vindomienſis, oriundi ex Normannis & Andega... bus, factus Comes Vendomæ, Caſtreſij, Luſignani, ...omij & Bretencortij.

CATHARINA vxor Borchardi II, Vendomæ Comitis.

ISABELLA coniux Ludouici Comitis Belmontenſis.

...OBVS Marcæ ...mes, procus Ioā... Reginæ Neapo...s, dum ab ea ſe de...ſum videret; in ...liam reuerſus, ...anſoni tonſæ re...oni vitam vouit. Vxor BEATRIX ... Caroli II, Regis Nauarræ.

...NORA vxor ...ardi Armenia... Comitis Perdria..., contendiſſe ...b Siciliæ & ... regna.

LVDOVICVS Borbonius, Comes Vendomæ. Vide Ramum III. pag. 78.

IOANNES Borbonius, Scluſæ & Carencij Dominus. Vxor CATHARINA Arteſiana, Roberti III. Comitis Belmontenſis F.

ANNA vxor Ioannis Bituricі, Com. Mompenſerij: & poſt eum Ludouici Palatini Rhens.

MAria conſors Ioannis Bennenſis. Domini Croiani.

LVDOVICVS Borbonius, Scluſæ Dominus, cælebs.

PETRus Borbonius, ἄπαις. Vxor PHILIPPA Plenena.

IACOBVS Borbonius, Albinij & Rupisfortis Dominus Vxor N. vidua Antonij Turriani, Montelliani domini.

MARIA vxor Ioannis Cruciani Equitis.

PHILIPPVS Borbonius, Duiſanti Dominus; maritus primum IOANNæ Lalanæ, Simonis Domini Roberto-Cortenſis filiæ: deinde IOANNæ Cogniacæ, S. Germani Falconenſis ad Alliam dominæ, ἄπαις.

...ES Borbonius, Albiny Dominus, ...πais.

CAROLus Borbonius Carencij Dominus. Vxor CATHArina F. Bertrandi Allegrei, Baronis Putei acuti.

...TRANdus Borbonius, Carencij Dominus.

IOANnes Borbonius, Carencij Dominus, ἄπαις.

...ABELLA Borbonia, vxor Franciſci Scarſen..., Domini vallis Guidonicæ.

ANTONIVS Borbonius, Duiſanti Dominus. Vxor IOANNA Albrethana.

IOANNA vxor Franciſci Rullinæi, Bellocampēſis Domini.

ANTONIVS Borbonius, Duiſanti Dominus, ἄγαμος.

III.

COMITVM VENDOMIORVM, AD QVOS GALLIAE & NAVARRAE regna peruenerunt.

LVDOVICVS Borbonius, Ioannis Marcę & Claromontij Comitis F. primus Vendomæ Comes, egregiam nauauit operam Carolo VII. Franciæ Regi contra Burgundos & Anglos A.C. 1428. Vxor IOANNA Comes Vallenſis ſiue Lauali, Britannica.

IOANNES Borbonius, Comes Vendomienſis ſecundus. Vxor ISABELLA F. Præſigniani Belloiocenſis.

FRANCISCVS Borbonius, Vendomæ Comes tertius, Carolum IIX. Galliarũ Regem ad expeditionem Neapolitanã [1494] comitatus: in reditu Vercellis obiit. Vxor MARIA F. Petri Lucemburgij, Conneſtabilis Franciæ.

LVDOVICVS Borbonius, Ducũ MOMPENSERIORVM progenitor: Ramo IV. pag. 81.

IOANNA Borbonia tribus ordine nupſit: 1. Iacobo Borbonio, principi agnato: 2. Ioanni Bolonia & Aruernia Comiti; Baroni Turriano: 3. Franciſco Panſano Baroni Gardia & Bordi, Caſtellarumq; dynaſtæ.

CATHARINA coniux Gilberti Chabanenſis, Rupefortis Domini.

IOANNA altera, uxor Ludouici Iocoſani.

CAROLA conſors Engelberti Comitis Cliuenſis & Niuernenſis.

RENATA Abbatiſſa Fonteuerallienſis.

ISABELLA Abbatiſſa Cadomenſis.

CAROLVS Borbonius, Dux Vendomiorum primus creatus à Franciſco Rege Galliarum: duxit A.C. 1537. FRANCISCAM Renati Ducis Alençonii filiam, viduam Franciſci Longæuillæ Ducis: parens ex ipſa factus ſeptem marium & quinq; fœmellarum:

IACOBVS puer mortuus.

LVDOVICVS Cardinalis Borbonius.

FRANCISCVS Borbonius, Comes S. Pauli, ratione vxoris ADrianæ Tuteuillæ hæredis, Dux factus Stuteuillæ ſiue Tuteuillæ.

FRANCISCVS Borbonius, in adoleſcentia flore extinctus.

MARIA tribus ordine nupſit: Ioanni Borbonio, Anghiani Domino: Franciſco Duci Niuernenſi: & N. ultimo Duci Longauilla.

ANTONIA uxor Claudij Lothari[illegible], Ducis Gu[illegible]ani.

LVDOVICA Fonteralli a Abbatiſſa.

LVDO-

1. *LVDOVICVS Borbonius, iuuenis diem obiit.*

2. ANTONIVS Borbonius, Dux Vendomæ, Franciæ Par, vxorẽ duxit IOANNAM Albrethanam, Henrici Albretij Nauarræ Regis ac Bearnij Comitis vnicam filiam ac hæredem A. C. 1548. fœminam omni virtutum genere clariſsimam: cuius ergô REGEM ſe NAVARRÆVM ſcripſit. Regnante Carolo IX. abdicata Picardia, Aquitaniæ gubernationem accepit: ciuilique Gallorum contra Regem ac religionem bello, regias defendens partes; dum vrbem Rhotomagum, quam coniurati inuaſerant, pro Rege oppugnat; tormento è muris ictus occubuit A. C. 1562. ætatis ſuæ XLV. Vxor vero IOANNA poſt varias rerum viciſsitudines Lutetiæ Pariſiorum ex pleuritide deceſsit paulo ante nuptias filij, 8. Iunij A. 1572. necata (vt quidam auctores ſunt) per chirotecas ſuaueolentes venenatas, à Renato Pharmacopæo Regio.

IOANNES Princeps Nauarræus, iuuenis mortuus. | *MARGARETA.*

HENRICVS IV. Borbonius, Rex Galliæ & Nauarræ, Princeps Bearnij, Dux Vendomæ. cum MARGARETA Valeſia, Henrici II. Regis Galliæ F. nuptiale celebrauit ſacrum 18. Aug. 1572. quod nobile eſt Eois Pariſienſibus, quas vocant: Lutetiæ in vrbe circiter triginta millibus, in toto verò regno centenis millibus plus minùs religionis causâ crudeliſsimè iugulatis: ipſo etiam Rege capto: qui tamen diuinitus imminenti periculo ereptus; hoſtium maximas vires multis hactenus annis fortiter ſuſtinuit. Ab Henrico III. Galliæ Rege ex aſſe hæres atque ſucceſſor dictus (1589) tanquam agnatus proximus: pro regno retinendo, diuturnum adhuc gerit bellum.

3. *FRANCISCus Borbonius, Dux Anghianus, & Alpinarum gentium Prorex: prope Cerisolas (1544.) cum Guasta Marchione, Caroli V. Augusti legato, confligens; victoriam memorabilem, à P. Iouio copiosè deſcriptam, obtinuit: Cæſareanorum viginti millibus fuſis, & Carigniaco deditione capto. Biennio pòſt Rupis ad flumen Yonam, dum ludo parua pila cum reticula ſe exercet, deiecta è proxima feneſtra arca ceruicem ei fregit.*

4. *LVDOVICus alter, itidem immatura morte ereptus.*

5. *CAROLVS Borbonius Cardinalis, & Archiepiſcopus Rothomagẽſis, cum Henrico Guiſio & alijs confœderatis, Pontificiæ religionis aſſertorib. ac propugnatoribus, [158.] Henrico Nauarræo Regi (ad quem, Rege Henrico III. hæredem regni nullum ſuſcipiente, corona Gallicæ ſucceſsionem pertinere videbant) graue bellum intulit; quod nondum eſt ſopitum. Ab Henrico III. Valeſio, Rege, in Comitiis Bleſenſibus captus vnà cum Archiepiſcopo Lugdunenſi, in cuſtodia obijt A. C. 1590. maior ſeptuagenario.*

6. *IOANNES Anghiani ſiue Anguinei Comes, in prælio ad Sanquintianum in Veromanduis facto, cùm nec à pugna diuelli, nec ad deditionem compelli poſſet, cæſus 1557.*

7. *LVDOVICVS Borbonius, Princeps Condaus, contra Triumviratum Guiſii, Conneſtabilis, & Mareſcalli, Hugonotorum Dux conſtitutus: bello ciuili Gallico (1562.) prope Druydes, cùm, equo pila ictu per armum traiecto, ipſe nec ſui explicandi nec in equũ deſultorium ſe recipiendi poteſtatem haberet; in hoſtium venit manus, captus à Conneſtabilis filiis cætera ſanus & integer, niſi quòd vulnuſculum ex gladij ictu in aduerſum os recepit: tertio tandem bello inteſtino prope Baſacam iterum captus, & à Monteſquio eſt occiſus 13. Martij A. C. 1569. Liberi eius*

ex LEONORA Royana ſiue Rhienſe, Ruſcij Comite, Gerardi F. vxore priore:

HENRICVS Borbonius, Condati Marchio, in nuptiis Henrici Nauarræi, patruelis ſui, cum ipſo ſponſo captus 1572: ab vxore MARIA Cliuenſi, Franciſci Ducis Niuerſij F toxico potionatus, diem obiit 1588. menſe Februario.

FRANCISCus Borbonius, Contij Marchio.

CAROLVS Borbonius, Princeps Condaus.

MAGDALENA &

CATHARINA puella mortua.

MARGARETA.

ex FRANCISCA Aurelianenſi, Longauillæ Ducis F. vxore altera:

CAROLVS Sueſſonum Comes, cum Ludouico gemellus natus.

LVDOVICVS gemellus in cunis extinctus.

BENIAMIN in infantia annis mortuus.

8. *MARIA deſponſata Franciſco Cliuenſi, Comiti Niuernenſi, ante nuptiarum diem obiit.*

9. *MARGARETA conſors Franciſci Cliuenſis.*

10. *CATHarina S. Crucis apud Pictauienſes Abbatiſſa.*

11. *RENATA Chellarum Abbatiſſa.*

12. *LEONORA virgo Sanctimonialis apud Fonteuerallios.*

IV.

DVCVM MONPENSERIORVM.

LVDOVICVS Borbonius, Ioannis Vendomæ Comitis F. Rupis ad Ionam Princeps, Comes Mompenſerius. Vxor LVDOVICA natu maxima Gilberti Borbonij.

LVDOVICVS Dux Mompenſerianus primus. Vxor IACOBA Longouicana.

SVSANNA vxor Domini Ramſij ſiue Riosani.

CAROLVS Borbonius, Rupis ad Yonam Princeps. Vxor PHILIPPA Monteſpenia.

FRANCISCVS Dux Mompenſerianus ſecundus, Delphinus Aruerniæ. Vxor N. hæres de Meſieres.

HENRICVS Borbonius, Princeps Dombenſis.

ANNA nupſit Henrico Cliuenſi Duci Niuerſij.

FRANCISCA conſors Henrici Roberti Marcani Ducis Bilionei, Domini Sedani.

CAROLA ſiue Carolota, Ionarenſis Antiſtes, eiurata religione, nupſit Guilielmo Naſſouio Auraſiorum Principi. Obijt Antuerpiæ 1582. 5. Maij: ibidem in æde B. Mariæ tumulata.

IOANNA Abbatiſſa Tonnerenſis.

LVDOVICA Abbatiſſa Fontenerallierum.

HENRICVS, IOANNES immatura ætate defuncti.

RAMI

7. *LVDOVICVS Borbonius, Princeps Condaus, contra Triumviratum Guiſii, Conneſtabilis, & Mareſcalli, Hugonotorum Dux conſtitutus: bello ciuili Gallico (1562.) prope Druydes, cùm, equo pilæ ictu per armum traiecto, ipſe nec ſui explicandi nec in equũ deſultorium ſe recipiendi poteſtatem haberet; in hoſtium venit manus, captus à Conneſtabilis filiοι cætera ſanus & integer, niſi quòd vulnuſculum ex gladij ictu in aduerſum os recepit: tertio tandem bello inteſtino prope Baſacam iterum captus, & à Montesquio eſt occiſus 13. Martij A.C. 1569. Liberi eius*

ex LEONORA Royana ſiue Rhienſe, Ruſcij Comite, Gerardi F. vxore priore:

HENRICVS Borbonius, Condati Marchio, in nuptiis Henrici Nauarræi, patruelis ſui, cum ipſo ſponſo captus 1572: ab vxore MARIA Cliuenſi, Franciſci Ducis Niuerſij F. toxico potionatus, diem obiit 1588. menſe Februario.

FRANCISCus Borbonius, Contij Marchio.

CAROLVS Borbonius, Princeps Condaus.

MAGDALENA &

CATHARINA puella mortuæ.

MARGARETA.

ex FRANCISCA Aurelianenſi, Longavillæ Ducis F. vxore altera:

CAROLVS Sueſſonum Comes, cum Ludouico gemellus natus.

LVDOVICVS gemellus in cunis extinctus.

BENIAMIN in infantia annis mortuus.

8. *MARIA deſponſata Franciſco Cliuenſi, Comiti Niuernenſi, ante nuptiarum diem obiit.*

9. *MARGARETA conſors Franciſci Cliuenſis.*

10. *CATHarina S. Crucis apud Pictauienſes Abbatiſſa.*

11. *RENATA Chellarum Abbatiſſa.*

12. *LEONORA virgo Sanctimonialis apud Fonteneuralllios.*

DVCVM

IV.

DVCVM MONPENSERIORVM.

LVDOVICVS Borbonius, Ioannis Vendom. Comitis F. Rupis ad Ionam Princeps, Comes Mompenſerius. Vxor LVDOVICA natu maxima Gilberti Borbonij.

LVDOVICVS Dux Mompenſeranus primus. Vxor IACOBA Longouicana.

SVSANNA vxor Don[illegible] R[illegible]ſiue Rioſani.

CAROLVS Borbonius, Rupis ad Yonam Princeps. Vxor PHILIPPA Monteſpenia.

FRANCISCVS Dux Mompenſerianus ſecundus, Del[illegible]s Aruerniæ. Vxor N. hæres de Meſieres.

HENRICVS Borbonius, Princeps Dombenſis.

ANNA nupſit Henrico Cliuenſi, Duci Niuerſis.

FRANCISCA conſors Henrici Roberti Marcani Ducis Bilionei, Domini Sedani.

CAROLA ſiue Carolota, Iouarenſis Antiſtes, eiurata religione, nupſit Gulielmo Naſſouio Auraſiorum Principi. Obijt Antuerpiæ 1582. 5. Maij: ibidem in æde B. Mariæ tumulata.

IOANNA Abbatiſſa Tonnerenſis.

LVDOVICA Abbatiſſa Fonteueralliorum.

HENRICVS, IOANNES immatura ætate defuncti.

RAMI

RAMI ALII EX STIRPE CAPETINA REGVM GALLIÆ ENATI.

I.

VETERVM DVCVM BVRGVNDIÆ.

ROBERTVS, Roberti Pij Galliæ Regis F. Dux Burgundiæ creatus anno 1030. eam rexit ad annum vſque 1075. quo grandæua ætate (vnde & Senior fuit cognominatus) Semurij in B. Virginis baſilica, quã ipſemet extruxerat, eſt funeratus. Vxor HERmingardis.

HENRICVS Burgundus, princeps pius, iuſtus ac modeſtus: morte præmatura patrẽ præuertit.

HVGO Burgundus.

HVGO I. auo defuncto, Burgundiæ ducatum ſucceſſione (1075) excipiens, cum tenuit annis XXII. Vxore IOLE abſque ſobole defuncta, mœrore propter eius deſiderium confectus, Cluniacenſi cœnobio (1097) ſe incluſit: fratri principatu relicto. Ibidem ſepultus A. C. 1108.

OTHO ſiue EVDVS II. Dux Burgundiæ ſecundùm fratrem, Ciſtertienſe cœnobium condidit: in quo poſt fata eſt ſepultus. Obiit autem in Sicilia, nomen dans ſacræ militię A. C. 1102.

HVGO II. Dux Burgundiæ, annis XXXI. Princeps pietate & iuſtitia præſtans: obiit A. C. 1133. in Abbatia Ciſtenſi ſepultus. Vxor MECHTILDIS.

HENRICVS à patre lacernã inducre compulſus.

OTHO III. Dux Burgundiæ, vita exceſſit A. C. 1163. Vxor MARia F. Theobaldi Comitis Campaniæ.

ALEXANDER ἄπαις obiit, HENRICVS & ROBERTVS infãtes mortui. GVALTERus Archidiaconus.

AREMBERGA virgo Sanctimonialis.

HVGO Dux Burgundiæ ſub tutela patris auique materni. Ter in Palæſtinam [1147. 1163. 1189.] ad Saracenicum profectus bellum, Chriſtianæ Reipub. multum profuit: non ſolùm Burgundis, ſed & Francorum caſtris (decedente Philippo II. Rege) præfectus. Ex altera expeditione reuerſus, ſacram ædem Diuione [1165] conſtruxit. Cum Vergyano domino graue geſſit bellum, quod Philippi Auguſti Francorum Regis auctoritate, liberorum matrimonio ſopitum eſt. Rebus præclarè geſtis, corporis mortalis exuuias depoſuit 6. Auguſti A. C. 1192. Vxores eius duæ 1. ALEXIA F. Matthæi Ducis Lotharingiæ: 2. BEATRIX F. Guidonis Delphini Viennenſis, vidua Raimundi Comitis Toloſani ducta 1187. ſterilis.

OTHO IV. Dux Burgundię, Philippo Auguſto Franciæ Regi in bello Bouineuſi aduerſus Othonem Imp. & Anglos, egregiam nauauit operam. Poſt fata Ciſtercienſis monumento illatus auito A. C. 1218. ætatis XLIIX. Cum MECHTILDE vidua Philippi Comitis Alſatiæ, ſponſalia quidem contraxit, non autem duxit,

ALEXANDER Burgundus *ἄπαις.*

Liber

Liberi eius

ex BLANCA F. Theobaldi Campaniæ & Briæ Comitis: ex ALEXIA Vergyana:

IOANNES Burgundus, ante patrē obiit.

AGNES uxor ſecunda Rudolphi I. Imp Rom.

MECHTILDIS nupſit Ioanni Buchemerio Comiti Cabillonenſi: mater Ioannis Lingonenſis Epiſcop.

HVGO IV. Dux Burgundiæ, natus 9 Martij A.1212: a patre moritur, quia minorennis erat, matri regendus commendatus cum ipſa Diuione cœnobium Iacobitarum fundauit. Permutatione facta cum Ioanne Cabillonenſi Burgundiæ Comite, Cabillonenſem acquiſiuit Comitatū A. C. 1243. Aetatem grandior, S. Ludouicum Regem [1270] in Africam comitatus eſt contra Saracenos. Obiit A. C. 1273. ex bino coniugio quatuor marium, ex fœmellarum ... ens effectus. Nati ipſi

ex IOLANTHA Roberti III. Comitis Dreuſij ac Brenenſis F. uxore prima filij tres, & filiæ duæ:

1. EVDVS Burgundus, Anconæ in itinere ad terram Sanctam mortuus A.C. 1267. Vxores eius duæ: 1. MECHTILDIS Archimbaldi Iunioris, Domini Borbonij F. ſterilis: 2. ISABELLA Comitiſſa Niuernenſis, Tonnerenſis, & Altiſſiodorenſis. Hac natæ quatuor filiæ:

IOLE Niuernenſis Comes, uxor 1. Triſtani, S. Ludouici Franciæ Regis F. Tunetj extincti: 2. Roberti Bethunenſis, Flandriæ Comitis.

MARGARETA Comes Tonnerenſis, Miniomeraly in Particenſi agro domina: uxor Caroli Regis Siciliæ.

ALEXIA Altiſſiodorenſis Comes, Domina S. Aignani in agro Biturigum: nupſit Ioanni Cabillonenſi, Rupeforti in Burgundia domino.

IOANNA puella mortua.

2. IOANNES IV. Dux Burgundiæ, fratris ſororem AGNETEM Archimbaldi Borbonij F. uxorem duxit: cuius gratiâ in partem ipſi obtigit ager Borbonienſis: à quo, paterna familia nomine relicto, Borbony adſciuit.

BEATRIX Borbonia, nupſit Roberto Franco, Comiti Claremontano apud Belluacos.

3. ALEXIA Burgundica, nupſit Henrico Duci Brabantiæ.

4. MARIA uxor Gardonis Vicecomitis Lemouicum,

5. ROBERTVS II. Dux Burgundiæ, pro qua cum Roberto Flandriæ Comiti, Iolæ marito, apud S. Ludouicum Francorum Regem diu litigauit: Galliæ proceres ipſe quoque comitatus eſt ad Siculas veſperas [1282] vindicandas: verùm infelici, vt & cæteri, euentu. Obiit A. C. 1309. Vxor AGNES F. Sancti Ludouici Regis Galliæ.

ex BEATRICE uxore altera:

HVGO Burgundus, Dominus Auallonij, Charantonorum, Montis Regalis, Montrealii & aliorum in Burgundia.

BEATRIX uxor Hugonis Bruni, Comitis Marchiæ & Angolismorum.

ISABELLA deſponſata Carolo Roberti Bethuny Flandriæ Comitis primogenito extincto, nupſit Gotefrido Brabantino, Domino Verſonij.

MARGARETA nupſit Ioanni Cabillonenſi, Comitis Burgundiæ, Salinarum Domino.

IOANNA Sacra monialis.

HVGO

HVGO V. Dominus Montisregij, & poſt patrem Dux Burgundia, vxore CATHARINA Valeſia, Imperatrice Byzantina, mortua; deſponſauit ſibi IOANNAM Philippi Longi Regis Gallia F ſed ante nuptias obiit ἄπαις A.C.1315.

ROBERTVS Tonnerenſis Comes, obiit ἄπαις 15. Oct. 1333. Vxor IOANNA Cabilonenſis, Guilielmi Comitis Antiſſiodorenſis F.

IOANNES Burgundus natus 1278. patrem morte præuertit ἄπαις. Vxor ALEXIA Othonis Comitis Burgundia F.

LVDOVICVS Burgundus. Vxor MATHILDIS.

OTHO IV. Hugonis in ducatu Burgundiæ ſucceſſor; Ludouico Hutino Francorũ Rege mortuo, [1316] Philippo Longo illius fratri, ad regnum properanti, acriter ſe oppoſuit: aſſerens, Franciæ regnum deberi IOANNæ, Ludouici Hutini filiæ vnicæ; Salica lege tum nõdum ſatis adulta. Verùm Philippus Longus, elocata ipſi filia IOANNA, quæ Burgundiæ & Arteſiæ Comitatus in dotem ipſi afferebat, conſenſum ſilentiumque redemit. Cætetùm Otho ædem Carthuſianorum Belnenſem fundauit cum Philippo F. 1332. Obiit A.C. 1349.

MARGARETA vxor Ludouici Hutini Regis Gallia: ob adulterium in carcere extincta: peperit IOANNAM vxorem Philippi Eboracenſis: qui vxoris cauſa, durante vita, actionem in Burgundia ducatum allegauit.

IOANNA coniux Philippi Valeſii Regis Gallia: quo matrimonio natus IOANNES Rex: qui Philippo poſtremo duce extincto, materno iure Burgundia ducatum occupauit: excluſa matertera filia eiusq; liberis: matris ipſius adulterium cauſatus.

BLANCA vxor Eduardi Comitis Sabaudia.

MARIA nupſit Eduardo Comiti Barrenſi.

IOANNES Burgundus, ante patrem morte præreptus.

PHILIPPVS Burgundus, Comes Arteſię & Boloniæ, Ioannem Normãniæ Ducẽ comitatus ad oppugnationẽ munitiſsimi caſtelli Angvillonii apud Aquitanos: vbi obſeſſis, eruptione facta, equeſtri prælio decertantibus; cadentis equi mole coſtis ruptis, poſt tertium diem expirauit. Sepultus in Ciſtenſi cœnobio A.C. 1346. Vxor IOANNA Guilelmi Aruernię & Boloniæ Comitis F.

PHILIPPVS Dux Burgundiæ, Comes Arverniæ, Bolonię, Arteſiæ, Palatinus Campaniæ & Briæ: hæres nempe aui & auiarum: in caſtro Ruverto propè Diuionem abſque ſobole extinctus 21: Nouemb. 1361. Vxor MARGARETA Ludouici Malani Flandriæ Comitis F. poſtmodò nupſit Philippo Audaci Duci Burgundiæ.

COMI-

· II.

COMITVM MONTFORTIORVM.

AMALRICVS ſiue ALMARICVS, Roberti Pij Regis Galliæ ex N. Comite Nouiodunenſe, concubina, F. à patre accepit agrum oppidi Montisfortis: quod muro cinxit: & à ſe Comites Montfortios propagauit.

SIMON primus Comes Montfortius. Vxor N. Richardi Comitis Eboracenſis F.

AMALRICVS II. Comes Montfortius.

BERTHRADA vxor Fulconis Rechini Andium Comitis: mater ex eo facta eſt Falconis Regis Solymorum Pellex hæc eadem fuit Philippi I. Regis Galliæ.

SIMON II. cognom. Caluus, Comes Montfortius. Vxor ARNICE ſoror & hæres Roberti Comitis Liceſtriæ ac Rogerij Archiepiſcopi Sanctandreæ in Scotia.

SIMON III. Comes Montfortius & Liceſtrēſis, vir eo ſeculo militaris diſciplinæ peritiſſimus: in Syria ſummum belli ducem contra Saracenos egit 1198. iterum anno duodecimo pòſt (1210) in Gallia Narbonenſi contra Albigaunos hæreticos: quibus vtriſq; fortiſsimè deuictis, in præmium victoriæ Comitatu Toloſano (1216.) & ducatu Narbonenſi eſt donatus. In oppugnatione tandem Toloſæ vrbis, ſaxo ictus interiit A. C. 1223. Vxor ALEXIA.

GVIDO Comes Sidonis in Oriente.

PETRONELLA vxor Petri Cortenæi, Taxlei Domini.

AMALRICVS III. Comes Montfortius, Franciæ Conneſtabilis factus, ſuperiores prouincias Ludouico IX. Galliæ Regi. Cōſ Romæ [illegible].

SIMON IV. Comes Montfortius, vir ſingulari virtute, conſilio, & prudentia poſt patrē, iuuenis admodùm ſummam totius belli gerendi contra Albingos, hominum genus maleficum, in Narbonenſi Gallia ſuſcipiens: nobiliſſimam adeptus eſt (1226) victoriā. Poſtea ob offenſionem quandam à Blanca D. Ludouici vxore acceptam, in Angliam conceſsit ad Henricum III. Regem: cuius ſorore LEONORA, Guilielmi Mareſcalli & Liceſtrenſis Comitis vidua, in vxorem ducta; factus eſt Angliæ Seneſcallus. Huic poſtea, cùm eum bene moneret, ex amico factus inimicus: bello ciuili Anglico [1265] ipſum acie fuſum cepit, vnà cum Richardo fratre & Eduardo filio: ſed à quo, è vinculis elapſo, bellumq; redintegrante, ipſemet cæſus occubuit A. C. 1265.

GVIDO Montfortius, Vicecomes Bigerrenſis & Matuconenſis. Vxor PETronella, vidua Gaſtonis Bearnenſis.

ESCHIBATVS Bigorrenſis Comes, [illegible] ſucceſſorem nominauit Simonem patruum: qui ius ſuum ceſsit Theobaldo VII. Regi Nauarræ, Comiti Campaniæ.

ALEXIA Turanienſis Vicecomes.

MAHALTIS Comes Thurenſis, vxor Philippi Flandri.

PHILIPPVS Dominus Fertæ Aleſiæ, S. L[illegible] cum Galliæ Rege [illegible] (1248) [illegible] Caroli I. Regis Siciliæ præfectus: auctor extitit victoriæ (1265) de Manfredo partæ.

ELEONORA nupſit N. Comiti Vindomienſi.

HENRICVS Montfortius, bello inteſtino Anglico, vnà cum patre oppetijt, 1265.

SIMON Eques Gallicus.

AMALRICVS Præfectus ærario Eboracenſi.

GVIDO Montfortius, Dynaſt. Beuræ, & Gubernator Etruriæ, Henricum, Richardi Angli, Cæſaris electi, filium occidit Viterbij in æde S. Laurentij A. C. 1271. Ipſe in Sicilia captus: & ad perpetuos condemnatus carceres: aras, quas innocētiſſimo ſanguine polluerat, morte merita expiauit.

LEONORA vxor Petri Cortenæi; dehinc Lecſini Italiæ domini, obiit 1275.

PHILIPPVS Montfortius, [illegible]

ANASTASIA.

NOLANA vxor Romani Vrſini.

COR-

III.
CORTENÆI DOMINORVM.

PETRVS Cortenæi Dominus factus ratione vxoris ISABELLAE Cortenæi & Montargii Dominæ. (fuit hæc Reginaldi F. nepus Milonis Cortenæi, ſepulti in Abbatia Fontis Ioannis, in diœceſi Senonenſi, à maioribus ſuis fundata: maritoque ſuperſuit) transmarinam ſuſcepiſſe legitur expeditionem A.C. 1179.

PETRVS Cortenæus, IMPP. aliquot BYZantinos progenuit: de quibus Ramo IV. pag 87.

ROBERTVS Cortenæus, Archipincerna Franciæ, interfuit bello contra Albigenſes geſto A.C. 1213. Mortuus grandæuus. Vxor MATHILDIS ſiue Mabalis, orta Magduno ad Eboram.

ALEXIA nupſit Hugoni Marchiæ Comiti: viduata ab Aymaro Angoliſmenſe: mater ex hoc facta ISABELLAE nuptæ Ioanni Regi Angliæ.

GVILIELMVS Cortenæus Eques, Tanlæi Dominus ex Alexia vxore tulit ROBertum & PHILippum Tanlæanos.

PETRVS Cortenæus. Vxores eius: 1. AGNES hæres Iognij: 2. PETRONELla F. Simonis Calui Comitis Montfortij.

PERRETta caſtelli Vulpini Domina.

ANNA ex altero coniugio nata, nupſit Roberto II Comiti Arteſiæ, & inde Henrico Sallio.

PHILIPPVS Cortenæus, Campimolinij & Caſtelli Vulpini Dominus, ἄτεκνος.

GALLINrus Dominus Campinellarũ & Fertæ Lupariæ. Vxores eius, MARGARETA Domina Venſiſij & AGNes Domina Charentoni.

RVDOLphus Archipræſul Remorum.

GVLIELmvS Cortenæus, ſepultus in Abbatia Fontis Ioannis apud Senones.

ISABELLA Cortenæa, nupſit Ioanni Comiti Palatino.

ROBERTus Cortenæus, Remorum Archiepiſcopus.

IOANNES Cortenæus, Campinellarum & Lupariæ Dominus, hæres Mathildæ ex parte, vendidit Epiſcopo Badocenſi domum Cluniacam Lutetiæ ſitam A.C 1324. Vxor IOANNA F. Ioannis Sanſerrani, Domini S. Briconis ad Ligerim, neptis Stephani Comitis Sanſerrani.

ISABELLA vxor Gulielmi Borbonij, Berenſis Domini.

MECHTILDIS Comiti Altiſiodorenſi ſociata, eoque mortuo, Philippo Flandro.

IOANNES Cortenæus Eques Campinellarum, & S. Briconis Dominus. Vxor MARGARETA à S. Valerano.

PETrus Cortenæus, Auſtriæ & Cordebarræ Dominus. Vxor LEONORA F. Simonis Comitis Montfortij.

IOANNA vxor Ioannis Belmontani.

PHILIPPVS Remenſis & Senonenſis Canonicus.

GVLIELMVS Remenſis & Laonenſis Canonicus.

PETRVS Eques Cortenæus, Campinellarum & S. Briconis Dominus; Munij itém & Blenelli ratione vxoris AGNETAE Melodunenſis. De huius proſapia vide Tilium lib. 1. de rebus Gallicis.

COMI-

IV.

COMITVM ANTISSIODORENSIVM,

Impp. BYZANTINORVM.

PETRVS Petri F. Cottenæus, ex priore coniugio AGNETAE factus Comes Antiſsiodorenſis: ratione verò ſecundæ coniugis IOLAE ſiue Iolantæ, filiæ Henrici Flandri Imp. Byzantini, ſocero defuncto, cùm maſcula nulla ſupereſſet proles, Imperium Conſtantinopolitanum quaſi iure hæreditario adiit A.C. 1216: coronatus ab Honorio Pontifice Romano extra vrbem Romam ad Fanum Laurentij. Inde Venetis nauibus ſoluens, cum Dyrrachij oppugnationem in Venetorum gratiam fruſtrà tentaſſet: inſidiis Theodori Laſcaris, qui Niceæ Græcorum ſe Imperatorem gerebat, in ſaltibus Theſſaliæ, præter iurisiurandi religionem & fidem [1219] interceptus: & toto biennio in tetro ſqualidoque carcere fatigatus, ac penè enectus: tandem obtruncatus eſt A.C. 1221.

Liberi eius

ex AGNE Comite Antiſsiodorenſi, Niuernenſi, & Tonnerenſi:

MECHTILDIS Comes Niuernenſis & Tonnerenſis, Domina Altiſsiodorenſis; ex priore marito EDMVNDO ſiue Hermerio, Godefridi Gennabenſis filio, Domino Coſnæ ad Ligerim & Bonzioy, mater facta AGNETAE deſponſatæ Philippo Bononienſi; nupta verò Guidoni Caſtilionæo: ſecundis poſtmodò nuptijs ſociata eſt Guidoni Comiti Fecenſi.

ex IOLE Flandriæ Comite:

ROBERTVS Imp. Byzantinus, ad paternæ captiuitatis nuncium ex Gallis Byzantium aduolans: cùm mari acceſſus ad vrbem non pateret; iter per Pannoniam & Myſiam intendit longo circuitu. Imperium [1220.] adeptus, Venetorum amicitiam tam impenſe coluit: vt prætorem illorum Martinum Michaelem in partem adminiſtrationis & Imperij ſocietatē admitteret. Cùm alias optimè ſeſe gereret: inuidiam viuus ex purpuratis ſuis ſenſit: qui abductam ſibi ab illo ſponſam iniquiſſimè ferens, impotens animi in regiam irruperat, dehoneſtatamque naribus puellam occiderat. Quam iniuriam vlturus Robertus Imp. dum Roma reuertitur, in Achaia morbo deceſsit, A.C. 1228.

IOLE Reg. Vngariæ.

PHILIPPVS Comes Namurcenſis *ἄπαις.*

BALDVINVS II. Imp. Byzantinus cum per ætatem tantæ rerum moli ſufficere haud videretur: adiutore vſus Ioanne Brennio Rege Solymitano, hoſtes aliquoties ſuſtinuit: eo vero fatis abſumpto, cùm inſuper exhauſtis theſauris omnibus, nulla amplius ſuppeteret alendæ claſsi Venetæ pecunia; nec à Pontifice Romano ac Friderico Imp. in Italia ſubſidij quicquam impetraret: Byzantio à Michaele Palæologo per proditionem recepto, rara ſe cum ſupellectili noctu clam proripuit ad Eurypum: inde in Eubœam delatus, quam Veneti tenebant, profugit in Italiam A.C. 1261; cum annos imperaſſet XXXIII. Vxor MARTHA F. Ioannis Brennij Regis Solymorum.

ELISABETH conſors primùm Gualteri Barrenſis Comitis inde Eudi Domini Montis acuti in Burgundia.

PHILIPPVS à patre Græcorum armis preſſo, ob accepti æris mutuū Venetis oppignoratus; ſe quidem Imperatorem Græciæ ſcripſit: verùm eam non poſſedit. Vxor BEATRIX Caroli I. Regis Siciliæ F.

IOANNA conſors Thomæ Sabaudi.

CATHARINA conſors Caroli Valeſii à Bonifacio IIX. Pp. Imperatrix Conſtantinopolitana nuncupata.

V.

COMITVM DREVSII SIVE Druidenſium.

ROBERTVS F. Ludouici Craſsi Regis Galliæ, Comes Druidenſis, Particenſis, & Dominus Viennæ Allobrogum : fundatot Abbatiæ S. Petri Viennenſis: ibidem funcratus cum vxore AGNETE Comite Brennenſi, ducta A.C.1154.

ROBERTVS II. cognom. Iunior Comes Druidenſis, floruit circa A. C. 1180. Cum vxore IOLE filia Rudolphi Domini Cucij, & Agnetæ Hannoniæ Comitiſſæ, tumulatus in Abbatia Brennenſi.

GVIDO Druidenſis, Dominus Buai & Torcij.

IOANNes Comes Brennenſis.

PHILIPPVS Præſul Bellouacus.

HENRICVS Aureliorum Epiſcopus.

ALEXIA Roberti Toricenſis vxor.

PETRVS conditor PRINCIpum BRITANNICORum. Vide Ramum VI. pag. 90.

ROBERTVS III. cognom. Gaſcelinus, Comes Druidenſis & Brennenſis: cum vxore LEONORA filia & herede Domini S. Valerij ſepultus in Abbatia Brennenſi.

IOANNes Brennenſis dictus, quòd iſtic eſſet natus, Comes Dreuſij, Dominus Viennæ. Vxor ALEXIA Comes Matiſeonenſis ἄπαις: vnde Comitatus hic peruenit ad S. Ludouicum Galliæ Regem.

HENRICVS Archiepiſcopus Remenſis.

IOANNA conſors Henrici Comitis Barrenſis.

IOLE Comiti Eſſuano ſociata, peperit Mariam vxorem Alphonſi, Ioannis Regis Acræ & Solymorū filij.

ISABELLA Comes Ruſſenſis.

Quarta nupſit Comiti Burgundiæ, Sanliſij Domino.

Quinta Domino Caſtellano nupſit.

Sexta Abbatiſſa Fontenallenſis.

IOANNES I. Comes Druidenſis & Brennenſis, Dominus S. Valerij; periit in prima expeditione S. Ludouici Regis Galliæ Aſiaticâ: ſepultus in Cypro A. C. 1249. Vxor MARIA F. Archimbaldi Magni, domini Borboniorum.

IOLE vxor Hugonis IV. Ducis Burgundiæ.

PETRVS Comes deureux & deporchs.

ROBERTVS Druidenſis, Vicecomes Caſtellodunenſis, ratione vxoris CLEMentiæ: perijt in Cypro.

ROBERTVS IV. Dreuſij & Brennæ Comes, S. Valerij Dominus: cum vxore BEATRICE F. Ioannis Comitis Montfortij ſepultus in Abbatia Brennenſi.

IOANNES Druidenſis Templarius.

IOLE Domina S. Albini & Duni in Caduſiorum agro: coniux primùm Amaurij Craonēſis: poſtea Ioannis Dammartini Comitis.

ALEXIA vxor Rudolphi Claro montani, domini Neslæ, Connestabilis Franciæ: quo in prælio Cortracenſi occiſo, nupſit Gulielmo Flandro.

IOAN-

IOANNES II. Dreuſij, Pontiſanl, & Iognij Comes, magnus Franciæ Cubicularius, obiit 2. Martij A.C.1329. In Longocampo ad S. Clodoaldum ſepultus. Vxores eius duæ: 1. IOANNA F. Imberti Belloiocani, domini Mompenſerij, & Iſabellæ Melodunenſis, dominæ S. Mauricij in Puſæano agro: 2. PERNETTA Salliana, vidua Godefredi Luſignani.

IOLE poſt fata Alexandri Regis Scotiæ, nupſit Arthuro Britanno.

ROBERTus Dominus Caſtelli Lorij, ἄπαις.

IOANNA ad Ioannem Comitem Ruſſenſem, Brennenſem attulit Comitatum: ſecundis nuptiis ſociata Ioanni Barrenſi, Theobaldi F. Butſaa domino.

MARIA uxor Mommorantij, iuxta patrem ſepulta.

Liberi eius

ex priore matrimonio:

ROBERTVS V. Comes Druidenſis & Mompenſerij Dominus.

IOANNES Druidenſis ex vxore Maria Anguiana mares quidem ſuſtulit: omnes tamen immatura defunctos ætate.

IOANNES III. Dreuſi. Comes, Mompenſerij dominus, poſt filium IOANNEM è viuis exceſſit.

SIMON quartogenitus, fratrem Petrum morte anteuertit. Ideoq. eius filij à ſucceſſione ſunt excluſi.

PETRVS Comes Druidenſis poſt fratres ἀπαιδας: vxores habuit duas: 1. ISABELlam Melodunenſem, ſterilem: 2. IDAm Iognienſem.

IOANNA Druidenſis ἄπαις.

ex poſteriore:

IOANNA nupſit primò Ludouico Thoarenſi, qui affinibus ἄπαις, in Comitatu Dreuſii ſucceſſit: deinde Gauuino Beauſardo, qui alteram familiam Dreuſii Comitum condidit.

VI.

COMITVM ET DVCVM BRITANNIÆ.

PETRVS, Roberti II. Druidenſis Comitis F. à Britannis MALVS CLERICVS cognominatus, quòd fidem Regi Franciæ pro Britanniæ Comitatu dederat, quem illi exemptum regno cupiebant: Henricum Auangorium agro Lumballico, Iugonenſi, Montaltorio, Guinegauſio, aliiſque ſpoliauit. A Ioanne Angliæ Rege [1214.] cum multis aliis nobilibus captus, & in Angliam abductus: ſed Philippi Augusti Regis Franciæ opera liberatus: deceſsit A.C. 1250. Britanniæ autem adeptus eſt Comitatum ratione vxoris ALEXIAE ſiue ADELAE, Guidonis Burggrauij Thoarenſis & Britanniæ Comitis filiæ.

IOANNES I. cognom. RVFVS, Druidenſis & Britanniæ Comes, S. Ludouicum Franciæ Regem ad bellum Sacrum (1270) comitatus, iſthic loci in viuis eſſe deſijt. Vxor BLANCA F. Theobaldi VI. Regis Nauarræ, Comitis Campaniæ & Briæ.

IOLE ſeu IOLANTA deſponſata Ioanni fratri S. Ludouici Regis Franciæ: ipſo ætate immatura mortuo, nupſit Hugoni Bruno Comiti Marcæ, Argoliſmorum, & Ponthieuræ.

IOANNES II. Dux Britanniæ primus, periit Lugduni in coronatione Clementis V. Pp. Rom. oppreſſus ruina veteris maceriæ A. C. 1305. Vxor BEATRIX F. Henrici III. Regis Angliæ, ducta A.C. 1298.

PETRVS florenti ætate mortuus & Lutetiæ in æde Franciſcanorum humatus.

THEOBALDVS.

NICOLAVS.

ROBERTVS.

ALEXIA uxor primùm Ioannis Caſtilionæi Bleſenſis & Carnutum Comitis: deinde Bochardi Comitis Vindomienſis.

LEONORA puella mortua.

ARTVRVS Dux Britanniæ ſecundus, gloriæ perquàm appetens; ratus ſe Franciæ Regi magnam facturum gratiam; ſi Fanum Iamæ, deiecto Anglico præſidio, in poteſtatem redigeret: coacta manu viginti millium, oppidum obſidere, fortiterquè oppugnare eſt aggreſſus. Verùm inde repulſus, ignominioſa fuga in caſtra ſe recipere eſt coactus. Dolens itaque, conatum ſuum ſucceſſu non ſolùm caruiſſe, ſed & malè cecidiſſe: vt fugæ ſuæ turpitudinem virtute deleret: in Andegauenſes aduolans; quacunque iuit, omnia vaſtauit, diripuit, atque vnum & alterum oppidum occupauit.

IOANNES Britannicus, Comes Richomontanus.

PETRVS Britannicus.

BLANCA nupſit Philippo Arteſio.

Secunda uxor Guidonis Caſtilionæi.

Tertia virgo Veſtalis apud Fonteneralios.

Liberi eius

ex BEATRICE Lemoulcum Comitiſſa, vxore prima:

IOANNES III. Dux Britanniæ, qui teſtamento hæredem ſcripſit IOANNAM fratruelem, cauſam belli ſanguinarij. Vxores eius tres; ISABel-

GVIDO Britannicus, Ponthieuræ Comes. Vxor N. filia vnica Hen-

ex IOLA filia Roberti IV. Druidenſis, vel, vt quidam volunt, Amaurij Comitis Narbonæ, Comitiſſa Montfortia: cuius ergò partem iſtius Comitatus obtinuit.

IOANNES Brenonius

IOANNA Bri-

la Caroli Valeſii F. ISABELLA F. Sancij IV. Regis Caſtellæ: & MARGARETA filia Eduardi Comitis Sabaudiæ. | *rici Baronis Amangerij, vel Vaugerij.*

PETRVS Britannicus, obiit iuuenis.

IOANNA Clauda, Ioannis III. patrui teſtamento hæres ex aſſe ſcripta: de ducatu Britanniæ acriter contendit cum Ioanne Brennonio. Nupſit Carolo Bleſenſi Comiti, qui in prælio contra Ioannem IV. Britanniæ Ducem occubuit A. C. 1364.

Comes Montfortius. Huic poſt obitum Ioannis III. fratris conſanguinei, ob Britãniæ ducatum litem mouit IOANNA Clauda, vxor Caroli Bleſenſis: quæ cùm in

tannica, vxor Roberti Flandri, Caſſai, Alluiæ, & Mentius miralij Domini.

ALEXIA vxor N. Comitis Vendomienſis.

BEATRIX vxor Guidonis Vallenſis.

MARIA Monialis Poſsiaca.

Parlamento Pariſienſi cauſam obtinuiſſet: ille non contentus ea ſententia in Iudicio pronunciata; Eduardi III. Angliæ Regis ope Ducatum armata manu inuaſit: primò omnium pecunias ab arce Lemouicum, quas frater ibi reconderat, auferens: dehinc Nannetes atque Rhedones in poteſtatem redigens: tum Bieſtum vnà cum arce, Caroli Bleſenſis præſidio eiecto, capiens: Venetos tandem in deditionem accipiens. Verùm à Ioanne Normanno, Philippi Valeſij Galliæ Regis F. paulo pòſt Nannetibus receptis, captus; Lutetiæ in Lupaca arce vitam amiſit. Vxor CLAVdia Roberti Comitis Flandriæ F.

IOANNES IV. à Claudia matre, nihil ferè ob mariti caſum conſternata, Britannicis proceribus ſuæ factionis impensè commendatus: miſsisque legatis, qui Anglica auxilia accerſerent, Dux Britanniæ quartus renunciari curatus: Carolo Bleſenſi prælio victo, Guertandæ tranſactione facta, cum Ioanna Ponthieurana; legem ipſius conſenſu ſanxit: ne fœminæ, dum mares è familia Britannica ſupereſſent, in gubernatione ducatus ſuccederent A. C. 1364. Obiit A. C. 1400. liberis tutorem conſtituens Philippum Audacem Ducem Burgundiæ. Vxores habuit duas: MARIAM F. Eduardi III. Regis Angliæ ſterilem: & IOANNAM F. Philippi Eboracenſis, Regis Nauarræ: quæ poſtmodò nupſit Henrico IV. Regi Angliæ.

Liberi eius IIX.

1. IOANNES V. Dux Britanniæ, à matre hæres ſcriptus Comitatus Richemontam, & bonorum omnium, ad Carolum Gallum defecit: nec diu pòſt ſuperfuit. Obiit A. C. 1442. Vxor IOANNA F. Caroli VI. Regis Galliæ.

FRANCISCVS I. Dux Britanniæ, vir perfidus & ſanguinarius: Ægydium fratrem in vinculis trucidauit. à quo, vt de parricidio iſto coram diuino iudicio intra annum reſponderet, citatus dicitur: intra quod tempus hydrope periit A. C. 1450. Vxores eius duæ: IOLE Ludouici Andegauenſis Siciliæ Regis F. ſterilis: & ISABELLA F. Iacobi I. Regis Scotorum.

FRANCISCA vxor Ioannis Domini Albretani. | *MARIA vxor Ioannis Rohanenſis, Vicecomitis Lemouicum, Alani Rohanenſis F.*

PETRVS Guineampi Dominus, Dux Britanniæ poſt fratrem: ipſi ſeptem ſuperfuit annis. Mortuus ἄπαις A. 1457. Vxor FRANCiſca filia vnica Ludouici Amboſiani, Touarræ Burggrauij.

AEGIDIVS Britannicus, Reſei Dominus, & Franciæ Mareſcallus (ſic caſtrorũ vocant Præfectum) à fratre Franciſco, quòd nullis induci rationib. poſſet, vt deſertis Anglis, qui eo tempore Gallos acerbo vexabant bello, Galliæ Regi operam nauaret, captus: in carcere faucibus eliſis necatur A. C. 1449.

ISABELla deſponſata Guidoni Vallenſi, ſed nupta Ludouico III. Andegauenſi, Regi Siciliæ.

CATHARINA vxor Guilielmi Challonij, Auraniæ Principis.

2. AEGIDIVS ἄγαμος Auxerræ mortuus A. C. 1412.

3. *ARTHVRVS II. ab Anglis Richemondiæ donatus Comitatu: ab eis poſteà cum fratre defecit ad Carolum Regem Galliæ: à quo Connêſtabilis Franciæ ſiue Magiſter Equitum eſt factus. Petro exinde fratrueli in Britanniæ Ducatu ſucceſſor datus: vix biennio exacto, morbo interÿt ǎπαις A C. 1459. Vxores habuit tres: 1. MARGARETAM F. Ioannis Ducis Burgundiæ: 2. N. filiam Domini Albretani: 3. CATHARINAM Lucemburgicam, Comitiſſam S. Pauli.*

4. *RICHARDVS Britannicus, Stamparum Comes, & Dominus Cliſſonÿ: ob vxorem MARGARETAM Aurelianam, Ludouici filiam, factus Comes Vertutum.*

FRANCISCVS II. Comes Stamparum & Virtutum, Dux Britanniæ ſuæ familiæ poſtremus: per imprudentiam hoſpitÿ ius violans; Henri cum Richemondiæ Comitem ſupplicem hoſti Eduardo IV. Angliæ Regi prodidit. quem tamen breui pòſt contra Richardum, illius fratrem, armis iterum iuuit & defendit. Carolo quoque Bellatori Burgundiæ Duci ſuas iungens copias, aduerſus Ludouicum XI. Galliæ Regem malè pugnauit. Obiit A.C. 1488. 7. Decembris. Vxor MARGARETA F. Gaſtonis Fœcenſis, Regis Nauarræ.

CATHARINA uxor Guilielmi Cabillonenſis, Domini Arcoliani, Auraſiorum Principis.

ISABELLA puella mortua.

N. Abbatiſſa Fontenallenſis.

ISABELLA immatura ætate extincta.

ANNA Britannica, deſponſata primùm Richardo VValliæ Principi, Eduardi IV. Regis Angliæ filio: dehinc Maximiliano I. Cæſari: ſed quam ipſi præripuit Carolus IIX. Rex Galliæ: poſt cuius mortem nupſit Ludouico XI. itidem Galliæ Regi.

5. *MARIA Alano Vicecomiti ſiue Burggrauio Rohanenſi ſociata.*

6. *MARIA altera nupſit Ioanni I. Duci Alenconio.*

7. *BLANCA vxor Ioannis Armigniaci.*

8. *BONA nupta N. Vicecomiti Lemouicum.*

COMI-

VII.
COMITVM ARTESIÆ SIVE
ATREBATVM.

ROBERTVS frater germanus S. Ludouici IX. Regis Galliæ, primus Comes Arteſiæ & Fani S. Pauli, in oppugnatione vrbis Damiatæ occubuit Maſſuere 20. Nouemb. 1249. Vxor MECHTILDIS F. Henrici Magnanimi Ducis Brabantiæ.

ROBERTVS II. Comes Arteſiæ, periit in pugna Curtracenſi 7. Iulij 1302. Vxores habuit tres: 1. AGNETEM Borboniã, filiam Archimbaldi Iunioris, viduã Ioannis Burgundi: 2. ANNAM Cortenæam, Cuchiarũ & Magduni ad Eboram dominam: 3. MARGARETAM filiam Ioannis Comitis Hannoniæ, quam ſuperſtitem reliquit. Ex ſola autem Cortenæa quatuor ipſi nati liberi.

BLANCA uxor primum Henrici Campani, Nauarræ Regis: deinde Edmundi, Henrici III. Angliæ Regis filij.

BLANCA Roſolana Comitiſſa.

PHILIPPVS Arteſius, ante patrem obiit A. C. 1288. Vxor BLAnca filia Ioannis II. Ducis Britanniæ.

ROBERTVS ἄτεκνος.

MATHILDIS fratre defuncto, patri in Comitatu Arteſiæ ſucceſſit, Regibus Galliæ approbantibus, & in Parlamenti conſeſſu [1318 & 1329] Comitatum illi confirmantibus. Nupſit Othoni Comiti Burgundiæ.

ROBERTVS III. Arteſius, Comes Belmontij & Rogeriani, matrimonio ſibi copulauit IOANNAM, Philippi Valeſii, quem reliquorum procerum auxilio ad regnum euexit, ſororem germanam: ſpe Comitatus Arteſij per eam recipiendi. Cauſa iterum vbi cecidit: in Angliam ad Eduardum III. Regem ſe contulit: factus Comes Richemondiæ. Periit ex vulnere A. C. 1341.

MARIA vxor Petri Flandri Comitis Namurcenſis.

IOANNA coniux Gaſtonis Fecenſis, Comitis Candallati.

MARGARETA nupſit Ludouico Eboracenſi.

AGATHA elocata Reimundo Buardo Foxij Comiti.

IOANNES Arteſius, Comes Eſſuanus.

CATHARINA vxor Ioannis Borbonij, Sebuſæ & Carentij Domini.

CAROLVS *Arteſius, Longauillæ Piſcenarumq; Comes.* *Vxor* IOANNA *Bancaa, mater Gulielmi Bancai, Montiſraximæ & Roalliarum domini.*

PHILIPPVS Arteſius, Comes Eſſuanus, & Connoſtabilis Franciæ. Vxor MARIA Biturica.

IOANNES Arteſius, Peronæ Dominus.

IOANNA vxor Simonis Thoarienſis, Comitis Dreuſi.

CAROLVS Arteſius, Comes Eſſuanus, in prælio Azincurtenſi [1415] ab Anglis captus: poſt XX. II. annorum captiuitatem liberatus: ἄπαις deceſſit A. C. 1461. menſe Iulio. Vxor HELENA Melodunenſis, Antonij Domini Tornaci F.

BONA vxor 1. Philippi Niuerſij: 2. Philippi Burgundi.

REGVM

IIX.

REGVM SICILIÆ ET NEAPOLIS: à QVIBVS quoq; orti REGES aliquot VNGARIÆ & POLONIÆ: item Principes Tarentini & Dyrrachij.

CAROLVS, Ludouici IIX. Celtarum Regis F. Andium & Prouinciæ Comes, ab Imp. Friderico II. Narbonenſi Galliæ Præfectus: à Romano dehinc Pontifice [1263] *ad Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ regna* vocatus; Romæ abs eo coronam (1265) ſumſit: hac tamen lege, vt quotannis X L. millia numûm Eccleſiæ Romanæ penderet. Quæ poſtea regna Manfredo [1266. 6. Ianuarij] & Conradino [1268. 22. Aug] Regibus acie victis atque occiſis, occupauit. Vir animo ſummo, aſpectu feroci, in puniendo ſeuerus & acer; rebus militaribus, quàm ciuilibus, longè præſtantior: at ingenio valde ambitioſo & inſolenti: qua de cauſa per conſpirationem Siciliâ eiectus; Gallis fermè omnibus ad internecionem ſub veſperam trucidatis: (accidit hoc 30. Martij ipſo die Paſchatis anno 1282. vnde VESPERARVM SICVLARVM nomine dies hic eſt inſignitus) Apuliam duntaxat cum Neapoli retinuit. Francica lilia cæruleo in campo, ſupraque caſtellum rubtum, pro inſigni tulit. Toggiæ in Apulia ex mœrore deceſsit 7. Ianuarij A. C. 1284. ætatis ſuæ LVI: ſepultus Neapoli in Eccleſia cathedrali. Vxores ei fuere duæ: BEATRIX filia & hæres Raimundi Berengarij Prouinciæ Comitis: & MARGARETA Tonnerenſis, filia Othonis Comitis Niuernenſis, neptis Hugonis IV. Ducis Burgundiæ: quæ marito Regi ſuperſtes, Tonnerenſe Prochotrophium conſtruxit: in quo vidua pauperibus per totam vitam miniſtrauit.

Liberi eius ex BEATRICE.

CAROLVS II. à prauo corporis habitu CLAVDVS cognominatus, Princeps Salernitanus, Rex Neapolis: vir benignus & liberalis: pace & moderatione ciuili plurimùm præſtãs: in rebus autem bellicis nec felix, nec expertus. Etenim Siciliam recuperare conatus: à Rogerio Lora Calabro, Petri Aragonij Regis Amiralio. [7. Aprilis 1284.] nauali prælio victus, & cum magno nobilium numero eſt captus: ex quibus ducenti in vltionem Conradini capite ſunt truncati. Ipſe quoque morti adiudicatus; poſt quadriennij demum captiuitatem, [1288] beneficio Conſtantię Reginæ certis conditionibus dimiſsis, Florentiam venit: vbi à Nicolao IV. Pontifice Romano Rex Siciliæ & Apuliæ eſt inunctus: ad quam etiam repetendam ſatis magna ipſi auxilia ſunt ſuppeditata. Pace autem inter ipſum & Iacobum Aragonium vixdum conſtituta: Fridericus Iacobi germanus Siciliam extemplò iterum occupauit: quam etiam, nauali licet victus prælio, affinitate cum Carolo inita, retinuit. Obiit 4. Maij, ipſo die Quinquagenaliorum A. C. 1309. ſexagenarius. Sepultus primùm Neapoli in æde S. Dominici: mox Arelatum in Prouinciam translatus, in baſilica B. Mariæ Nazarenæ: quam ipſemet extruxit, eſt inhumatus. Annos regnauit X X V. cum quatuor fermè menſibus. In eius fuit conſortio MARIA, filia & hæres Stephani Regis Vngariæ, XIV. liberorum mater.

BEATRIX nupſit Philippo, Balduini II. Imp. Byzantini filio.

BLANCA uxor Roberti Flandriæ Comitis, qui propria manu Manfredum interemit.

1. CARO-

1. Carolvs Martellvs, Princeps Salernitanus, ex materna ſucceſsione Rex Pannoniæ conſecratus, primùm Neapoli, patre perinuito, à Gentile de Monteflore Cardinale, legato Nicolai IV. Pontificis 8. Decemb. 1289: iterum in Alba Regia ſub initium anni 1310. 2. Ianuarij. Obiit 16. Auguſti 1342. Vxor Clementia Rudolphi Habsburgij, Imp. Rom. F.

Carolvs Rex Pannoniæ, patris patruiq; nomina in baptiſmo adeptus, & Carolobertvs dictus; alterum, à patre in regni conſortium adſcitus, omiſit. Roberto patruo de regno Neapolitano litem mouit: quâ compoſitâ, patriſsans ante patrem diebus obiit A. C. 1342. menſe Auguſto. Vxor Elisabeth filia & hæres Vladislai Loctici Regis Poloniæ.

Clementia Ludouico X. Hutino Galliarum Regi nupſit.

Lvdovicvs adoptus ab auunculo Caſimiro Poloniæ Rege; Vngariam pater rexit forteſque Polonos: Vngariam quidem annos XL. cum vndetriginta diebus: Poloniam verò annos XII. demptis diebus LIII. Princeps magni atque excelſi animi, bellicoſus, & fortunatus: qui iniuſtam cædem fratris ſui germani vindicaturus, & perfidiam flagitioſæ mulieris vlturus: magno cum exercitu Apuliam [1346. 1349] ingreſſus, nō tamen magno negotio Reginam cum marito Ludouico Tarentino regno eiecit. Venetos itē [1357] oppugnauit: cum quibus, Iadora Dalmatiæ metropoli capta, pacem demum fecit. Tirnauiæ mortuus 11. Septemb. 1382. quinquagenario maior annis ſex cum ſemeſtri, & diebus octo. Vxores eius duæ: 1. Margareta Caroli IV Imp Rom. filia ἄτεκνος obiit 1149: 2. Elisabeth Stephani Boſnenſis Bani F. poſt mariti obitum ſubmerſa & ſuffocata à Ioanne Heruatio Croatiæ Bano.

Carolvs infans extinctus 1321.
Ladislavs quinquennis mortuus 1329.
Stephanvs Princeps Sclauoniæ & Dalmatiæ:
Ioanna Guilielmo Auſtriaco deſponſata: ante nuptiarum ſolennia obiit. Sepulta Neapoli.

Andreas ſexennis à Roberto patruo magno in filium & regni Neapolitani ſucceſſorem adoptatus: Ioannam ipſius neptem vxorem duxit. Verum cùm effrenatæ vxoris libidini parum ſatisfaceret: eius impulſu Aner ſæ à coniuratis oppreſſus & ſtrangulatus eſt 5. Septemb. 1345. annum agens XIIX: ſepultus Neapoli in eccleſia cathedrali.
Carolvs Martellus Poſthumus, Dux Calabriæ, infans extinctus 26. Decemb. 1345.

Catharina deſpōſata Ludouico Aureliano, Caroli V. Galliæ Regis filio: in prima ætate extincta.

Maria regni Vngariæ hæres, in Croatia arctæ cuſtodiæ mancipata; à Sigiſmundo ſponſo, qui poſtea Imperatoriam adeptus eſt maieſtatem, liberata; & in regnum reſtituta: obiit 1395. 17. Maij.

Hedvigis Poloniæ Regina, anno regni, tertio [1385] nupſit Vladislao Iagelloni Duci Lithuaniæ: quē his nuptiis ad fidem Chriſtianam perduxit. Obiit 1399. 12. Iulij.

Elisabeth vxor Stephani Fibulati, Ducis Bauariæ.

2. *Lvdovicus Epiſcopus Toloſanus, ordinis Franciſcani: à Ioanne XXII. Pontifice Romano in diuorum album relatus.*

3. RO-

3. ROBERTVS Dux Calabriæ, & Rex Neapolis hæres regni Siciliæ: quam poſt Iacobi Aragonij fata recuperare conatus; ſed victus à Friderico Iacobi germano, inuita fortuna nil amplius tentandum ratus: contentus Neapoli, Siciliam reliquit: illam aduerſus Impp Germanicos Henricum VII. & Ludouicum Boium, acerrimè propugnauit: nec non Guelfos contra eorundem vim protexit. Quin & Genuenſis vrbis imperium [1318] obtinuit: & multa paſſim templa cœnobiaque condidit: quorum è numero ſunt Neapoli S. Claræ, & S. Crucis. Vita deceſſit Neapoli 29. Ianuarij A.C. 1343. regni XXXIV. ætatis ſuæ LXIIX (Bonfinius habet LXIII.) incredibile ſui apud omnes deſiderium memoriamq́ dulciſsimam relinquens. Vir namque erat prudens, doctus, liberalis, eruditorum itẽ hominum & ingeniorum amans. Ad S. Claram inhumatus. Vxores habuit duas: quarum VIOLANTA Petri Aragonum Regis F. obiit, marito nondum regnum aſſecuto: SANCTIA Maioricarum Regis F. poſt Regis obitum in cœnobium S. Crucis ſe contulit: vbi per annos XII. cum maxima humilitate ac paupertate vitam exegit: ibidem ſepulta *ἄπαις* A.C. 1345. 28. Iulij.

CAROLVS *Dux Calabriæ*, ante patrem Neapoli in ipſo ætatis flore extinctus 8. Nouemb. A.C. 1328. ibidemque in cœnobio S. Claræ funeratus. Cæterùm Liparim Siciliæ exuſſiſſe legitur: & vxores habuiſſe duas: MARIAM Valeſiam, ſororem germanam Philippi VI. Francorum Regis: & CATHARINAM F. Alberti I. Imp. Rom. *ἄπαιδα*.

IOANNA I. Neapolis Regina avi teſtamento deſignata, hac conditione: vt nuberet Andreæ Vngaro, Principi agnato. Ob cuius cædem (illũ namque ſtrangulauerat) à leuico Ludouico Vngariæ Rege eiecta: Clementis VI Pontificis Romani ope id deinceps recuperauit: ab eodem coronata cum Ludouico Tarentino, altero marito, 27. Maij A.C. 1352. Quo defuncto, nupſit Iacobo Tarraconenſi, Infanti Maioricarum: & mox hoc repudiato, Othoni Brunſuigio & Einbeccio. Sed cùm ne hoc quidem defenſore ſe tutam fore cerneret: vt expleret odium, quod in agnatos conceperat; & manibus mariti primi multa cæde parentaret: adoptauit Ludouicum Andegauenſem. Qua eius importuna leuitate offenſus Vrbanus VI. Pontifex Romanus; Ludouicum è Pannonia ad regnum reuocauit: qui ætatem prætexens, Carolum Dyrrachinum armauit: à quo illa capta & eodem in loco, quo primum ipſa maritum ſuffocauerat, eſt ſtrangulata 10. Iunii A.C. 1382.

MARGARETA mulier impudica; cum MARIA Poſt-
Ioanne Bocatio conſueuiſſe, & Andrea huma, vxor Ca-
Regis necis particeps, alterumq́ maximo- roli Principis
rum ſcelerum conſcia fuiſſe legitur. Qua- Dyrrachini.
propter etiam à Carolo III. Neapolis Rege
capitis eſt damnata.

4. *PHILIPPVS Princeps Tarentinus, Panormi in vinculis aliquandiu detentus: Neapoli tandem obijt: ſepultus ibidem in æde B. Dominici iuxta patrem A.C. 1364. Vxores habuit duas: primùm N. Deſpotæ Græciæ filiam, è familia Comminatum: dehinc CATHARINAM Valeſiam Imperatricem Byzantinam, filiam Caroli primi Valeſiorum Comitis.*

Liberi eius

ex priore matrimonio: † — *ex poſteriore:* ††

PETRVS

†

PETRVS materna hæreditatis iure Deſpotes Romaniæ cognominatus: viuo patre obiit ἄπαις: ſepultus Neapoli in æde Dominici prope auum. In huius coniugio vixit N. Maioricarum Reginæ; ſiue (vt alijs placet) BEATRIX Ludouici Bohemiæ Ducis F.

CAROLVS itidem patrem morte præuertit adoleſcens.

BEATRIX vxor Gualtherij de Brenna, Ducis Athenarũ & Comitis Licinij.

††

ROBERTVS Princeps Tarentinus, Imp. Byzantinus: ex vxore MARIA Ludouici Borbonij F. vidua Hugonis Cypri & Solymorum Regis, nihil liberorũ tulit.

LVDOVICVS Tarentinus, alter IOANNAE I. Neapolis Reginæ, cum quâ antea conſueuerat, maritus; Dux Calabriæ & regni Adminiſtrator factus: in Regem exinde Hieroſolymæ & vtriusque Siciliæ à Clemente VI. Pontifice coronatus 27. Maij 1352: à Ludouico Vngariæ Rege regno eiectus: paulo poſt eius diſceſſum, conceſſa Pontifici Auenione, & reditum in regnum, & auxilia contra præſidia à Ludouico relicta, impetrauit. Amiſſa vbi recepit: nimio veneris vſu, quo vnico Reginæ libidinoſæ placere potuit, ad Caſtrum nouum extinguitur A. C. 1362. 26. Maij. ſepultus in monaſterio montis Virginis iuxta matrem. Filiæ ipſius CATHARINA & FRANCISCA immaturè obierunt.

PHILIPPVS Princeps Tarentinus Imp. Conſtantinopolitanus, obiit A.C. 1373. Vxores eius duæ: MARIA Caroli Ducis Calabriæ F. relicta Caroli Dyrrachini: & ELISABETH filia Stephani III. Regis Vngariæ.

CAROLVS periit in prælio contra Huguccium A. C. 1315.

MARIA vxor Ludouici Dyrrachini, Neapoli mortua, & in B. Virginis æde ſepulta.

MARGARETA Tarentina, cognatis inſciis nupſit Franciſco Baucio, qui deinde à Ludouico & Ioannâ Regina Dux Andriæ eſt creatus: cuius poſtea gratiâ à Ioanna relegata, obiit Neapoli.

5. TRISTANVS ſeu CHRiſtianus natus Catalonia eo tempore, quo pater ibidem captiuus detinebatur: in pueritia eſt extinctus.

6. RAIMVNDVS Berengarius, Vicarius gubernatoris regni: ἄγαμος.

7. IOANNES ſacris initiatus, in pueritia eſt extinctus.

8. PETRus Comes Grauinenſis, victus ab Huguccio, in prælio; quod pro Florentinorum auxilio eſt geſtum, interijt ſuffocatus in paludibus A.C. 1315.

9. CLEmentia vxor Caroli Valeſii.

10. BLANCA coniux Iacobi Regis Arragoniæ.

11. LEONOra coniux Friderici Regis Si[ciliæ].

12. MARia conſors Iacobi Regis Maiorcarum.

13. BEAtrix tribus ordine nupſit: 1. Azoni Eſtenſi Marchioni Ferrariæ: 2. Bertrando (Delbauſio) è Bauciorum familia nato, Comiti montis Cambioſi: 3. Roberto Delphino Viennenſi.

14. IOAnnes Peloponneſi vel Amoreæ Princeps, & Dux Dyrrachij, peninſulæ illius dominam vxorem duxit: ex qua cùm nullum haberet filium: & illa alium virum, priore adhuc viuente, ſibi deſpondiſſe diceret: facto diuortio, AGNETEM Comitis Petrocolenſis filiam legitimè ſibi copulauit. Obiit Neapol: ibidem in S. Dominici baſilica iuxta patris monumentum ſepultus, tribus ſuperſtitibus filijs.

CAROLVS Dux Dyrrachinus, cui Ioanna I. in Galliã fugiens Neapolim gubernandam ac defendendam commiſerat, Auerſæ à Ludouico Rege Vngariç & Poloniæ, in vltionem fratris Andreæ eſt peremtus A.C. 1248. 23. Ianuàrij. Vxor MARIA Poſthuma, Duciſſa Calabriæ.

ROBERTVS Dux Dyrrachinus obijt ἄπαις ἀῤῥένων A. C. 1352.

Filia N. nupſit primùm Ludouico Comiti Belmontenſi, fratri germano Caroli I. Regis Nauarræ: deinde Roberto Comitis Artuenſis filio: qui ad caſtellum Oui, Caroli III, Regis iuſſu in vincula coniectus, animam efflauit.

LVDOVICus Dux Dyrrachij, ad Caſtellum Oui Ioannæ Reginæ iuſſu in vincula coniectus, expirauit 25. Ianij 1352. In æde S. Crucis ſepultus. Vxor 1. MARIA F. Philippi Principis Toletani: 2. MARGARETA filia Roberti Seueriñatis.

IOANNA, AGNES, & CLEMENtia puellæ extinctæ.

MARGARETA nupſit Carolo III. cogn. Pazo, Regi Neapolitano.

CAROLVS III. cogn. Pazus ſiue Paruus, Dux Dyrrachinus: à Ludouico Vngariæ Rege, ſuo agnato, cótra Ioannam I. Apuliæ Reginam armatus: in Italia Othonem Brunſuigium, Ioannæ maritum, acie victum & captum, in vincula coniecit: Reginam ipſam ſponte ſe dedentem, iniecto ſuper os puluino ſuffocauit. Qua ratione Hieroſolymotum & vtriusque Siciliæ Rex inauguratus ab Vrbano VI. Pontifice, in baſilica S. Petri inunctus eſt 2. Iunij A. C. 1381. A Ludouico Andegauenſi, quem Ioanna adoptauerat, aſsiduo totius biennij bello fatigatus: eo improuiſa morte intercepto, regnum Neapolitanum absque cæde obtinuit. Non multo pòſt, Ludouico Rege mortuo, in Pannoniam reuocatus: in Alba regali regio coronatus eſt diademate 5. Decembris A. C. 1385. ſed vix ſemeſtri elapſo, Budæ inſidiis Eliſabethæ Reginæ inter epulas eſt obtruncatus 3. Iunij A. C. 1386. Bonfinius & alij referunt, eum 13. Februarij in arce Budenſi pluribus vulneribus confoſſum: & Viſſegradi veneno eſſe enectum 27. Febr. Sepultus in Alba regali in Regum mauſoleis. Regnauit ſuper regnum Siciliæ cis Farum annis quatuor, menſibus octo, diebus XXVI. Vxor MARGARETA patruelis, Caroli Dyrrachini F.

LVDOVICVS infantia extinctus.

AGNES vxor 1. Canis Grandis Scaligeri, Domini Veronæ: 2. Iacobi Baucij Ducis Andriæ.

LADI-

LADILAVS puer adhuc poſt patris in Pannoniam diſceſſum *Rex Siciliæ* cis Farum deſignatus: & Caietæ (27. Feb. 1386.) coronatus: regno annis præfuit XXXIIX menſibus quinque, diebus vndecim. Pannoniæ quoque Rex creatus contra Sigiſmundum Imp. anno 1403. Iaderam vrbem cepequam Venetis vendidit, Neapolitanos audiens res nouas moliri. In regnum itaque reuerſus, Tarentinos deditione cepit: & in defectionis auctores, Sanſeuerinates inprimis, ſeueriter animaduertit. Romana Eccleſia Pontificum ſchiſmate lacerata, vrbem Romam ſecundùm occupauit: & magiſtratus pro ſuo arbitrio dedit & exauctorauit. Vno prælio victus à Ludouico II. Andegauenſi; quem Alexander V. Pontifex & Florentini contra ipſum euocârant, mox reſumptis viribus, bellum redintegrauit, tanto hoſtium cum terrore: vt Andegauenſis bellum deſereret; Florentini de pace fienda vel iniquiſsimis conditionibus deliberarent. In eo belli apparatu, quum tertiùm Romam contenderet, obiit Peruſij non ſine veneni ſuſpicione 6. Augnſti A. C. 1314. Princeps bellicoſus, imperij cupidus, felis, auctoritate grauis, armorum atque militum amans, in actionibus peruigil, laborum patientiſsimus. In eius fuere matrimonio CONSTANTIA Manfredi Claremontij filia: & MARIA Dux Tatenti, filia Raimundi Elbenij.

IOANNA II. Neapolis Regina: *damnata libidinis & inconſtantiæ fœmina: omnibus nuptiarum ſpem faciens, tandem à proceribus coacta nupſit primùm Carolo Geldriæ Duci; poſtea Iacobo Borbonio Marchæ Comiti, ita vt contentus titulo Principis Tarentini, nil vltrà attentaret: ſed quem poſt ſexennium, cùm Caſtro nouo Neapoli occupato, Regem ſe nominaret, repudiatũ, regno expulit. Ex neutro grauida facta, adoptauit primò Alphonſum Aragoniæ & Siciliæ Regem: quem poſt biennium Romæ adoptionis iure rurſus priuauit: herede regni inſtituto Ludouico III. Andegauenſi, & poſt eum Renato illius germano. Obiit Neapoli A. C. 1434. poſtquam regni tenuit habenas annis XXII. Sepulta ibidem iuxta fratrem ad D. Ioannem de Carbonaria.*

IX.

COMITVM EBORACENSIVM, AD QVOS NAVARRAE regnum deuenit.

LVDOVICVS Philippi III. Regis Galliæ F. [vide ſupra p. 63.] Comes Eboracenſis, ſepultus Lutetiæ Pariſiorum ad Franciſcanos A. C. 1319. Vxor MARGARETA Arteſia, F. Philippi Comitis Attrebatenſis.

PHILIPPVS Comes Eboracenſis, ratione vxoris IOANNAE Nauarræ Reginæ Pampelunæ Rex inauguratus A. C. 1330. obiit in obſidione Argeſilæ, quam infideles tenebant, in regno Granatæ 15. Sept. A. C. 1343. Cor eius exſectum, Lutetiæ in æde fratrum Prædicatorum, ex aduerſo altaris maximi eſt collocatum. Vxor IOANNA F. Ludouici Hutini deceſſit 9. Octob. A. C. 1349. Cor eius ad mariti cor, reliquum corpus in Dionyſiano eſt funeratum.

CAROLVS Eboracenſis, Stamparum Comes. Vxor MARIA Cantabrica ſiue Biſcaina Comitiſſa.

LVDOVICVS Stamparum & Cantabriæ Comes [illegible] *Vxor IOANNA F. Rudolphi Comitis Eſſuani & Neslani.*

MARGARETA nupſit Gulielmo Bononiæ & Aruerniæ Comiti.

MARIA elocata Ioanni Duci Brabantiæ.

IOANNA conſors Caroli Pulcri Regis Franciæ.

CAROLVS I. Rex Nauarræ, & Comes Eboracenſis, quòd plures immenſis vectigalibus opprimeret, Malus cognominatus ad Aquilam Normanniæ vicũ Carolum Hiſpanum, Equitum magiſtrũ, Ioanni Franciæ Regi apprimè carũ, ſubornatis ſicariis trucidauit. Cauſâ cognitâ, capitis damnatus: trium Reginarũ interceſsione eſt abſolutus. Erant hæ Ioanna ipſius amita, Blanca ipſius germana, & IOANNA coniux propria, F. Ioannis Regis. Non multò pòſt, anno nempe 1355. 5. April. Rhotomagi apud Carolum Delphinum, è menſæ luxu à ſatellitibus Ioannis Regis abſtractus; & Lutetiam in cuſtodiam miſſus. anno vertente, Ioanne ab Anglis capto, ipſe populi carceres effringentis ope eſt liberatus Senio tandem confectus, cùm neruorũm quoque dolore laboraret: inductus inſutisque linteis, aqua vim naphthæ habente (quam idcirco viuam & ardentem vocant) perfuſis: fomentis hiſce ex ſcintilla in ea inconſideratè collapſa inflammatis, iuſto Dei iudicio combuſtus eſt antè quàm ferre quiſquam poſſet opem, ſexagenarius A. C. 1386. non magno ſuorum luctu. Erat namque vir inquietus, & magnarum ſeditionum auctor.

LVDOVICVS Comes Belmontenſis Rogeriani, ætatis in Apulia defunctus, & in agro Neapolitano ad D. Martini ædem relatus. Vxor N. filia Roberti Dyrrachiani.

PHILIPPVS Nauarrenus & Eboracenſis Comes, ope Angliæ Regis fratrem ex carcere Pariſienſi liberauit.

ISABELLA vxor Ioannis IV. Comitis Armeniaci.

IOANNA poſt letū Ioannis V. Ducis Britanniæ, mariti prioris, nupſit Henrico IV. Lancaſtrio, Regi Angliæ.

MARGARETA nupſit Eduardo II. Barri Comiti.

AGNES (aliter Maria) conſors Ioannis Comitis Fuxenſis.

BLANCA vxor Philippi Valeſii.

CAROLVS II. Rex Nauarræ & Dux Nemoroſi, Ioanni Burgundiæ Duci, bellum Franciæ Regi inferenti, adhæſit. Obiyt A. C. 1398. poteſtatis ſuæ XII. Vxor ELEONORA F. Henrici II. Regis Caſtellæ.

PETRVS Comes Mortanij. Vxor CATHARINA Alenconia.

IOANNA nupſit N. Domino Rohanenſi.

IOANNES è nutricis manibus lapſus expirauit.

BLANCA ad Ioannem Aragoniæ Regem [illegible] *Nauarræ regni matrilis.*

BEATRIX vxor Iacobi Borbonij.

COMI-

X.

COMITVM ET DVCVM ALENCONII.

CAROLVS Valeſius, Caroli primi Valeſiorum & Alenconij Comitis F. Comes Carnutenſis & Alenconii, occidit in luctuoſiſsima pugna Gallorum cum Anglis ad Creſciacum 26. Auguſti A.C. 1346. Vxores eius duæ: IOANNA filia Ioannis Comitis Iogni[illegible], [illegible]i Meio[illegible]ien[illegible]: & MARIA Cantabrica, filia Ferdinãdi de la Cerda Hiſpani, vidua Caro[illegible] [illegible]boracenſis & Stamparum Comitis.

[illegible] *Co-[illegible] Ar[illegible]epiſ-[illegible]ug-[illegible]s.*

PETRVS Comes Alenconij. Vxor MARIA Chamalliartana, Burggrauia Baumontij.

PHILIPPVS Bel[illegible]acenſis Epiſcopus Patriarcha Solymitanus.

LVDOVICVS Com. Eſtampy.

R[illegible]ERTVS Comes Pertic[illegible]enſis.

ISABELLA Monialis Pyſia-cenſis.

IOANNES Dux Alenconij primus à Carolo VI. Rege Galliæ inueſtitus: à quo cõtra Anglos miſſus, primum quidem Ver[illegible]litum expugnauit; non exigua parte ex præſidio An[illegible]co trucidata. ſed mox collatis ſignis cum Bredfordienſi, Anglicarum copiarum ductore, magna ſuorum ſtrage accepta, ipſe quoque captus eſt A. C. 1380. Periit tandem in prælio Azincurtano A. C. 1415. Deſponſata ipſi erat ISABELLA Caroli V. Galliæ Regis F. ſed duxit MARIAM filiam Ioannis V. Ducis Britanniæ.

MARIA Vxor [illegible]omitis Harcorienſis.

[illegible] d[illegible], [illegible]nſata Gui[illegible] [illegible] aulæ [illegible], eo repudiat, nupſit Petro [illegible]auarræo Comiti Moritaniæ & exinde Ludouico Comiti Palatino Rheni & Duci Bauariæ.

MARGARETA in monaſterio vitam quidem exegit, habitum tamen monaſticum non aſſum[illegible].

IOANNES II. alter Dux Alenconij. Vxores eius duæ: IOANNA Aurelianenſis, Ludouici F. ſter[illegible]is: & MARIA Armeniaca.

RENATVS ſiue Reinerius, tertius Dux Alenco[illegible], & Comes Perchæ. Vxor MARGARETA Lotha[illegible]giæ Ducisſa, filia Friderici Vaudemontij.

CATHARINA vxor Franciſci Vallenſis, magni Franciæ Magiſtri, Guidonis F.

CAROLVS Dux Alenſonij quartus, IOANNA Borbonia ſponſa neglecta, duxit MARGARETAM Aurelianenſem, ſororem Fran[illegible]ci I. Regis Galliæ: ad quem Carol[illegible]o absque liberis paulo poſt pugnam Ticinenſem (ex qua fuga elapſus erat) extincto A. C. 1525. ducatus iſte rediit.

FRANCISCA deſponſata Ludouico Armeniaco Duci Nemorenſi, ſed nupſit Franciſco Longauillæ Duci, & eo mortuo, Carolo Borbonio Duci Vendomienſi.

ANNA vxor Gulielmi Marchionis Montisferratenſis.

XI.

DVCVM ANDEGAVENSIVM,
& LOTHARINGIAE.

LVDOVICVS I. *Valeſius, Ioannis Valeſii Regis Galliæ F. Dux Andegauenſis* & Cenomannorum Comes, à Ioanna I. Neapolis Regina adoptatus; & *Rex Hieroſolymæ, Siciliæ atque Neapolis* deſignatus: poſt illius interitum minimè negligendum ratus tam opulentum regnum: inſtigante Clemente VII. Pontifice Romano, qui patronum quærebat contra Vrbanum VI. æmulum; coactis militum triginta milibus, Carolum Dyrrachinum a ſidio totius biennij bello fatigauit: Tarentum & Barium vrbes occupauit: ſed in ipſa adhuc obſidione, ex potu fontis medicati, improuiſa morte interceptus 21 Sept. A.C. 1384. Alij eum, amiſſo exercitu ad Barium, ob aduerſam belli fortunam mœrore animi extinctum aſſerunt. Leander affirmat, eum vulnere accepto in pugna cum Alberico Comite Cuniate, legionum Caroli Dyrrachini præfecto, vigilijs interiiſſe. Regnauit in Sicilia eis Fatum titulotenus biennium cum trimeſtri. Deſponſata ipſi erat IOANNA II. F. Petri Regis Aragoniæ; verum ea relicta, duxit MARIAM F. Caroli Bleſenſis & Ioannæ Claudæ Britannicæ.

LVDOVICVS II. Dux *Andegauenſis* patre defuncto, à Clemente Antipapa *inunctus in Regem Siciliæ ac Hieroſolymorum*; bis in Italiam abiit, quò paternæ adoptionis iure regnum Neapolitanum adiret, irrito tamen ſucceſſu Pontifice eius conatus impediente: nihilominus tamen Ladiſlaum Neapolis Regem tanta afflixit clade, vt ſupplex à Ioanne Papa pacem & leges peteret. Deceſſit in Gallijs apud Andes, vbi Academiam condidit, A. C. 1417. Vxor IOLE filia & hæres vnica Petri Regis Aragoniæ.

LVDOVICVS III. Dux Andium, à Ioanna II. Neapolis Regina adoptatus in Regem Siciliæ, Ducem Calabriæ ac Comitem Prouinciæ: vetera iura patris aui-q; repetens: varia fortuna cum Alphonſo Aragonio ob regnum decertauit ad annum vſque 1434. quo ipſe Conſentiæ in Brutiis deceſſit: ex duabus coniugibus ISABELLA F. Ioannis VI. Ducis Britanniæ, & MARGARITA Amedei Sabaudiæ Ducis, nulla ſuſcepta ſobole.

RENATVS Andegauenſis, *Dux Calabriæ* & Barri, Comes Prouinciæ & Guiſiæ: à Ludouico fratre Germano, conſenſu Ioannæ II. hæres inſtitutus: nuper ducta in vxorē ISABELLA, Caroli vltimi Ducis Lotharingiæ filia, ditione ea familiam Andegauenſem locupletauit: excluſis ſucceſſoribus maſculis Comitibus Vademontanis, è collaterali eiuſdem familiæ Bilic[illegible] linea propagatis. Quā[illegible] autem Genuenſium auxilio Rex Neapolis fuerat creatus, regnum tamen retinere neutiquam potuit. Etenim ab Alphonſo Aragonio prælio

MARIA vxor Caroli VII. Regis Galliæ.

IOLE nupta Franciſco I. Duci Britanniæ.

CAROLVS Cenomannorum & Mortanij Comes, Dux Lotharingiæ à fratre teſtamento: quum & ipſe ſobole careret; hæredē inſtituit Ludouicum XI. Regem Galliæ. Vxor ISABELLA F. Petri I. Comitis Fani S. Pauli.

CAROLVS Comes Prouinciæ, patrem morte præuertit.

LVDOVICA vxor Iacobi Armeniaci Ducis Nemorenſis.

victus

victus atque fugatus, in Gallias iterum ſe recipere eſt coactus. Ab Antonio quoque Vadimontis Comite fuſus, captus, & in Burgundiam abductus eſt Octogenarius tandem in quadam regni Francici prouincia exul & ἄπαις vitam finiens, inſigne inſtabilitatis fortunæ exemplum reliquit: Carolo tamen fratre priùs teſtamento hærede inſtituto, ſpreto Renato Vadimontano A.C. 1480. Vxor ISABELLA, quæ marito capto ſtrenuè rem in Apulia geſſit, obiit A.C. 1452.

[IO]ANNES *Dux Lotharingiæ*, Calabriæ, Barrique. Præfectus Genuæ, pa[tre] Britānico bello occupato, mag[n]is [illegible]bus per aliquot annos cum Ferdinando. Alphonſi notho, rerum ſucceſſu parum proſpero, decertauit: donec ad Troiam Apuliæ extremo prælio profligatus; regnoque & AEnaria [inſu]la (quæ hodie eſt Iſcla) pulſus: naui in Galliam ſe recepit: vbi dum noua conflaret auxilia, vehementi continuaque febre correptus; Barcinonæ vitam cum morte commutauit A.C. 1470. ibidem ſepultus. Vxor MARIA Caroli Ducis Borboniæ F.

LVDOVICVS Pontis Monſionis Marchio.

RENATVS.

CAROLVS.

IO[illegible] IOLANTA nupta Friderico Vadimontano, Lotharingiæ ducatum reduxit ad veterem ſtirpem B[illegible]onicam. obiit Barri A.C. 1483. ſepulta Iouillæ in baſilica S. Laurentij.

MARGARETA vxor Henrici VI. Regis Angliæ.

ELISABETH.

ANNA.

RENATVS, IOANNES, ELISABETH: infantes extincti.

NICOLAVS *Dux Lotharingiæ*, Marchio Pontenſis adoleſcens ſtaturæ procerioris, armis ſtrenuus & magnanimus: bellum à patre in Catalonia [illegible] contra Hiſpanos renouauit: at cum Lotharingicæ [illegible] electus. Cum Carolo Bellatore Burgundo fœdus iniens, aduerſus Ludouicum XI. Franciæ Regem militem coegit: Bellouacum obſedit: Rothomagenſium agros igne vaſtauit: Metenſium vrbem ſtratagemate occupare conatus, in manus illorum incidit: contra quos denuo, Burgundo accerſito, bellum moliturus, & copias colligēs; peſtifera febre correptus, non ſine veneni ſuſpicione deceſſit ἄπαις, auo adhuc ſuperſtite Anno Chriſti 1473. Sepultus Nanceij in æde D. Georgij. Deſponſatæ illi erant ANNA F. Ludouici Regis Franciæ, item MARIA F. Caroli Burgundi: ſed neutram duxit.

XII.
DVCVM BVRGVNDIÆ RECENTIORVM.

PHILIPPVS *Valeſius*, quòd genitorem ſuum Ioannem Galliæ Regem contra Eduardum VValliæ principem audaciſſimè pugnando defenderat (quo tamen conflictu cum ipſo captus eſt) *Audax* cognominatus: *Dux Burgundiæ*: in viuis eſſe deſiit 27. Aprilis A. C. 1404. Sepultus Diuione apud Carthuſianos. Proximo menſe mariti fatum inſecuta eſt eius coniux MARGARETA filia & hæres Ludouici Malani Flandriæ Comitis: quæ ad eum attulit Flandriam, Arteſiam, Niuerniam, Rethelinum, Sabin[illegible]s, Mechliniam. Sepulta inſulis in æde Petrina iuxta patrem.

IOANNES cognom. *Malus ſiue Intrepidus*, Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Arteſiæ, & Bononiæ, natus Diuione A. C. 1371. 27. Maij. A Carolo VI. Galliarum Rege anno 1396. cum equitatu exquiſito in Pannoniam miſſus: quò Sigiſmundo Regi in Turcas mouenti iungeretur: Nicopolis oppugnatione infeliciter tentata, à Baiazethe cum quinq; aptiuis (reliquos namq; hoſtis in horum conſpectu ad vnum omnes fruſtulatim concidi iuſſerat) Pruſiam deductus; arctaque cuſtodia aſſeruatus: perſoluto λυτρῳ ducentorum millium aureorum, in Galliam redijt. Decennio poſt Ludouicum Aurelianum, ſuum patruelem, Lutetiæ ſicariis trucidandum præbuit: vnde ciuilibus diſcordiis tota Gallia exarſit. Tandem tamen ipſe quoque Monſtreoli ad Sequanam in Gallia Lugdunenſi iiſdem inſidiis, cum agnato nimirum Franciæ Delphino ad ſingulare colloquium progreſſus, non ſine iuſta Dei vltione eſt peremptus 10. Septembris A. C. 1419. Diuione longo pòſt tempore ſepultus ad Carthuſianos. Vxor MARGARETA Alberti Ducis Bauariæ & Hollandiæ Comitis F.

MARIA Amedei Ducis Sabaudiæ coniux.

CATHARINA nupſit 1. Leopoldo Auſtriaco: 2. Domino Rappolſteinio.

MARGARETA ſociata Gulielmo II. Bauariæ Hollandiæ, & Zelandiæ princ[illegible]. mater IACOBAE Bathauicæ.

BONA

ANTHONIVS Dux Brabantiæ & Limburgi Comes Fani S. Pauli & Ligny, perijt in prælio.

Liberi eius

ex IOANNA filia & herede Valerani Puteri Comitis Lucenburgij, Conneſtabilis Franciæ ob quam diſcatum Lucemburgum obtinuit: vxore prima:

IOANNES Dux Brabantiæ, Limburgi ac Lucemburgi, fundator Academiæ Louanienſis anno 1422. ab vxore & amitina IACOBA Bataua, Gulielmi Ducis Bauariæ & Hollandiæ filia, abdicatus et reconciliari vllo pacto pertinaciſſime recuſauit. Quin & Hunfredum, Henrici Angliæ Regis fratrem germanum, qui eam inceſtuoſo ſibi iunxerat connubio, vicit, fudit, ex Hannonia pepulit. Obiit A. C. 1425. ætatis ſuæ XXIV. 4. Maij exeuntis. Sepultus Veræ.

PHILIPPVS *Comes S. Pauli ac Ligniaci, poſt fratris fata factus Dux Brabantiæ ac Limburgi obiit ex apoſtemate in pectore nato, in æde Louanienſi A. C. 1430 ſponſam expectans IOLANAM F. Ludouici II. Andium Ducis. Nati ipſi ex concubina*

ANTHONIVS Brabantinus. PHILIPPVS *Brabantinus.*

ex ELISABETHA Ioannis Ducis Gorlicij F. nepte Caroli IV. Imp.

ANTHONIVS Brabantinus in pueritia extinctus.

PHILIPPVS *Comes Niuernſis & de Rameru. XIII. pag.*

PHILIP-

PHILIPPVS *Bonus* ſiue *Mitis*, Dux Burgundiæ & Brabantiæ, Comes Flandriæ, Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ, parentis cædem vindicaturus, atrox geſsit bellum cum Rege Galliæ: quem maiori regni parte priuauit. Anglos præterea, Iacobæ Bathauicæ ſuppetias ferentes, ſuperauit & profligauit: à qua licet ipſemet magna antè affectus fuerit clade: poſt aliquot tamen annos Hollandiam, Zelandiam, Arteſiam, & Brabantiam Burgundiæ domui adiecit. Gandauenſes cruento prælio fudit & proſtrauit 22. Iulij A. C. 1453. Leodios miſerabili internecione deleuit, immiſſo in vrbem aratro, quo fundamenta ſubuertit, & diſſeminato ſale A.C. 1466. Brugis demum tribus annis maior ſeptuagenario, 15. Iunij deceſſit A.C. 1467. Princeps magnanimus, inuictus, prudens, & ſui temporis tam bello quàm pace clariſſimus. Præter concubinas, quas habuit plurimas, tres ei fuere vxores: prior MICHAELLA F. Caroli VI. Regis Galliæ, ſterilis: altera BONA Atrebacia, F. Philippi Arteſii, vidua Philippi Niuernenſis, itidem ἄτεκνος: tertia ISABELLA Luſitana, F. Ioannis I. Regis Portugalliæ, ducta A.C. 1429.

MARGARETA vxor Ludouici Delphini Viennenſis, Aquitaniæ Ducis: & poſt eum Arturi Britanni, Conneſtabilis Franciæ, ac Ducis Richemontij: Lutetiæ ἄτεκνος mortua 2. Februarij 1441: Ibidem ad Carmelitas ſepulta.

CATHARINA vxor Philippi Aureliani, Virtutum Comitis.

MARIA conſors Adolphi Ducis Cliuiæ.

ISABELLA nupſit Comiti Ponthieurano apud Britones.

ANNA coniux Ioannis Ducis Bethfortenſis, Henrici V. Angliæ Regis filij.

AGNES vxor Caroli I. Ducis Borbonij.

Liberi Philippi

Legitimi:

ANTHONIVS natus Bruxellis 30. Octob. 1436. immatura ætate extinctus.

IODOCVS natus Gandaui 24. Aprilis 1432. in puerili annis mortuus.

CAROLVS Dux Burgundiæ & Brabantiæ, ob plurima bella Audacis, Strenui, & Bellatoris cognomina ſortitus; natus Diuione 10. Nouemb. h. 13. P. M. A.C. 1433. Sub eo conuenerant, & in vnam ditionem ſunt redactæ ampliſſimæ prouinciæ, ſuiq; vnius obſequio ſubiectæ, Burgundia Brabantia, ducatus Lucemburgenſis & Namurcenſis, Limburgum, Flandria, Hannonia, Friſia, Arteſia, Hollandia & Zelandia. Ideoq; potentiam eius grauiter ferens Ludouicus XI. Galliarum Rex (cuius inſidioſas molitiones Carolus antea quoque & ſuſtinuerat fortiter, & armis vindi-

Nothi:

CORNELIVS Burgundus in prælio Morbecano contra Gandauenſes occubuit A. C. 1453.

ANTHONIVS Burgundus, matre IOLA Prellea, Beueræ Domina genitus. de cuius proſapia vide Pontum Heuterum.

DAVID Terouanæ primùm, deinde Traiecti ad Rhenum Epiſcopus, ex eiuratione Gilberti Brederodij: princeps egregius, doctorumque Mecænas liberaliſsimus: à factioſis quibusdam non ſine vitæ ſuæ diſpendio captus: ſed ab Imp. Maximiliano I. libertati reſtitutus: obiit plenus dierum in oppido Vuicka A. C. 1496. præſulatus ſui XXXIX. Sepultus in æde S. Ioannis Baptiſtæ iuxta Doreſtatum.

PHILIPPVS Burgundus, dominio Someldikij fratri Balduino tradito, factus Epiſcopus Traiectinus ex reſignatione Friderici Badenſis: eccleſiam rexit annis ſeptem, demptis diebus XVI. Obiit Doreſtati A.C. 1524. 7. April. ætatis ſuæ LIX.

BALDVINVS Burgundus, Falaiſij, Somergemij & Somoldikij dominus: cuius proſapiam vide apud Pontum Heuterum.

vindicarat feliciter: edito ingenti prælio ad Allerium montem, & pace ipſi Regi propemodùm debellato extorta) bellum ei intulit: & Renatum Lotharingum, vt in huius ditiones prædabundus irrumperet, impulit: ſed quem Carolus fortiter adortus, magna ſuæ ditionis parte pepulit. Dehinc in Heluetios, Lotharingi ſocios, progreſſus: primùm caſtris ad Granſonem poſitis, arceque expugnata: mox fortuna ſeſe vertente 2. Maij ab ijs feſtinato acceſſu obrutus, fœdeque fuſus, & caſtris exutus: amiſsis impedimentis, totiuſq; exercitus opibus, & ſua precioſa ſupellectile; vix ex inſequentium manibus ſe eripuit. Paulo pòſt, 17. nimirum Iunij A.C. 1476. ad Moratum oppidum in confinio Allobrogum, iterum ab ijſdem victus; quum tertiò, Renato amiſſa repetente, reduxiſſet exercitum ad Nanceium; in ipſa obſidione 5. Ianuarij circumuentus ac trucidatus, interijt A. C. 1477: quum annos vixiſſet XLIII. cum diebus LVI. Vxores habuit tres: Catharinam F. Caroli VII. Regis Franciæ, decennem ipſi nuptam in oppido S. Ometi; Bruxellis mortuam & ſepultam: deinde Isabellam F. Caroli I. Ducis Borbonij, ductam Inſulis 1. Nouembris A. C. 1454: vltimò Margaretam Lancaſtriam, ſororem Eduardi IV. Regis Angliæ. Ex harum media vnica ipſi nata F.

MARIA Carolina, hæres ex aſſe ducatus Burgundiæ ac Brabantiæ, & reliquarum ditionum pàtris, nupta Maximiliano I. Imperatori: in venatione ſtrata equi gradarij ruina, grauiſsimè afflicta: quum fracto fœmore per verecundiam omnem loci affecti tractationem refugeret: hominem exuit 2. Martij A.C. 1482. eodem nimirum die, quo ante ſexennium Carolus pater ab Heluetiis ad Granſam oppidum fugatus; amiſſis caſtris & præda triginta auri tonnarum precio æſtimata, ægrè euaſerat. Sepulta Brugis.

COMI-

COMITVM NIVERNENSIVM & STAMPANARVM.

PHILIPPVS, Philippi Valeſij Burgundiæ Ducis F., Comes Neuerſij, Rethelli & Eſtampij: cum fratre in pugna Azincurtiaua oppetiit A.C. 1415.

Liberi eius

ex ALEXIA ſiue ALEIDA Euguerrani Couchij Domini & Sueſsionum Comitis F.

PHILIPPVS in cunis extinctus.

ex BONA F. Philippi Arteſij, Comitis Eſſuani ſiue Euſij, vxore altera:

CAROLVS Niuernenſis Comes, ἄπαις. Vxor MARIA Albrethana.

IOANNES Comes Stampanarum, fratre mortuo, Niuernenſem quoq; & Rhetellanum accepit Comitatus.

Liberi eius

ex IOANNA Alliana, Vidami Ambianenſis F., vxore prima:

PHILIPPVS ſexennis Bruxellæ mortuus A.C. 1452.

ISABELLA ex diſpenſatione Pontificis nupſit patrino ſuo Ioanni Duci Cliuēſi 23. April. A.C. 1455. Patrem morte præuertit.

ex PAVLA Broſſæa, filia Ponteuræ Comitis, vxore media:

CAROLA vxor Ioannis Albretani, Orſuallæ apud Britones reguli: cui pater Neuerſij donauit Comitatum.

MARIA Albretana, Neuerſij Comes, vxor Caroli Cliuenſis.

ex CAROLA Albrethana, ſorore Ioannis Albrethani, vxore tertia:

Nulli.

STEM-

STEMMA SIS VVITI-CHINDEI

STIRPS IV.

COMITVM RINGELHEIMIORVM ET OLDEMBVRGIORVM: vnde hodierni REGES DANIAE & NORVEGIAE, DVCES item SLESVICAE & HOLSATIAE procreati.

VALPERTVS, VVitikindi Magni nepos, Dux Saxoniæ, Angriæ, VVeſtphaliæ & Nordalbingiæ, primus Comes Ringelheimius: cœnobium VVildershuſium (aliis VVitingohuſium) à patre inchoatum abſoluit: & Romam profectus A.C. 846. S. Alexandri, filij B. Felicitatis, reliquias (ſi credere par eſt) à Leone Pontifice acceptas, in illud tranſtulit. Sepultus in VVildershuſenſi cœnobio iuxta patrem A.C. 856. Vxor ALTBVRGA ſiue ADELBVRGA filia vnica Comitis de Lelmona: in cuius memoriam de nomine eius arcem Alteburgum, infra VVilshuſiam & Bremam, extruxit: vnde Comitatus Alteburgenſis ſiue Oldemburgius nomen accepit.

THEODORICVS I. Comes Ringelheimenſis & Alteburgius. Vxor REINHILDIS Comitiſſa Mersburgenſis.

REGINOBERTVS ſiue Regenbertus, Dux Angriuariæ & VVeſtphaliæ, Comes Ringelheimius: ſuos	*THEODORICVS II. Comes Ringelheimius & Alteburgius, nobilis dynaſta in Saxonia, floruit circa A. C. 910. Vxores habuit duas: REINHILDEM Comitiſſam Cleuenſem: & HEDVIGIN Comitiſſam Marchiæ.*	VVITIKINDVS IV. stirps MARCHIONVM Montisferratenſium. Vide Stemma V. pag. 122.	IMMODVS à quo proſapia COMITVM & DVCVM SABAVDIAE. Vide Stemma VI. pag. 126.

gentì-

gentiles à Danorũ incurſionibus liberáuit A. C. 918.

SIGEFRIDVS ſiue Siffridus Marchio Brandeburgiæ primus, & Procurator Saxoniæ conſtitutus ab Henrico Aucupe A.C. 927. Henricum Ducem Saxoniæ & Bauariæ Cæſaris F. educauit. Obiit A.C. 940. ἄτεκς. Vxor MAGDALENA F. Alberti III. Comitis Aſcaniæ, mortua A C. 938.

VVITIKINDVS vltimus Comes Ringelheimius, ἄτεκς.

SIBOLDVS Comes Ringelheimenſis, interfuit prælio Vngarico A.C. 933.

OTHO Comes Oldemburgius, Dynaſta Ruſtringia, Ammerlandia & Broickmaria: vixit in caſtris Othonũ Primi & ſecundi Impp. Vxor MAT Hildis C. Alueslebiana.

MECHTILDIS Comes Ringelheimenſis, coniux Henrici II. Imp. Rom. nobiliſsima & rariſsimæ pudicitiæ fœmina: mortua 14. Martij: A.C. 969. ſepulta in Quedlinburgenſi cœnobio.

IOANNES Comes Oldenburgius, Henrico II. Imperatori contra Saracenos & Græcos in Italia A.C. 1007. & decennio pòſt contra Polonos militauit. Tenuit arces Mellum circa mare, & Iadele ad Iadam fluuium, à maioribus ædificatas: ex quibus Friſios ad Grœningam uſq. domuit. Vxor RICHSA F. Sigefredi I. Comitis Stadenſis.

CONRADVS Comes Alueslebianus.

THEODORVS Comes Alueslebianus.

MILO Comes Aluesleuianus litem conatu irrito mouit Elimaro propter Comitatum Oldemburgium.

HAIO Friſiæ Dynaſta, Reginoberti Comitis Ringelheimij nepos ſiue pronepos.

RICHSA vxor Haionis Dynaſtæ Friſiæ.

HVNO cognomine Glorioſus, Comes Oldenburgius, Friſios, qui ab ipſo ad Albertum Bremenſem Archiepiſcopum defecerant, ſummis virib. in ordinem redigere cũ tentaret: ab hoc criminatus eſt apud Imp. Henricum IV. Goslariam itaque ad cauſam dicendam citatus, cum dicto audiens non eſſet; in ſuſpicionem venit Archiepiſcopo frigidam ſuffundente, ac ſi cum Imperij hoſtibus colluderet, reũque crimine læſæ maieſtatis eſt damnatus. Iterum peremptoriè citatus, Imperatorem acceſsit: & ſententiam capitalem in iudicio recitari audijt. Quæ cùm mutari neutiquam poſſet: Imperator eam ita diſpoſuit, vt ſi vitam redimere vellet, cum feroci leone certaret: id quod filius pro parente grandæuo in ſe recepit. Quâ re, Deo omnia bene fortunante, feliciter geſta: cœnobium Benedictinum in Radſtede, quod ipſemet erexerat, ingreſſus: in eo conſenuit. Vxor GVILLA F. Dedonis Comitis Vechtenſis.

FRIDERICVS Comes Oldenburgius in hac linea poſtremus: pro patre ſenio confecto ad beſtias condemnato, pietatis ergò certamen cum leone ſuſcepturus Goslariæ: fictitium quendam virum, pinguedine carnis illitum, in aream præmiſit; quo à leone famelico proſtrato, ipſe eum ſubſecutus, leonem, pinguedinem auidè lingentem, enſe transfixum iugulauit: ſicque periculum euaſit. Henrici quoque Craſsi, Ducis Saxoniæ ad Viſurgim & Comitis Northeimij, auxilijs manus cum Friſijs feliciter conſeruit. Parentis tandem monitu & inſtinctu, Elimaro amitino & agnato principe teſtamento hærede ſcripto: in eodem cœnobio Radſtedenſi vitam exegit cælebs.

EILMARVS ſiue ELIMARVS I. Dynaſta Friſiæ, cum amitino Friderico debellauit: à quo poſtea hæres ſcriptus; Comitatũ Oldenburgium ad ſuam tranſtulit proſapiam. Vxor RICHSA ſive RICHENSA Dedonis Comitis Stadenſis & Dithmarſiæ filia.

ELIMARVS II. Comes Oldenburgius vixit circa A. C. 1120. Vxor HELICA Othonis Comitis Cappenbergij F.

BEATRIX vxor Friderici Comitis Amerdenſis, Elmendorfi commorantis.

IOANNES I. Comes Oldemburgius.

CHRISTIANVS Comes Oldemburgius, bellator fortis & induſtrius: (unde ANIMOSI & BELLICOSI cognomenta meruit) cum cæteris Imperij proceribus ſe opponens Henrico Leoni Saxoniæ Electori: collecta Friſiorum manu, arcem VVeigeſt demolitus: ipſamque Bremam cepit: quam tamen Henrico Leone cũ hoſtilibus copijs reuertente rurſus deſerens; & Altebur. gum profugiens: ibi obſidione preſſus, hominem exuit. Mors eius tamdiu diſsimulata eſt, donec hoſtis obſidionem ſolueret. Vxor CVNEGVNDIS, Comitiſſa in Loken.

HENRICVS Comes Oldemburgius. Vxor SALOME Henrici Comitis Geldriæ ſoror germana.

OTHO Præpoſitus Bremenſis.

IOANNES II. Comes Oldemburgius, partes fouit Henrici Leonis Ducis Saxoniæ: qui ipſi reſtituit arcem Altenburgum: & in uxorem collocauit CATHARINAM Obetritam.

Eius fortaſſe filij fuère

HENRICVS cogn. Humilis & Largus. Comes Oldemburgius in altero prælio Gerhardi Archiepiſcopi Bremenſis contra Stedingos, in quo 6000. hoſtium ceciderè, fortiter pugnãs oppetijt A.C. 1234. 26. Iunij.

GERARDVS monachum induit.

N. nupſit VVitechindo Stumpenhuſano, Geronis F.

BVRCHARDVS Comes Oldemburgius, occubuit in priore prælio Archiepiſcopi Bremenſis cum Stedingn. 1234.

VVILLEBRANDVS Præſul Padebornenſis & Vltraiectinus: hic in Palæſtinam profectus, ſepultus Traiecti in cœnobio ſuo S. Seruatij. A.C. 1233.

*

N. Comes Oldemburgius.

OTHO Archiepiſcopus Bremenſis, cum propter decrepitàm ætatem ad gubernationem minùs eſſet idoneus: Adminiſtratorem ſibi adiunxit nepotem ex fratre. Obijt A.C. 1349.

MAVRITIVS Decanus Eccleſiæ Bremenſis, à patruo Archiepiſcopatus Adminiſtrator eſſe iuſſus: bellum geſſit grauiſsimum contra Godefridum Comitem Arnebergium, & Epiſcopum Oſnaburgenſem. Othoni patruo in Archiepiſcopatu à clero ſurrogatum A.C. 1349: quo Bremenſes fudit, & urbem ipſam obſidione cinxit: quam tamen mox peſte in vrbe horribiliter graſſante, ſponte ſoluit. De finibus quoque contendit cum Guilelmo Luneburgio, qui arcem, Leonis pontem, ad VVumam conſtruxerat. Occiſus tandem in prælio contra Ruſtringos A.C. 1368.

CHRISTIANVS Comes Oldemburgius, perijt in prælio, quod Bremenſes geſſere contra Ruſtringos in Blexen: in quo ne nuncius quidem tantæ cladis ſuperfuit. 1368.

CHRISTIANVS Comes Oldemburgius, terram Sanctam ingreſſurus, haud ſine fratris conſenſu interemptus dicitur: cum contra Friſios pro Hartuico Bremenſi Archiepiſcopo fortiter pugnaſſet.

MAVRICIVS Comes Oldemburgius, auxiliaribus iuuit copijs (1201) Adolphũ III. Comitem Holſatiæ aduerſus Canutum Daniæ Regem: nec nõ cum Simone Teclęburgio & Bernardo VVœlpenſi poſtea adhæſit Othoni Cæſari cõtra Philippum. Senex gubernatione filijs conceſſa, reliquum vitæ, religioſo illius ſeculi in-

CONRADVS Comes Oldemburgius, vindicaturus necem patris & agnatorũ principum, anno 1369 denuò in Friſios mouit: à quibus acie victus deſideratis ſuorum quingentis, domum inglorius repedauit.

GERARDVS occubuit cum patre, patruo, & Conrado Brockhuſiano in Friſia. A.C. 1368.

IOANNES Comes Oldemburgius. Vxor ANNA F. Othonis Comitis Delmenhorſtani.

IOAN- OTHO, CHRISTIANVS, GVLIELMNES. vltimi Com. Oldemburg. ex Ioannis ſtirpe.

ſtituto, in cęnobio exegit. Vxor N. Comitiſſa Schualenburgia.

OTHO Comes Oldemburgius, in diuiſione cum fratre Comitatus partem ſortitur, Hoienſi conterminam & ciuitati Bremenſi: Atrium Delmæ extraxit arcem Delmēhorſtum A.C. 1247. Obijt ἄπαις. Vxor N. Comitiſſa Ritbergica.

MAVRITIVS Canonicus Colonienſis & Bremenſis.

CVNEGVNDA nupſit N. Dynaſtæ Bronckhorſtiano.

CHRISTIANVS Comes Oldemburgius, in diuiſione meliorem partem arcis Alteburgicæ cũ VVeſterburgo obtinuit: fraternisq; auxilijs cum Hoienſibus bello decertauit. Vxor MATHILDIS Comitiſſa Sladenſis ad Hercyniam:

IOANNES Comes Alteburgius, in Broickmerlãdiæ loco Aurich, cum fratre & agnatis Comitibus templum erexit: Vxor ANNA Comitiſſa Hoienſis.

OTHO Comes Alteburgius, Delmenhorſtæ nouum inſtituit Collegium. A.C. 1265. Deceſſit ἄπαις.

THEODORICVS Teutonici Ordinis Magiſter in Boruſſia.

IOANNES Comes Oldemburgius & Delmenhorſtanus, cũ Chriſtiano fratre in ſumma concordia patrui Othonis hæreditatem æquali iure poſſedit per an: XXXIV: Diuiſione poſtmodò (1334) facta, terram ſortitus eſt Oldemburgicam. Pro ſuis ex fratre nepotibus bella geſſit grauiſsima cum Giſelberto Bronchorſtiano, Archiepiſcopo Bremenſi, copijs adiutus Guilielmi Ducis Luneburgij: Florenti adhuc cum eſſet ætate, ſupra modũ fuit prodigus: omnia canibus acſcortis impendens, adeò ut ad extremam redigeretur paupertatem: ætate autem grandior, mores corrigens, honeſtati & pietati ſe totum dedidit:

CHRISTIANVS Comes Oldemburgius & Delmenhorſtanus, princeps pius, humanus, doctus, eloquens, Pariſienſis Academiæ alumnus, literatorum Mecœnas egregius Comitatum Delmenhorſtanum in paternarum diuiſione partitione ſibi ſuisq; retinuit. Vxor Gertrudis Comitiſſa Marcana:

OTHO Canonicus Bremenſis.

CHRISTIANVS Comes Delmenhorſtanus. Vxor LVIDGARDIS Comitiſſa Bronckhorſtiana.

OTHO Comes Delmenhorſtanus, Comitatum hunc Bremenſi aſsignauit Eccleſiæ, oppignorauitque 3000. marcarum Bremenſium A.C. 1417 hac tamen lege, ſi filius ſoluendo non eſſet: ut & ille Archiepiſcopus crearetur. Vxor RICHISA Comitiſſa Teclæburgica.

OTHO Comes Delmenhorſtanus. cum Conrado Alteburgio eiuſmodi pepigit fœdus, in quo & frater conſenſit: ne quis ex hac familia quicquam peregrino alicui vel venderet, vel oppignoraret, vel elocaret, citra alterius partis conſenſum A.C. 1360. Vxor MARGARETA Comitiſſa Benthæmia.

ADELHEIDA Coniux Theodorici Oldemburgij.

NICOLAVS Archiepiſcopus Bremenſis inauguratus 20. Ianuarij A.C. 1421. vnanimi Capituli conſenſu, ſpe potiundi Comitatus Delmenhorſtanii, biennio poſt à Ducibus Brunſuigijs acri bello eſt infeſtatus. In bello, quod anno ab hinc quarto intulit Focconi Vken Friſio; captus; abſque λύτρῳ tamen eſt dimiſſus. Militem quoque ſcripſit aduerſus Ioannem Hoienſem, qui Harpſtedam arcem oppugnauerat A.C 1430 Viribus tandem ſuis diffidens, in Coadiutorem elegit Othonem Claudum Ducem Brunſuigianum; qui quum adminiſtrationem propter ciuium diſcordiam ſuſcipere nollet: ipſe quoque Archiepiſcopatu reſignato Balduino à VVenden Abbati Luneburgio, Delmenhorſti deceſsit 5 Aprilis A.C. 1435. Sepultus Bremæ.

ANNA nupta Ioanni, Conradi F. Comiti Oldemburgio.

dedidit: delictorumque feria acta pœnitentia, piè diem clauſit ſupremum. Vxor MARGARETA Comitiſſa Lippienſis.

CONRADVS Comes Oldemburgius, patris nec non ciuium Alteburgiorum atq; Amerlandiæ ope, hoſtes (1345.) Alteburgo eiectos fumo vaporeque ignis ad pagum Tungel fugauit, ſtrauitque: ciuium autem Alteburgiorum, ob præclara merita, priuilegia confirmauit. Pro Mauricio Comite agnato, Archiepiſcopatus Bremenſis Adminiſtratore, ipſaq; vrbe Bremenſi, magna & diuturna (1349) geſsit bella, cōtra eiuſdem Archipræſulem Godefridum, belliq; iſtius ſocium Gerardum Hoienſem: quibus durātibus, in vrbem intromiſſus, ſeditioſos ciues compeſcuit: & de eorundē anteſignanis digna ſupplicia ſumſit A. C. 1366. Nouiſsimè hoſtili in terram Butiarenſem animo ingreſſus, fortiter pugnans occubuit: heros doctus, eloquens, forma inſignis, in rebus gerendis dexter, in templa beneficus, pius, liberalis. Liberi eius

IVTHA conſors Rodolphi Comitis Diepholtiani.

Ex N. Comitiſſa Hoienſi, vxore prima:

CONRADVS Comes Oldemburgius: Alteburgi in parochia Lābertina collegium Canonicorū (1384) conſtituit: & in Friſios aliquoties feliciter mouit. Vxor INGELBVRGA Othonis Comitis Schouenburgici F.

GERARDVS cum patre caſus in terra Butiarigium ...

MAVRICIVS Comes Oldemburgius, priuilegia vrbis Alteburgi ex patris conceſsione (1381) confirmauit. Cæterum Bremenſibus contra Ruſtringios ſiue Butiadas, Iadæ fluminis accolas ſuppetias (1400) ferens: hoſtes Hetam tranſeuntes per pontem ex nauigiis factum, ir partito aggreſſus exercitu, vicit feliciter. Iuuit & Ioannē Slamſtorpium Bremenſem Archimyſtam (1410) contra Bernardum ac Guilielmum Duces Brunſuigios ac Luneburgios: quo bello interuentu Senatus Luneburgij ſopito, naturæ perſoluit debitum A. C. 1420. Sepultus Reſtedij cum vxore ANNA Magni Torquati Ducis Luneburgij F. Heros pietatis ac iuſtitiæ laude iuxta præclariſsimus.

IOANNES adoleſcens extinctus.

Ex CVNEGVNDA Comitiſſa Diepholtiana:

CHRISTIANVS Comes Oldemburgius, Coloniæ bonis literis inuigilans ſacris iſtic eſt initiatus: ſed relicto ſacerdotio, vel inuito fratre, vxorem duxit AGNETEm Comitem Honſteiniā.

THEODORICVS Comes Oldemburgius & Delmenhorſtanus: ad quē agnatis Comitibus defunctis, tota hæreditas iterum eſt deuoluta. Quāuis enim ditionem Delmenhorſtanam ad ſe rapere Capitulū Bremenſe voluit: cùm tamen illi opponeret decretū de non alienādo inter patrueles (1360) factum: in eo acquieſcere illud oportuit. In bello Nicolai Bremenſis Archiepiſcopi con-

CHRISTIANVS Comes Oldemburgius, arcem ad Iadam fluuium extruxit, Vriwalde ... Bremenſibus, qui cùm Fredeburgum aduerſus Didonem Lubbenum Capitaneum Friſiorum conſtruxiſſent præſidioque firmaſſent, inauſpicatò bellum (1407) indicens eo captus, carcere incluſus, & Bremam abductus: non, niſi tradito Vriwaldenſi illo, dimiſſus eſt. Re tranſacta, ne ſic quidem quieuit: quin naues iiſdem curſorias ademerat: quas militibus & bombardis inſtructas, Sibethi Capitanei inſtinctu miſit in terram trans Iadam, vt eam depopularentur: qua tamen

ANNA vxor Othonis Comitis Waldeccij. *INGELBVRGA conſors Occonis Capitanei in Aurich & Broicmerlandia, à Foccone Vken ipſius Præfecto eiecta.*

tra Fokconem Vken Friſium, (1427) fuga per paludes vix elapſus, vitam ſeruauit. Obijt DelmenhorſtiA.C.1440. In eius fuit conſortio primùm ADELHEIDIS Delmenhorſtana, ſoror germana Nicolai Archipræſulis Bremenſis, ducta A. 1401. qua abſq; liberis defunctâ, ad ſecundas nuptias tranſiés (1423) ſociauit ſibi HEDVIGEN ſiue Heiluigen, viduam Balthaſaris Megapolenſis: ſororem Gerardi & Adolphi Ducum Sleſuigæ & Holſatiæ: quæ ipſa terras poſt illorum obitum ad maritum attulit. *ab incolis fortiter ſunt repreſſæ. Obijt æuaq;.*

CHRISTIANVS Rex, progenitor REGVM DANIÆ ET NORVEGIÆ, DVCVM SLESVIGÆ ET HOLSATIÆ &c.

GERARDVS Bellicoſus, Comes Oldemburgius & Delmenhorſtanus: homo inquietus & turbulentus: primum in patria geſsit bellũ (1462.) aduerſus fratrem Mauritium & Bremenſes, quorum copias prope Siburgum fortiter fudit. In Holſatia deinde, quum aduerſus alterum germanum Daniæ Regem (à quo quinquaginta aureorũ millia (1467) acceperat, vt Holſatiâ cederet) multa moliretur, bis ab eo ex VVilſtermarſchia eiectus: vbi ne ſic quidem quieſceret à bellis & rapinis, quib. infeſtabat Bremenſes, Hamburgenſes, Luneburgenſes, & Lubecenſes mercatores: Delmenhorſtum ab Henrico Schvvarzeburgio Monaſterienſi Epiſcopo, ciuitatibus fœderato, obſeſſum (1481) amiſit: ac profugus in Gallia exul obijt A. C.1500. Vxor ADELHEIDA Nicolai Comitis Tecleburgij filia.

MAVRICIVS Comes Oldemburgius, heroica virtute & doctrina præſtans, vixit in literis Ephordiæ, Roſtochij, & Pariſijs: tantumque profecit, vt Baccalaurei Iuriſprudentiæ nomen promeruerit. Canonicum egit aliquandiu Coloniæ & Bremæ, qua dignitate, fratribus licet renitentibus reſignata; vxorem duxit CATHARINAM filiam Othonis Comitis Hoienſis.

ADELHEIDIS vxor primùm Erneſti Henſtenij: poſtea Gebhardi Mansfeldij.

IACOBVS Comes Delmenhorſtanus; æuaq;. *HEDVIGIS, & ADELHEIDA virgines mortuæ.*

GERARDVS, THEODORICVS, & CHRISTIANVS immaturè mortui. ADOLPHVS Comes Oldemburgius, & OTHO Canonicus Bremenſis, in Dithmarſia caſi A. C.1500. 16. Febr.

IOANNES Oldemburgij Comitatus gubernationem, multis annis, patre adhuc ſuperſtite, at exule, tenuit. Huius induſtria virtute ac fortitudine patria rurſus aliquantũ recreata & amplificata eſt: Butiadis & Stadlandis Friſiæ populis, licet aliquoties (1500.1513.) rebellibus, ſemper tamen receptis atq; ſubiugatis: quorum in regione Ouelgũ-

ADELHEIDIS vxor N. Damini Pleſſiani. IRMENGARDIS nupſit Hieroni Ommeke, dynaſtæ Eſenſi & Stedesdorfi. 1491. HEILVIGIS ſociata Edoni Vuimmcken Dornonienſi (quæ extrema Friſiæ Orientalis pars eſt) 1498. ANNA & ELISabeth virgines peſtis lue extinctæ A.C.1505.

dam quoq; ârcem extruxit. Obijt A.C.1526. Vxor ANNA Georgij Senioris Principis Anhaltini F.

IOANNES Comes Oldemburgius, paternâ ditionem à genitoris exceſſa in tertium gubernauit annum: certis poſtea de cauſis regimini ſe abdicauit: cœlebs & ἄπαις mortuus A.C.1529

GEORGIVS Comes Oldemburgius, vir ingenio miti ac ſimplici: ſacris literis inuigilâs Biblia ſacra integra propria manu deſcripſit.

ANTONIVS Comes Oldemburgius & Delmenhorſtanus: ob Delmẽhorſtẽſem Comitatum, quem auo ereptum (1482) ceperat Henricus Schvvarzeburgius, Mõaſterienſis Epiſcopus bellum Monaſterienſib (1538) indixit: militeq; conſcripto, Vectam ârcem oppidumq; expulsit: Cloppenbergam expugnauit: Delmenhorſtum vi ſuperauit ac muniuit A. C. 1547. Suppetias quoq; tulit Friderico II Regi Daniæ, & Holſatiæ Ducib, (1559) in bello Dithmarſico Cumque patriam dexterrimè annos rexiſſet XLIV. vivendi finem fecit 1573. 22. Ianuarij, ætatis ſuæ LIV. Nupſit ipſi SOPHIA Laoburgica, Magni Ducis Saxoniæ, Angriæ & VVeſtphaliæ F 1538.

ANNA vxor Ennonis ſiue Ezonis Comitis Oſtfriſiæ

CHRISTOPHORVS Comes Oldemburgius, Canonicus Colonienſis & Bremenſis: heros magnanimus, doctus, doctorumq; fautor atq; promotor ſingularis, θεράπων μὲν ἐνυαλίοιο Θεοῖο, καὶ μουσῶν ἐρατῶν δῶρον ἐπιστάμενος: *in Dania & alibi exercitus duxit; multisq; interfuit prælijs. Holſatiam (1535) populabundus ingreſſus: celeritate & induſtriâ Chriſtiani .II. nondum Regis Daniæ, repreſſus, in Selandiam profugit: quam certo defenſore carentem facilè occupauit. Bello Germãico (1547) Proteſtantibus ſe coniunxit: quibus deuictis, in Saxoniam reuerſus: circa Dracoburgum Eric: Brunſu eius exercitum fudit Quinquennio pôſt (1552) ſtipendia meruit apud Carolum V Imp. in obſidione Metenſi: & inde anno proximo Alberti Marchionis ſecutus partes, prælio interfuit Siuershuſano. Obiit* ἄγαμος.

CATHARINA nupſit Alberto Comiti Hoienſi.

ANNA conſors Ioan. Guntheri Comitis Schvarzeburgij.

IOANNES Comes Oldemburgius & Delmẽhorſtan9, Dynaſta Ieueræ, Ruſtringæ, Oiſtringæ, & Vuangerlandiæ, ex aſſe nempe hæres ſcriptus à Maria Ieuerenſi. Vxor ELISABETH F. Guntheri Comitis Schvarzeburgij.

CHRISTIANVS Comes Oldemburgius, ante patrem mortuus Dreſdæ in aula Augusti Saxoniæ Electoris. A.C.1570. 6. Auguſti ibidem ſepultus.

ANTHONIVS Comes Delmenhorſtanus: quippe qui hanc arcem cum Varel & Harpſtede in tranſactione cum fratre facta obtinuit.

IOAN. FRIDERICVS Comes Oldemburgius, bimus mortuus.

ANNA.

SOPHIA.

MARIA ELISABETH.

STIRPIS RINGELHÆMIÆ IN STEMMATE VVITICHINDEO

Ramus Nobiliſſimus

REGVM DANIÆ ET NORVEGIAE, DVCVM HOLSATIAE, SLESVIGAE, STORMARIAE, VVAGRIAE, DITHMARSIAE, &c.

CHRISTIANVS I. cognom. Diues, Comes Oldemburgius & Delmenhorſtanus: opera Adolphi Ducis Sleſuicenſis, ſui auunculi, à proceribus in Regem Daniæ & Noruegiæ electus A. C. 1448, vt nihil non ſibi ſuffragaretur; matrimonio ſibi copulauit DOROTHEAM Brandeburgicam, Chriſtophori III. deceſſoris ſui, è Bauariæ Ducibus oriundi, viduã: nec multo pôſt (1457) Suecorum quoque, qui à Rege ſuo deſciuerant, regnum prioribus duobus coniunxit: regnum ſatis inquietũm & turbulentum: quippe quib. cum poſt modum iterum deficientibus, multa bella varia fortuna geſſit: cuius rei gratiã cùm fratrem ſuſpectum haberet, ducatu Sleſuicenſi, quem prius ipſi contulerat, eum pepulit. Anno exinde 1474. Romam religionis ergò peregrinaturus: à Friderico III. Imp. impetrauit: vt Holſatia, Stormaria, & VVagria abolito Comitatus titulo, in ducatum trãſformarentur: à quo etiam in Dithmarſos plenarium accepit imperium: ſed quos, domum reuerſus, ad iuramentum fidelitatis ſibi præſtandum perſuadere & compellere neutiquam potuit. Eodem anno cùm in componendo diſsidio, inter Rupertum Archiepiſcopum Colonienſem & Capitulum, fruſtrà laboraſſet: ad Rolantzecciuth è turri ter petitus globo, è ſclopeto magno emiſſo, nõn tamen læſus eſt: manu diuina protectus. Deo tandem receptui canente, Hafniæ penſum vitæ terreſtris abſoluit A. C. 1482, ætatis ſuæ LVI. Princeps heroica animi & corporis maieſtate præſtantiſsimus: de quo multa multi. Cum vxore DOROTHEA Brandeburgia ſepultus Rotſchildæ.

Liberi eius quinq;.

dam quoq; arcem extruxit. Obijt A.C. 1526. Vxor ANNA Georgij Senioris Principis Anhaltini F.

IOANNES Comes Oldemburgius, paternā ditionem à genitoris exceſſu in tertium gubernauit annum; certis poſtea de cauſis regimini ſe abdicauit: cœlebs & ἄγαμος mortuus A.C. 1529

GEORGIVS Comes Oldemburgius, vir ingenio miti ac ſimplici: ſacris literis inuigilās Biblia ſacra integra propria manu deſcripſit.

ANTONIVS Comes Oldemburgius & Delmenhorſtanus: ob Delmēhorſtēſem Comitatum, quem auo ereptum (1482) ceperat Henricus Schvvarzeburgius, Mōaſterienſis Epiſcopus bellum Monaſterienſib (1538) indixit: militeq; conſcripto, Vectam arcem oppidumq; expulſit: Cloppenbergam expugnauit: Delmenhorſtum vi ſuperauit ac muniuit A. C. 1547. Suppetias quoq; tulit Friderico II Regi Daniæ, & Holſatiæ Ducib. (1559) in bello Dithmarſico Cumque patriam dexterrimè annos rexiſſet XLIV. vivendi finem fecit 1573. 22. Ianuarij, ætatis ſuæ LIV. Nupſit ipſi SOPHIA Laoburgica, Magni Ducis Saxoniæ, Angriæ & VVeſtphaliæ F 1538.

ANNA vxor Ennonis ſiue Ezonis Comitis Oſtfriſiæ

CHRISTOPHORVS Comes Oldemburgius, Canonicus Colonienſis & Bremenſis: heros magnanimus, doctus, doctorumq; fautor atq; promotor ſingularis, θεράπων μὲν ἦεν Διὸς Θεοῖο, καὶ μακρῶν ἱερῶν δώρων ἐπιστάμενος: in Dania & alibi exercitus duxit, multisq; interfuit prælijs. Holſatiam (1535) populabundus ingreſſus: celeritate & induſtria Chriſtiani II. nondum Regis Daniæ, repreſſus, in Selandiam profugit: quam certo defenſore carentem facilè occupauit. Bello Germanico (1547) Proteſtantibus ſe coniunxit: quibus deuictis, in Saxoniam reuerſus: circa Dracoburgum Eric: Brunſu eiq exercitum fudit Quinquennio poſt (1552) ſtipendia meruit apud Carolum V Imp. in obſidione Metenſi: & mox anno proximo Alberti Marchionis ſecutus partes, prælio interfuit Siuershuſano. Obiit ἄγαμος.

CATHARINA nupſit Alberto Comiti Hoienſi.

ANNA conſors Ioan. Guntheri Comitis Schvarzeburgij.

IOANNES Comes Oldemburgius & Delmēhorſtanus, Dynaſta Ieueræ, Ruſtringæ, Oiſtringæ, & Vuangerlandiæ, ex aſſe nempe hæres ſcriptus à Maria Ieuerenſi. Vxor ELISABETH F. Guntheri Comitis Schvarzeburgij.

CHRISTIANVS Comes Oldemburgius, ante patrem mortuus Dreſdæ in aula Auguſti Saxoniæ Electoris. A.C. 1570. 6. Auguſti ibidem ſepultus.

ANTHONIVS Comes Delmenhorſtanus: quippe qui hanc arcem cum Varel & Harpſtede in tranſactione cum fratre facta obtinuit.

IOAN. FRIDERICVS Comes Oldemburgius, bimus mortuus.

ANNA.

SOPHIA.

MARIA ELISABETH.

STIRPIS RINGELHÆMIÆ IN STEMMATE WITICHINDEO

Ramus Nobiliſsimus

REGVM DANIÆ ET NORVEGIAE, DVCVM HOLSATIAE, SLESVIGAE, STORMARIAE, WAGRIAE, DITHMARSIAE, &c.

CHRISTIANVS I. cognom. Diues, Comes Oldemburgius & Delmenhorſtanus: opèra Adolphi Ducis Sleſuicenſis, ſui auunculi, à proceribus in Regem Daniæ & Noruegiæ electus A.C. 1448, vt nihil non ſibi ſuffragaretur; matrimonio ſibi copulauit DOROTHEAM Brandeburgicam, Chriſtophori III. deceſſoris ſui, è Bauariæ Ducibus oriundi, viduā: nec multo pòſt (1457) Suecorum quoque, qui à Rege ſuo deſciuerant, regnum prioribus duobus coniunxit: regnum ſatis inquietum & turbulentum: quippe quib. cum poſtmodùm iterum deficientibus, multa bella varia fortuna geſſit: cuius rei gratiâ cùm fratrem ſuſpectum haberet, ducatu Sleſuicenſi, quem prius ipſi contulerat, eum pepulit. Anno exinde 1474. Romam religionis ergó peregrinaturus: à Friderico III. Imp impetrauit: vt Holſatia, Stormaria, & VVagria abolito Comitatus titulo, in ducatum trāſformarentur: à quo etiam in Dithmarſos plenarium accepit imperium: ſed quos, domum reuerſus, ad iuramentum fidelitatis ſibi præſtandum perſuadere & compellere neutiquam potuit. Eodem anno cùm in componendo diſsidio, inter Rupertum Archiepiſcopum Colonienſem & Capitulum, fruſtrà laboraſſet: ad Rolantzeccium è turri ter petitus globo, è ſclopeto magno emiſſo, nón tamen læſus eſt: manu diuina protectus. Deo tandem receptui canente, Hafniæ penſum vitæ terreſtris abſoluit A.C. 1482, ætatis ſuæ LVI. Princeps heroica animi & corporis maieſtate præſtantiſsimus de quo multa multi. Cum vxore DOROTHEA Brandeburgia ſepultus Rotſchildæ.

Liberi eius quinq;.

|

1\. *OLAVVS primogenitus, peſte in cunis extinctus infans vnius anni A.C. 1451.*

2\. *CANVTVS natus A.C.1452. primis ætatis ſuæ annis defunctus.*

3\. *IOANNES Rex Daniæ, Noruegiæ, & Sueciæ, Gothorum Vandalorumq; natus A.C. 1455. Huic pater ſuperſtes adhuc, ducatum Sleſuicenſem, Gerardo fratri ablatũ, auctoritate Friderici III. Imp. contulerat: vnà cum dominiis Stormariæ & Dithmarſiæ: ipſi poſtea defuncto in tribus illis valentiſsimis Septentrionis regnis ſucceſsit: eximia potentia, auctoritate, & felicitate initiò florens. Anno exinde ſeſquimilleſimo Dithmarſos, imperium ipſius detrectantes infeliciter oppugnans: Meldorpium quidem 13. Februarij expugnauit: verùm poſt triduum magno ſuorum ſtrage ab eis ſuperatus, vix fuga vitam ipſemet ſeruauit. Matrimonio ipſi erat ſociata CHRISTINA, F. Erneſti Electoris Saxoniæ: quæ à Suecis Stoi holmi capta, vix tandem Imperatoris ac Pontificis minis poſt biennium liberata, ac ab ipſo Rege Stenone Stuer ad ſi·'s Danicos eſt reducta A.C. 1503. Quam iniuriam maritus Rex vlturus: conſcripta manu 50000. hominum, hoſtilis in Suecos animo perrexit: ſed à Lubecenſibus (9. Auguſti 1509.) ad Bornholmium nouali prælio victus: re infecta cedere eſt coactus. Alia quoq; prælia contra eoſdem inſtituit: ſed negotio irrito & infecto, Alburgæ in Iuthia deceſsit A. C. 1513. duodeſexagenarius, X. Kal. Martij: coniux verò ſexagenaria A. C. 1521. Sepultus Othoniæ.*

CHRISTIANVS II. (Dani Chriſtiernum nominant) Rex Daniæ, Noruegiæ, & Sueciæ, natus Niburgi 2. Iulij A. C. 1481. hora octaua, min. 16. ante meridiem. Puer ſexennis à patre deſignatus Rex: eo mortuo, magnis animis cœpit gerere paterna bella: nullumque non mouit lapidem, quò regnum Sueciæ ſibi ſubjiceret: vſus extremis viribus, aſtu, & dolo, donec id edomuit. Sed partum re-gnũm diu retinere non potuit: vtpote propter tyrannidem & crudelitatem quam in omnis generis homines, in Senatum præcipuè Holmenſem & pro-ceros Suecos exercuerat, mortuis quoque non parcens; ab ipſis, & Lubece-ſibus, nec non Friderico patruo, regno (1522) exactus. Poſt decem ex annos, comparatis in Belgio copijs, in regnum reuerſus; ſpe eius recupera-di: captus, cuſtodiæque mancipatus eſt Callinburgi: vbi tandem in diu na XXVII-annorum captiuitate obiit 25. Ianuarij A. C. 1559 ſeptua nario maior ſeptennio, cum ſemeſtri, & diebus XXIII. Othoniæ iuxta trem ſepultus. Aluit viuente coniuge concubinam N. filiam Sidrechti: plurimorum malorum & bellorum in Septentrionalibus regionibus an præbuit. Coniux autem eius erat ISABELLA, Caroli V. Cæſaris ſoror mana: matrona ob pietatem in Deum, aliaſque virtutes laudatiſsima functa A.C. 1525. 19. Ianuarij Gandaui ſepulta.

FRANCISCVS in adoleſcentia extinctus.

ELISABET Hinupſit Ioach. mo I. Electori Brandeburgio A. C. 1500. Berlini: marito ſuperſtes annis XX; obijt A. C. 1555. Ile-duny.

PHI

PHILIPPVS	MAXIMILIANVS	*IOANNES Princeps conſpicuus eruditione in literis, & eloquentia ingenioq́; præſtans: apud Carolum V. Cæſarem educatus: obijt in eiusdem aula Steinbruchi, cùm Imp. in Vngariam moneret. A.C. 1532 eodem die, quo pater in mari captus, cuſtodiæ fuit traditus.*	DOROthea conſors Friderici II. Electoris Palatini, deceſsit Neagoe in Norico A. C. 1580.	*CHRISTINA uxor primum Franciſci Sforciæ Ducis Mediolanenſis, deinde Franciſci Ducis Lotharingiæ.*
Infantes mortui.				

4. *MARGARETA Iacobi III. Scotorum Regi elocata A. C. 1469*

5. FRIDERICVS I. Rex Daniæ & Noruegiæ, Dux Sleſuigæ, Holſatiæ, Stormariæ, VVagriæ & Ditmarſiæ; patrem amiſit novennis. Ad ætatem autem maturiorem vbi peruenit: iniquam diuiſionem à fratre factam (qui abolito patris teſtamento pleraſque & præcipuas ditiones, paucis huic relictis, occupauerat) conſiderans: paternum abs eo legatum reperijt: verùm reſponſo minùs iucundo accepto, quoad ipſe vixit, quieuit: forti erǵ; eidem contra Ditmarſos militauit. Huic Gotlandiam quispiam Iberus tradiderat, cuius auxilio ſibi regnum Sueciæ ſubjiceret; multis ſeditionibus implicitũ regnum. Quod & ipſum fratri Daniæ Regi relinquens, belli ſimul perpetui fomitem dedit. Chriſtierno fratruele ex tribus Borealibus regnis (1522.) eiecto, ipſe à regni Ordinibus ad regiam euectus dignitatem. Daniæ Noruegiæq́ue regna annos duodecim magna cum laude adminiſtrauit: & Eccleſias paſsim à Pontificijs ſuperſtitionibus repurgauit. Rex optimus, legum ac pacis amantiſsimus, fortunæ ſimul & morum præſagium ex nomine habens, περὶ εἰρήνης ὢν καὶ εἰρηναῖος. Aetate grauis, placida demùm compôſtus pace quieuit A. C. 1534. 10. Aprilis, Gotorpij; annos natus LVI Sepultus Sleſuigæ: alabaſtrinoq́, monumento ornatus. Vxores habuit duas: ANNAM Ioannis Electoris Brandeburgij filiam, defunctam A C. 1514. 3. Maij, inhumatam in Borsholmenſi monaſterio ſub monumento orichalcino: & SOPHIAM filiam Bugslaui X. Ducis Stetini & Pomeraniæ, Kilonij defunctam A.C. 1568. maiorem ſeptuagenariâ, & Sleſuigæ ſepultam.

LIBERI

LIBERI FRIDERICI I.

EX ANNA BRANDEBVRGICA.

CHRISTIANVS III. Rex Daniæ & Noruegiæ, Gothorum, Vandalorumq́; Dux Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ, & Ditmarſiæ, natus A. C. 1503. 12. Aug. hora 3. min. 56 poſt meridiem. Adoleſcens ex aula Ioachimi I. Electoris Brandeburgij ſui auunculi, vbi in pietate & literis optimè inſtitutus fuerat, in Holſatiã reuerſus; patri Friderico auctor extitit: vt abiectis nugis Pontificiorum, puram Euangelij lucẽ amplecteretur: eiq́; nõ longè pòſt Danorum Regi inaugurato, fidelem in expugnanda Hafnia operam præſtitit Regno deinde (1534.) ipſemet potitus; Clementem nautam, Iuthiæ Boeręalis (veteres Cimbricam Cherſoneſum appellarunt) turbatorem: & Meierum Scaniam vexantem, victos captoſq́; extremo affecit ſupplicio: Daniam terrore belli ruſtici liberauit: Chriſtophori Oldemburgij ac Lubecenſium copias ad Aſnicium, Fioniæ vrbem, edita ſtrage ingenti deleuit: interfectis inter cæteros penè innumeros duobus Comitibus, Hoienſe & Tecleburgio: Hafniam bello & fame quaſſatam, poſt obſidionem grauiſsimam in deditionem accepit: cæteraſque vrbes Fioniæ, Selandiæ, & Scaniæ vno aditu atq; aduentu occupauit. Bellis non ſine laboribus & difficultatibus ſopitis atq; ſepultis: coronã demum horum regnorum ſolenni more ſibi imponi curauit à Ioanne Bugenhagio Pomerano Theologo 24. Iunij. A. C. 1537. moxq́; ad pacis conuerſus artes; primò omnium inueteratam Pontificum idolomaniam, à patre oppugnari cœptam, ſumma felicitate euertit, ſuſtulit, extirpauit: lucẽ veræ doctrinæ reddidit: Rempub. continuis bellorũ procellis quaſſatam, pace, legibus, & omnibus ornamentis ciuilibus recreauit: iudicia reſtituit: Academiam Hafnienſem collapſam inſtaurauit: ſummæ denique rei tanta dignitate præfuit: vt omni virtutum genere non modò proprijs ſubditis, ſed & vniuerſis Europæ regibus antecelleret. Quid multa? Domus eius templum fuit Spiritus Sancti, prudentiæ oculus, libra iuſtitiæ, fortitudinis ſedes, regula temperantiæ, honeſtatis exemplar, fons Gratiarum, Muſarum chorus, doctorum gymnaſium, theologorum ſacrarium, pauperum menſa, refugium innocentum, præſidium miſerorum. Quare felicem quoque & tranquillum ex hac vita exitum ſortitus, animam Deo Creatori & Redemptori reddidit in vicinia Coldingæ, Cimbricæ Cherſoneſi oppido A. C. 1559. 1. Ian. hora 5. veſpertina: qui dies per quietem ab Angelo Dei reuelatus ipſi dicitur Princeps pientiſsimus, Chriſtianiſsimus, inuictiſsimus: & in quo dubito *Iuſticiæ ne prius mirer bellivè laborem.* Vitæ eius curriculũ fuit LV. menſium quatuor, dierum 20. Corporis exuuiæ primũ Othoniæ in æde S. Canuti cõditæ: inde à filio Rothſchildã translatæ, ibiq́; monumẽto alebaſtrino ac marmoreo honoratæ. Vxor DOROTHEA Magni Ducis Saxoniç inferioris, F. deceſsit 1571. 7. Octobr. ſexage-

DOROTHEA I. nata 1054. nupſit Alberto primo Duci Boruſſiæ 1525. obiit 10. Aprilis 1547.

EX SOPHIA STETINENSI.

IOANNES Senior, Hæres Noruegiæ, Dux Slesuigæ, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ: Eccleſiæ & ſcholarũ nutricius eximius: Hadersleb. defunctus ἄγαμος 1580 2. Octob. ætatis ſuæ LIX. quem exceſſit diebus LXXIV. Sepultus Slesuigæ in crypta regia.

FRIDERICVS Epiſcopus Hildeſienſis & Slesuicẽſis, Coadiutor Bremenſis, obiit Kilonij 28. Octo. 1556 ætatis ſuæ XXVII: ſepultus Slesuigæ.

ADOLPHVS Hæres Noruegiæ, Dux Sleſuici, Hollatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ: natꝰ Flenſburgi A.C.1526.26 Ianuarij hora 11. min. 30. poſt meridjem. Iuuenis in obſidione Metenſi ſtipendia meruit apud Carolum V. Cæſarem. Dehinc A.C. 1559. cum fratre Ioanne, & Friderico II. Daniæ Rege, Ditmarſiam ſubegit, liberam ante hac & invictam gentem: ubi quidem lethaliter ſauciatus, Dei tamen clementia ſanitatem recuperauit. Militauit quoque Philippo Hiſpaniarum Regi in Belgico anno 1568. Gottorpiæ tandem corporis mortalis exuuijs depoſitis, in cœleſtem migrauit aulam 1. Octobr. A.C. 1586. inter ſextam & ſeptimam matutinam: cum annos vixiſſet LX. menſes octo, dies quatuor, horas ſeptem. Princeps fortis & magnanimus, ſpectatæque virtutis tàm pace quàm bello. Vxor CHRISTINA Philippi Landgrauij Haſſiæ F. Heroina pia & verè Chriſtiana; ducta Gottorpij A. C. 1564. menſe Decembri.

ELISABETH uxor primùm Magni, dehinc Vlrici Ducum Megapolenſium, Geſtboris in Scania defuncta 1586. 14. Octobris, ætatis LXII. ipſo die & hora natali. Sepulta Guſtrouij.

ANNA peſte abſumpta Flenſburgi: ſepulta Sleſuigæ.

DOROTHEA AII. conſors Chriſtophori Ducis Megapolenſis, obijt 1575. 11. Nouembris: ſepulta Guſtrouij.

FRIDERICVS Hæres Noruegiæ, Dux Sleſuici & Holſatiæ, Epiſcopus Sleſuicenſis, princeps eruditus & pius: natus Gottorpiæ 21 April: 1568. florenti ætate obijt 1587. 5. Iunij. Slesuici ſepultus.

PHILIPPVS Hæres Noruegiæ natus Gottorpiæ 1570 10. Aug. ibidem ex phthiſi deceſſit 1590. 18. Octob.

CHRISTIANVS natus 29 Maij. 1576. in cunis extinctus 1577. 22. Aprilis.

IOANNES ADOLPHVS Hæres Noruegię, Dux Sleſuici, Hollatię, Stormariæ, & Ditmarſię, gemellꝰ natus cum ANNA 27. Febr. 1575. h. 8. m. 35. ante meridiẽ: deſignatur Archiepiſcopus Bremenſis A.C. 1585 & Lubecenſis 1586. Nuptias celebrauit cum AVGVSTA Friderici II. Regis Daniæ F. 1596. 30. Augusti.

IOAN. FRIDERICVS Dux Sleſuici & Holſatiæ.

SOPHIA uxor Ioannis Ducis Megapolenſis, nata Kilonij 1569 31. Maij.

CHRISTINA nata Kilonij 1573 12 Aprilis.

ELISABETH nata 1574. 10. Martij: obijt 1587. 11. Ianuarij ætatis XIV.

ANNA cum Ioan. Adolpho gemella nata 27 Febr 1575. h. 7. m. 50. ante meridiem.

AGNES nata 1579, 20. Decembris.

ſexagenariâ maior menſibus fermè tribus; primùm ſepulta Sunderburgi, pòſt Roſchildam tranſlata, & iuxta maritum humata.

FRIDERICVS II. Rex Daniæ, Noruegiæ, Vandaliæ & Gothiæ, Dux Sleſuigæ, Stormariæ, VVagriæ & Dithmarſiæ: Haderslebij lucem vitalem aſpexit A. C. 1534. 1. Iulij hora ſeſquidecima matutina. Heros auos atauoſque virtute, potentia, fortuna repræſentans: non ſolùm in re militari: cuius rei teſtes ſunt Dithmarſia ſubacta, & bellum illud ſeptennale cum Erico Rege Suecorum: verùm vel maximè religioſa erga Deum pietate, fide in Rempublicam, beneuolentia erga omnes homines, imprimis verò literatos. Piè itaque vitæ curriculo peracto, placido atque tranquillo animo in æternā Dej immortalis domum remigrauit 4. Martij. A. C. 1588. hora quarta pomeridiana, Anderſoæ in Selandia: Sepultus Roſchildæ: quinquagenario maior triennio, menſibus octo, diebus tribus, horis 7. Nuptias celebrauit cum SOPHIA Vlrici Principis Megapolenſis F. A. C. 1572. 20. Iulij. parens ex ea factus trium marium, quatuor fœmellarum.

ANNA Auguſti Saxoniæ El. coniux obijt Dreſdæ 1585. 1. Octobris: ſepulta Fribergi.

CHRISTIANVS IV. Rex Daniæ & Noruegiæ, Dux Sleſuigæ, Holſatiæ, Stormariæ, & Dithmarſiæ: nat⁹ Fridrichburgi A. C. 1577. 12. Aprilis. magna feſtiuitate coronatus 29. Augusti 1596. Princeps pietate erga Deum, ſuos, & patriam ſingulari: ingeniiq; ſolertia, dexteritate & virtute mirifica: cui ſalus, vita, & victoria. Nupſit ipſi (1597) ANNA CATHARINA Ioachimi Friderici Marchionis Brandeburgij, primatis Germaniæ, & Adminiſtratoris Archiepiſcopatus Magdeburgij, filia vnica.

ELISABETH nata Coldingæ 25. Aug. 1573. nupſit Henrico Iulio Duci Brunſuigio, Croneburgi, ipſo die Paſchatis 1590.

ANNA nata Sunderburgi 12 Octob. 1574. deſponſata eſt IACOBO VI. Scotorum Regi, nuptiis Croneburgi celebratis 20. Aug. 1589.

AVGVSTA nata 1580 8. Aprilis, elocata eſt Ioanni Adolpho Duci Holſatiæ, Principi agnato. 30. Aug 1596.

HEDVIGIS nata 5. Auguſti 1581.

VLRICVS Heres Noruegiæ, Dux Sleſvici & Holſatiæ, natus 30. Decembr. 1578 Princeps verè gratioſus & maximaq; virtutis ac pietatis indole præditus.

IOANNes Heres Noruegiæ, Dux Sleſuici & Holſatiæ, natus 1583. 26. Iulij.

MAGNVS Hæres Noruegiæ, Dux Sleſvigæ & Holſatiæ, natus Hafniæ A. C. 1540.24 Auguſti hora 10. min. 40. ante meridiem: factus Epiſcopus Orpatenſis in Livonia, Dynaſta in Oſel & Wick: uxorem duxit MARIAM, magni Ducis Moſcoviæ ex patruele neptem. Obijt A.C. 1580.

IOANNES Iunior, Dux Hollatiæ, Sleſuici, Stormariæ & Ditmarſiæ, Hæres Noruegiæ, natus Coldingæ A. C. 1545.25 Martij hora 7. min. 30. poſt meridiem: nuptias ibidẽ primas celebrauit cum ELISABETHA filia Erneſti Ducis Brunſuigij ac Luneburgij in Grubenhaga A.C. 1567. quâ mortua A C. 1586 12 Febr. elapſo ab hinc biennio ſociauit ſibi AGNETEM HEDVIGEN Ioachimi Erneſti Principis Anhaltini F. ab Auguſto Electore Saxoniæ viduatam. Liberi eius ex priore coniugio XIII.

DOROTHEA uxor Guilielmi iunioris Ducis Brunſvigij ac Lunaburgij.

DOROTHEA nata Coldingæ A C. 1569. 16 Octobris: nupſit Henrico Duci Lignicio & Bregano 1590: obijt 1594.
CHRISTIANVS Hæres Noruegiæ, Dux Sleſuici & Holſatiæ, natus Sunderburgi A.C. 1570.26 Nouemb.
ERNESTVS Dux Sleſuici & Holſatiæ, natus Sunderburgi A.C. 1572.17 Ianuarij, occubuit ad Agriam bello Turcico. 1596.
ALEXANDER Dux Sleſuigæ & Holſatiæ, natus Sunderburgi 1573. 20 Ianuarij.
AVGVSTVS Dux Sleſuigæ & Holſatiæ natus 1574.21 Iulij: occubuit bello Turcico ad Agriam 1596.
MARIA nata Sunderburgi A.C. 1575.22 Auguſti.
IOAN. ADOLPHVS Dux Sleſuici & Holſatiæ, natus Sunderburgi 1576. 17 Sept. h. 7. min. 27. poſt meridiem.
ANNA nata A.C 1577.8 Octobris.
SOPHIA nata 1579.13 Auguſti.
ELISABETH nata 1580.24 Septembris.
FRIDERICVS Dux Holſatiæ natus 1581.29 Nouembris.
MARGARETA nata 1583.24 Februarij.
PHILIPPVS Dux Holſatiæ natus 1584.15 Martij.

STEMMATIS VVITICHINDEI STIRPS V.

MARCHIONVM MONTISFERRATI.

VVITIKINDVS IV. Theodorici Comitis Ringelhæmij F. abnepos VVitikindi Magni, Regis Saxoniæ: cum vxore IVTHA Duciſſa Burgundiæ Compoſtellam ad S. Iacobum peregrinaturus, obijt in Italia.

ALERAMVS, vtroq; parente in Galetiam religionis ergò profecto, & in itinere extincto; in Italia infans eſt educatus: vbi tandem potitus ducatu Taurinatium & Eporregiæ, primus ſe MONTISFERRATI nominauit MARCHIONEM: idq; conſenſu Othonis I. Imp. cuius filiam ADELHEIDEN (Itali Aloyſiam, Aleſiam, & Faleſcam nominant) rapuerat, ſibique matrimonio copularat.

GVILIELMVS I. Marchio Montisferrati cõfirmatus ab Othone III. Cęſare: qui cæteris quoq; fratribus ipſius hanc dignitatẽ cum certis regionibus in Italia attribuit, Rauennæ A.C. 997. menſe Aprili. Vxor HELENA Richardi Ducis Normaniæ F.

OTHO Marchio Seuæ.

DEDO Comes Incisæ.

LVDOVICVS Marchio Boſchi.

ALRAMVS Marchio Pontioni.

BONIFACIVS Marchio Sauenæ & Finarij conſtitutus ab Othone III. Imp. fundauit cœnobium Locedi in agro Vercellenſi A.C. 1019. Vxor BEATRIX filia Theodorici Iunioris Ducis Moſellani. Ab hoc longiſſimè interciſa ſtemmatis linea deſcendit

GVALTHERVS Marchiones quidem SALVZZI ſiue Salutiarum propagauit, ſed quorum nomina & ſucceſſio longa vetuſtate ſunt obliterata.

*

GALEOTTVS Marchio Finarii in Italia, vrbe eiectus à Genuenſibus, quòd contra illos partes defenderat Philippi Marię Ducis Mediolanenſis 1508. A Duce tamen reſtitut⁹, haud diu ſuperfuit.

BONIFACIVS II. Marchio Montisferrati, princeps ingenio maximo. Vxor MARIA filia Hugonis Cõmitis Veromanduorum.

ISABELLA vxor Azonis IV. Marchionis Eſtenſis.

ALPHONSVS Marchio Finarij, vir prudentia animiq; virtu-

CAROLVS Dominicanus Cardinalis, electus à Iulio II. Põtifice, obijt Romæ A.C. 1514.

FABRICIVS ſummus Magiſter ſodalitatis

tibus illuſtris: Finarum oppidū refecit.

Equitum Hieroſolymitanorū Rhodi, obijt A.C.1521.

RVMBOLDVS ſive REINERVS Marchio Montisferrati. Vxor IVTHA Leopoldi V. Marchionis Auſtriæ F.

ALPHONSVS Marchio Finarij. per ſeditioſos ciues, Genuenſibus frigidam ſuffundētibus, bis eiectus: ſemel quidem ab Imp. Ferdinando in Comitijs Auguſtanis eſt reſtitutus: iterum expulſum ut ciues reciperent, ne grauiſsimis quidem Cæſaris Maximiliani minis adduci potuere.

GVILIELMVS II. cognom. Senex, Marchio Montisferrati, Conradum III. Imp. & S. Ludouicum Galliæ Regem ſecutus ad expeditionem Hieroſolymitanā: rem feliciter geſsit A.C.1146. Obijt A. C.1182. Vxores habuit duas: 1 N. filiam Humberti II. Moriennæ Comitis. 2. IVLIAM ſororem Conradi III. Imp. Rom.

GVILIELMVS III. abenſis, quo vtebatur, longitudine LONGA ſpata cognominatus: à Balduino IV. cuius ſororem SIBYLLAM, Almerici Regis F. vxorem habebat, Solymorum Rex deſignatus: obijt Aſcalone: Sepultus Hieroſolymæ A.C.1178 Ipſa poſtmodò nupſit Guidōi Luſitano Gallo: qui priuigno necato regnum arripuit.

BALDVINVS Solymorum Rex, puer ſucceſsit auunculo: vix 8 menſib. ſuperſtes, malo Chriſtianorum fato. Veneno necatus à Guidone vitrico nondū ſexennis. A.C.1179.

REINERVS Princeps Theſſaliæ, à ſocero Emanuele Imp. Byzantino (huius namq; filiā CYRIMARIAM duxerat) inueſtitus: obijt A.C 1182.

BONIFACIVS III. Marchio Montisferrati; ſuppetias ferens Balduino V. Solymorum Regi, ſuo ex fratre nepoti, contra Sulthanum: à Guidone vitrico illius captus, Damaſcum eſt perductus A.C.1175. triennio poſt filij virtute liberatus. Ab Alexio Imp. Conſtantinopolitano, fratre ipſius mortuo, in Theſſaliæ regnum cum poteſtate miſſus: ob rerum experientiam & grauitatē, poſtmodô quoq; factus totius exercitus Chriſtiani dux ſupremus: cum Saracenis ſtrenuè dimicauit tamdiu, donec ab hoſtibus caperetur. Cui tamen è vinculis erepto, Conradus filius libertatem reſtituit A.C.1188. Vxores eius duæ: ELISABETH Iſacij Imp. Byzantini, F. & MARIA (alijs MARGARETA) Belæ III. Vngariæ Regis F. ſterilis.

IORDANA vxor Alexij Imp. Bizantini, ob pietatem in diuorum album relata.

AGNES coniux Guidonis Guerræ, Comitis Romaniæ.

CONRADVS Marchio Montisferrati, copijs in Italia conſcriptis, Venetorum auxilio Saladinū bello petijt: quo vi ſuperato, & patrem è vinculis liberauit,

GVILIELMVS IV. Marchio Mōtisferrati; fratrem regno pulſū reſtituere volens;

BONIFACIVS Princeps Theſſaliæ, euatus interfuit expedis tonibus à

& ſe Regem Solymorum nominauit. In populari tandem ſeditione perijt, crudeliter confoſſus à duobus Saracenis in foro Tyri A.C. 1192. Vxor ISABELLA filia Almerici Solymorum Regis, à priore marito Hunfredo Turonio vi abducta.

IOLE [al. MARIA] vxor Ioannis Brenni Comitis Vienneniſis, & Regis Solymitani: mater IOLAE coniugis Friderici II. Imp.

veneno perijt. Vxor SOPHIA filia Friderici I. Imp. ducta A. C. 1186.

Iaderenſi in Illyria, & Conſtantinopolitana; quâ vrbs Alexio Comneno eſt adempta.

BONIFACIVS IV. Marchio Môtisferrati, princeps prudentia, audacia, corporiſque vigore eximius: obijt A.C. 1254. Vxor MARGARETA F. Amedei III. Comitis Sabaudiæ.

BONIFACIVS V. Marchio Montisferrati, Vercellas & Eporediam cepit. Vxor BEATRIX Alfonſi Caſtellæ Regis F.

RVMBOLDVS Marchio Montisferrati. Vxor IVTHA Auſtriaca, S. Leopoldi F.

IOANNES cogn. Iuſtus, Marchio Montiſferrati, bella geſsit in Inſubria: quibus captus, carcerīq; obſcuro incluſus; ſed ſuorū tandem ciuium ære grandi redemtus: ex animi ægritudine deceſsit A.C. 1294. ſenex & ἄπαις. hæredē teſtamento ſcribens Theodorum Palæologū ex ſorore nepotem. Vxor MARGARETA Sabauda, Amedæi IV. F.

IOLE ſiue YOLANTHA vxor ANDRONICI Senioris PALÆOLOGI Imp. Byzantini, defuncti 1332. 12. Febr.

ALOYSIA nupſit Pontelio Vrſino, Patricio Romano.
Tertia N. nupſit Alphonſo Regi Caſtellæ.

THEODORVS Palæolog⁹, Marchio Montisferrati ſcriptus ab auunculo: Aſtam ſuæ adiūxit ditioni. Vxor ARGENTINA Opicini nobilis Genuenſis F. è Spinularum gente prognata.

IOLE vxor Amedei V. Sabaudiæ Comitis.

IOANNES Palæologus, Marchio Montisferrati, princeps ingenio manuq; ſtrenuus. Vxor ELISABETH filia Iacobi Regis Maioricarum, Inſularum Balearium.

OTHO Marchio Montiſferrati, ἄπαις Vxor VIOLANS F. Galeacij tyranni Mediolanenſis.

GVLIELMVS in pugna ad Nicopolin cæſus, patre adhuc viuo.

THEODORVS II. Marchio Môtisferrati, multa cœnobia vel condidit vel reditibus ditauit. Vxores eius dux: 1. IANA Barri Comitiſſa; Roberti Ducis F. 2. N. Pedemontani Ducis, F.

MARGARETA.

IACOBVS IOANNES Marchio Montiſferrati, à Sigiſmundo Imp. Præſes Italiæ

SOPHIA vxor Ioannis Palæologi Imp. Byzantini.

HARTMANNVS Præſul Curienſis, obiit 1416.

conſtitutus. Vxor IOANNA F. Amedei VII. Comitis Sabaudiæ.

IOANNES III. Marchio, captus à Ludouico Sabaudo, ſuo amitino 1434. cuius poſtea filiam MARGARETĀ vxorem duxit.

THEODORVS Cardinalis, inauguratus a Paulo II. Pp. Romano.

GVILIELMVS VI. Marchio Montisferrati inueſtitus à Friderico III. Imp. qui irritas fecit alienatiões per Ducem Sabaudiæ factas, anno 1464. Caſalem vrbem & monaſterium condidit A. C. 1474. Amplificandæ inde ditionis ſuæ cupidus, Alexandrinorum agrū occupauit, exhauſitq; populationibus; & Dertonenſes quoq; ac Ticinenſes armis inuaſit. Quas ob iniurias à Sforcianis captus: ex carceris ignominia deceſsit A. C. 1483. Vxor ELISABETH Franciſci Sforciæ Ducis Mediolani f.

BONIFACIVS VI. cog. Senex, in Marchionatu Montisferratenſi fratrum ſucceſſor; inueſtitus à Friderico III. Imp. A. C. 1487. Bellis temporum ſuorum penè omnib. interfuit: magnanimitate, experientia, conſilijs vir eximius. Obijt 1488. Vxor MARIA Palæologa, Seruiæ Deſpotæ F.

AMEDEA vxor Iani Iacobi Regis Cypri, veneno necata.

ISABELLA nupſit Gualthero Saluzziarum Marchioni.

BLANCA Maria patruo Bonifacio paternam renunciauit hæreditatem: nupſitque Carolo I. Duci Sabaudiæ.

IOANNA

GVILIELMVS VII. Marchio Montis ferrati, in ludis equeſtrib. perpetuò victor: non ſine laude fortitudinis militauit Ludouico XII. Galliarum Regi contra Iulium II. Pontificem & Venetos. Florente ætate in ipſo gloriæ curriculo mortuus A. C. 1518. Vxor 1. MARIA, Caroli Suſſenſis Comitis in Hiſpania F. ſterilis. 2. ANNA F. Gaſtonis Comitis Fecenſis, ſoror Comitis Lanzoni in Gallia.

IOAN. GEORGIVS abbas cùm eſſet, ſacerdotio poſt mortem fratruelis abdicato, IVLIAM Friderici Aragonij, Regis quondam Neapolitani, ducere voluit: ſed morte præuentus obijt A. C. 1534. Sic in hoc Palæologorum ſtirps maſcula defecit.

BONIFACIVS VII. Marchio Mōtisferrati, perijt iuuenis in ludo equeſtri A. C. 1530.

MARGARETA vxor FRIDERICI GONZAGÆ, primi Ducis MANTVANI electi à Carolo V. Imp. 1530. qui obijt 1540. menſe Iunio.

N. vxor Ludouici Marchionis Saluzziarum.

STEMMATIS
VVITICHINDEI
STIRPS VI.
PRINCIPVM ALLOBROGVM SABAVDIAE.

AMADÆVS ſiue IMMODVS, VVitichindi Magni Ducis Saxoniæ pronepos, Comes Ringelheimius: occiſus in Bauaria. Vxor HEMMA Comitiſſa Schierenſis in Bauaria.

BERTHOLDVS ſiue BEROALDVS, patrium ſolum vertere coactꝰ, in eam Burgundię Transiuranæ partem conceſsit, quæ inter Allobroges Comitatus Moriennæ vocatur: reque, Imperij nomine, feliciter geſta cōtra Genuēſes, maris Liguſtici accolis, & Vltramontanos Megiſtones, Moriennæ Comitatum obtinuit A.C. 998. Mortuus Maſsiliæ; in cœnobio S. Benedicti, vbi ętate & curâ adminiſtrationis confectus, ſolitariam vitam agebat: ſepultus verò Arelatæ A. C. 1027. Vxor CATHARINA Palatina Schirenſis.

BOTHO I. cuius poſteritas Immedingorum appellata eſt.

ROTHINGVS, pater Bothonis II. auus Rothingi II. proauus FREDERVNAE nobiliſsimæ fœmina, vxoris Ardutni ſive Hartuici de la Scala, Boiorū dynaſta.

HVGO ſive HVMBERTVS I. Moriennæ Comitatum, qui nunc Sabaudiæ nominatur, iure beneficiario ab Henrico III. Imp. accepit. Obijt A.C. 1048. quinquagenarius. Vxor ADELA ſive Adelheida filia, & hæres Marchionis Seguſiani, ſecundis nuptijs iuncta Othoni Marchioni Italiæ, ex eo ſuſcepit Bertham Henrici IV. Imp. coniugem, & Adelam nuptam Rudolpho Rhynfeldio.

HENRICVS & THOMAS patris æmulati exemplum, in eodem, quo ipſe, cœnobio Benedictino mortui.

AMEDÆVS I. cognom. Codalonga, quòd longum comitatum ducere ſolebat,

PETRVS Marchio Suzæ ſive Seguſianus.

OTHO

ELISABETH vxor Othonis Comitis Matiſconenſis in Italia.

ſobat, Comes Moriennæ & Marchio Seguſianus: ab Henrico IV. Imp. contra Gregorium VII. Pontificem ituro in Italiam, donatus regione quadam Burgundiæ A.C.1077. paulo poſt eius abitum naturæ conceſsit. Moriennæ ſepultus iuxta patrem. Vxor IANA Comitiſſa Burgundiæ.

HVMBERTVS II. Moriennæ Comes & Seguſianorum Marchio, ditioni ſuę Tarentaſiam, bello ſuperatam, adiecit: belloq; interfuit Sacro, quod Franci contra Saracenos geſſere A.C.1099. Decennio pòſt fatali morte abſumptus. Sepultus Muſterij in baſilica. Vxor LAVRENTIA Patricia Veneta.

AMADAEVS ſive Amatus, Comes Morennia.

AMEDÆVS II. primus Comes Sabaudiæ, Marchio Taurinorum & Seguſianorum, Vicarius Imperij ab Henrico IV. conſtitutus: bona eccleſiaſtica à Canonicis abalienata, collegio Mauriciano reſtituit: & alios Canonicos regulares ibidem congregauit. Cum Conrado Cæſare & Ludouico Iuniore Rege Franciæ in Aſiam traijciens (1247.) Rhodum conſeruaſſe dicitur: in cuius rei memoriam Ordo Equitum Annunciationis inſtitutus eſt. Obijt in Cypro A.C.1150. Quatuor vxores habuit: 1. GERTRVDEM F. Simonis Ducis Lotharingiæ: 2. GVYGONNAM Alboniam F. Vlrici Comitis Matiſconenſis, matrem quinque liberorum: 3. SIBYLLAM Guygonnæ ſororem germanam: 4. CLARENTINAM Geneuenſem Comitiſſam, quam repudiauit.

REINHOLDus vltimus Præpoſitus collegij Mauritiani.

ADELHEIDIS ſive Alexia, vxor Ludouici Craſſi Regis Franciæ.

N. conſors Guilelmi Marchionis Montisferrati.

HVMBERTVS III. Comes Sabaudiæ Alpinarumque gentium ſecundus, duo cõſtruxit monaſteria, Alpinam Abbatiam, & Altam Combam: pacis ſtudioſus, in patria conſenuit. Obijt A.C.1101. Vxores ordine habuit tres: 1. MATHILDEM F. Theodorici Alſatici Comitis Flandriæ: 2. ANNAM Salinarum Comitiſſam: 3. PETRONELLAM Comitiſſam Burgundiæ, viduam Ducis Auſtriæ:

ALASIA ſiue AVXILIA nupta Huberto Bellolocenſi dynaſtæ.

ADELHEIDIS conſors Andreæ Comitis Angleriæ.

PETRVS ſeculo renunciauit.

IOANNES ob aduerſam perpetuò ualetudinem monachum induit.

AGNES ex ſecundo coniugio procreata, obijt puella ſeptennis.

THOMAS ex tertio procreatus matrimonio, Sabaudiæ Alpinarumque gentium

Comes tertius, Pedemontanum principatum bello ſibi vindicauit. A' ſocero Guidone Comite Gebennarum, cuius filiam BEATRICEM ipſo inuito vxorem duxerat, bello laceſsitus: tam ſtrenuè ſe defendit; vt ipſum quoque ad extremam reductum neceſsitatem, fidelitatis ſibi ſacramentum dicere coegerit. Obijt A. C. 1243. apud Caualerium montem: ſepultus Auillanæ. Liberi eius X.

1. *AMEDAEVS III. Sabaudiæ & Alpinarum gentium Comes quartus: Vallis Auguſtæ petram, & Chablaſii principatum acquiſiuit: cùm maſculi hæredes legitimi non ſupereſſent. Obijt A. C: 1246: Vxores habuit duas: ANNAM F. Delphini Viennenſis, ſterilem: & CAECILIAM neptem Raymundi, Toloſæ, Prouinciæ, & Fani S. Aegidij Comitis, Reimoldi F.*

BONIFACIVS quintus Sabaudiæ & Alpinarum gentium Comes: à Marchionibus Montisferrati & Eſtenſibus in obſidiõe Taurini captus: in vinculis, ex animi mœrore & vulneram dolore expirauit A. C. 1256: ſepultus Mauriennæ.	*CONSTANTIA vxor 1. Boneti Cabilonenſium Comitis: inde Manuelis Hiſpani, fratris Alphonſi Cæſaris electi.*	BEATRIX Marchioniſſa Saluziarum.	*MARGARETA patris teſt. mento ſacris deſtinata. nupſit Bonifacio IV. Marchioni Montisferrati.*

2. *PETRVS Comes Sabaudiæ ſextus, princeps bellica virtute inſignis: Taurinenſes in fratruelis vltionem obſedit, cepitq́: Zaringiæ principibus tractum Auentieum ſiue Valeſiam, & oppida aliquot ad lacum Lemanum eripuit: Mangepanam arcem, Baronib. Morgianis ſuperatis, deſtruxit: Veſpaſiam euertit. Annulum S. Mauricij primus geſtaſſe ſcribitur: quem Sabaudiæ Comitibus ſubinde tradi iuſſit. Obijt ãnnus A. C. 1268 Vxor LEONORA Foucingij Domini F.*

3. *LEONORA vxor Azonis IIX Marchionis Eſtenſis.*

4. *PHILIPPVS Sabaudiæ Comes ſeptimus, antè Lugdunenſis Archiepiſcopus & Præſul Valentinus: hæreditate in nepotes ex fratre Thoma diſtributa, deceſſit ãnnus ex hydrope A. C. 1285. ſepultus in Alta Comba cænobio. Vxor ALOYSA filia vnica Othonis vltimi Ducis Meraniæ.*

5. *HVMBERTVS cum Hermanno Salca, magno Boruſsiæ magiſtro, contra infideles pugnans, fortiter oppetijt A. C. 1235.*

6. *GVILIELMVS Præſul Leodienſis, obijt Aſsiſii in Vmbria A. C. 1238.*

7. *BONIFACIVS Archiepiſcopus Cantuarienſis, Roſsilionum & Vginum arces condidit: obijt 1260: ſepultus in Alta Comba templo.*

8. *BEATRIX vxor Raymundi Berengarij, Prouinciæ Comitis.*

9. *MARGARETA vxor Hartmanni Kiburgenſis Comitis.*

10. THOMAS Sabaudus, principatum non obtinuit. Obijt A. C. 1251. Vxores habuit duas. IOANNAM Flãdriæ Comitiſſam, F. Balduini Imp. Byzantini, viduatam à Ferdinando Luſitano, Sancij Regis filio; Marquettæ *ãnnuâ* ſepultam A. C. 1244. & IOANNAM F. Petri Fliſci Genuenſis patricij, Innocentij IV. Pontificis Romani neptem.

AMEDÆVS IV. cognom. Magnus, Sabaudiæ & Alpinarum gentium Comes octauus: cum Humberto Allobrogum Delphino manus conſeruiſſe legitur. In matrimonio habuit SIBYLLAM Baſgæi Comitiſſam & Breſſæ dominam, filiam & hæredem Vlrici: cuius beneficio Beugiaci ſiue Baſgæi Comitatum cum tota Breſſia ſuæ fecit poteſtatis. hac defuncta, duxit MARIAM Ioannis I. Brabantiæ Ducis F. Obijt A.C. 1333. Liberi eius

THOMAS Sabaudus à patruo Philippo ditionem Pedemontanã accepit. Occiſus in prælio ex inſidiis Comitis Geneuenſis A. C. 1303. ἄπαις. Vxor MARIA F. Ferdinãdi Luſitani & Ioanna Flandræ.

ex Beugiaci Comitiſſa: , exBrabantina:

EDVARDVS Sabaudiæ Comes nonus, victus ab Amedæo Geneuenſi Comite, & Guidone Delphino Viennenſi ad Mortarij mõtem: anno vertente, viriũ reparandarum gratiâ in Galliam ſe conferens: Pariſijs ex mœrore deceſsit A. C. 1329. Vxor BLANCA F. Roberti III. Ducis Burgundiæ.

MARGARETA vxor Ioannis Ducis Britanniæ,

MARGARETA vxor Ioannis Marchionis Montiſferrati.

ELEONORA vxor Gulielmi Cabillonenſis, Comitis Altiſſiodorenſis.

AGNES nupſit Gulielmo Comiti Gebenenſi.

AMEDÆVS V. Sabaudiæ Alpinarumque gentium Comes: heros pacis amantiſsimus: ædes ſacras multas inſtaurauit locupletauitq́;: & Delphinatib. arces duas obiecit. Obijt A. C. 1342. Vxor IOLE Theodori Palæologi Marchionis Montisferrati F.

MARIA nupſit Foucignij Domino.

CATHARINA conſors Theobaldi II. Barri Comitis.

IANA vxor Andronici Palæologi Imp. Byzantini.

BEATRIX nupſit Clarentiæ Duci.

AMEDÆVS VI. Sabaudiæ gentiumque Alpinarum Comes: duodecim in ludis Martialibus, herbacei coloris inſignia geſtans, in catadromis victor euaſit: vnde Viridis Comitis cognomentũ tulit. Ordinem equeſtrem, quatuordecim conſtãtem equitibus torquatis, qui pro teſſera gaudent ſigno Annunciationis B. Mariæ Virginis, in honorẽ Amedęi II. tritaui ſui inſtituit. A Carolo IV. Imp. cui homagium præſtitit, Legatus Imperij perpetuus creatus. Obijt A.C. 1373. Vxor BONA Borbonia, F. Petri I. Ducis Borboniæ.

BLANCA vxor Galeatij II. Pr. Mediolanenſis, Comitis Virtutum.

ACHABIA Comes Sabaudiæ & Pedemontanus. Vxor N. Comes Belloioci.

ACHABIA Iunior, Comes Sabaudię & Pedemontanus. Vxor CATHARINA F. Amedæi Comitis Gebennarum, & Mathildæ Comitis Bononiæ & Aruerniæ.

MECHTILDIS nupſit Ludouico Barbato, Electori Palatino ad Rhenũ.

AME-

AMEDÆVS VII. qui & AIMO, Comes Sabaudiæ & Alpinarum gentiũ: Niceæ Inſubrum principatũ ſine bello acquiſiuit: eò nimirùm à ciuibus accitus, qui à Ladislao Neapolis Rege defecerant. Pro fratre ſedi Epiſcopali reſtituendo, Bernatum auxilijs graue geſsit bellum cum Sedunenſibus: quod primò quidem ipſi feliciter ceſsit. Verùm illo dignitate ea denuò deturbato, bellum vbi redintegraret: à Sedunenſibus & Valeſijs victus, quatuor millia ſuorum perdidit A. C. 1388. Nouiſsimè in venatione ab equo præcipitatus: fracto crure, è viuis exceſsit A.C. 1398 Vxor ANNA Bituricenſis.

EDVARDVS Sabaudus Guiſcardo Gradecio Sedunenſium Epiſcopo, ab Antonio Barone Turriano de arce & ſcopulo Scona præcipitato, ſurrogatus A. C. 1375. triennio pòſt & ipſe à Valeſijs eſt pulſus: quod inteſtini belli fuit initium, quo tota regio miſerum in modum eſt vaſtata. Sedi epiſcopali à fratre reſtitutus A.C. 1384. quadriennio pòſt denuò eiectus, Epiſcopatum non repetijt: ſiue morte præuentus, ſiue bellorum pertaſus.

AMEDÆVS IIX. DVX SABAVDIÆ primus in Concilio Conſtantienſi ab Imp Sigiſmundo conſtitutus A. C. 1416. vxore MARIA Philippi Audacis Burgundiæ Ducis F. defuncta; ipſe rerum mundanarum tædio affectus, Ludouico filio gubernacula relinquens; in agro Geneuenſi monachum profiteri cœpit. cœnobio conſtructo ad lacum Lemanum A.C. 1434. Ob abſtinentiæ poſtmodò, eruditi onis eximiæ, clariq; nominis famam in Concilio Baſileenſi poſtulatus in Pontificem Maximum, & contra Eugenium IV. magna ſolennitate conſecratus, FELICIS V. nomen accepit 24 Iulij A. C. 1440. quam tamen dignitatem nouennio pòſt Nicolao V. conceſsit, ſolo Cardinalatus honore contentus Obijt Ripaliæ ad lacum Lemanum inter milites Ieſu, monaſterij S. Mauricij (in quo antè Decanum egerat) A.C. 1452. menſe Ianuario.

BONA vxor Ludouici Sabaudi, Epiri Principis.

IOANNA conſors Iacobi Ioannis Marchionis Montiſferrati, & præſidis Italiæ.

LVDOVICVS Dux Sabaudiæ alter ❡ princeps pacis ſtudioſus: Lugduni die . obijt A C. 1462. Vxor ANNA F. Iani Reg. Cypri. Liberi ei⁹ XI.

AMEDAEVS Dux Achaiæ.
PHILIPPVS Comes Genebenſis.
ANTHONII duo prima ætate extincti.

MARGARET Attibus ordine nupſit. Ludouico III. Andegauenſi, Regi Siciliæ; Ludouico Elect: Palatino; & Vlrico Comiti Vuirtẽbergio.

MARIA nupta Philippo Mariæ Vicecomiti Mediolanenſi, quòd è vomica circa femora laboraret, viro nunquam eſt congreſſa: eoque defuncto, Virginum cœnobiũ, quod ipſamet extruxerat, intrauit.

1. AMEDAEVS IX. Dux Sabaudiæ tertius, iuſticiæ & pietatis cultor eximius: eccleſiarum, ſcholarum, & pauperum nutritius ſingularis: alijsq; heroicis virtutibus inſignis: Divi, & Patris pauperum cognomentum tulit. Hos namq; ſuos eſſe canes venaticos aff.rmabat: per quos ſalutem & beatitudinem æternam ſe aſſequi poſſe

perabat. Morbum Comitialem ad extremum uſq. vitæ ſpiritum patientiſsimè tulit. Obijt A.C. 1575 Vxor IOLE F. Caroli VII. Valeſij, Regis Galliæ.

PHILIBERTVS Dux Allobrogum quartus, patri ſucceſsit quadrimus. Obijt apud Cavallerium montem A. C. 1485. ætatis ſuæ XIV.

CAROLVS Dux Sabaudiæ quintus, fratri vix quatuor annis ſuperſtes, veneno necatur A.C. 1489 Vxor BLANCA filia Guilielmi VI. Marchionis Montisferrati.

IACOBVS LVDOICus Marchio Gienſis.

MARIA nupſit N. Marchioni Rotbelino.

CAROLVS II. in baptiſmate IOAN. CAROLVS nominatus, infans vix anni vitius patri ſucceſsit in principatu ſub tutela matris. Mortuus ſexennis 1496.

2. LVDOVICVS Rex Cypri vxoris ratione, quæ fuit CAROLOTA, Ioannis Regis filia vnica, vidua Ioannis ex regio Luſitanorum ſanguine: A. Iacobo, vxoris fratre illegitimo regni mulatore, Venetorum auxilijs in arce Nicoſiæ oppugnatus, pulſuſque, factus eſt Anachoreta. CAROLOTA autem à perſecutione iuris ſui non quieſcens à Sixto Pontifice Romano pecunia adiuta, in Aegyptum transfretauit ad Sulthanum: apud quem vbi tres annos auxilij expectatione fruſtrà trauiſſet, re infecta, Romam reuerſa, ibidem conſenuit.

3. IOANNES Epiſcopus Gebennenſis.

4. PETRVS Epiſcopus Gebennenſis.

5. IACOBVS Rhomonij Dominus.

6. CAROLOTA vxor Ludouici XI. Regis Galliæ.

7. BONA nupſit Galeacio Mariæ Sforciæ, Duci Mediolanenſi.

8. MARGARETA conſors Ioannis IV. Marchionis Montisferrati.

9. MARIA vxor Ludouici Lucemburgij, Comitis Fani S. Pauli.

10. AGNES Comitiſſa Diuenſis.

11. PHILIPPVS Beugiaci Comes, & Breſſiæ Dominus, princeps pacificus: poſt agnatorum obitum ſenex Dux Sabaudiæ ſeptimus factus: obijt Chamberiaci A. C. 1498. In eius vixere matrimonio MARGARETA F. Caroli I. Ducis Borbonij & CLAVDIA Ponthieurana, Ioannis Broſsij Buſſæi Domini F.

Liberi eius

ex Barbonia:

PHILIBERTVS Pulcer, Dux Allobrogum octauus: gener Maximiliani I. Cæſaris ex filia MARGARETA: in flore iuuentutis deceſsit ætatis A.C. 1504. ſepultus in Bronzeo cœnobio, ab uxore magnis ſumtib. extructo.

LVDOVICA mater Franciſci I. Regis Galliæ

PHILIBERTA nupſit Iuliano Mediceo, Principi Florentino.

ex Ponthieurana:

CAROLVS III. Dux Allobrogum, ab Heluetijs Bernatibus, Geneuam defendentib. recens malè mulctatus: à Franciſco I. Rege Galliæ & Valeſijs maxima principatus ſui parte ſpoliatus, & ditione patria eiectus A. C. 1536: duodeuigeſimo anno poſt diem obijt Vercellis menſe Iunio Philiberto filio ex aſſe hærede inſtituto. Vxor BEATRIX Emanuelis Luſitaniæ Regis F.

PHILIPPVS Dux Nemorſienſis, Gebennæ Comes

IOANNES & ABSALON pueritiæ ætate extincti.

CAROLVS obijt in Hiſpania. EMANVELES duo, & IOANNES, MARIA tenera ætate ſunt defuncti.

CATHARINA trima extincta. ISABELLA & MARIA puellæ obierunt.

EMANVEL PHILIBERTVS Dux Sabaudiæ decimus; principatu eiectus, militauit Carolo V. Cæſari in finibus Belgicis, & bello Germanico: cui ille, ne paterna carens hereditate, rebus neceſſarijs pro dignitate omninò careret. Aſtæ ditionem tributariam conceſſit. Militauit & Philippo Hiſpaniarum Regi ad fanum Quintini. à quo reſtitutus in auitum ducatum duxit MARGARETAM Franciſci I. Galliarum Regis filiam 29. Iunij. A. C. 1559. Cæterum Heſdunum quoque vrbem apud Morinos inuictiſſimam vi cepit. Obijt A. C. 1580. 2 Auguſti, Turini: Vercellis à ſuis ſepultus cum inſigni exequiarum pompa, & magnifico apparatu.

CAROLVS EMANVEL Dux Allobrogum, Pedemontis Princeps, Marchio Sizæ, Comes Marennæ, Tarenteſiæ, Briſgoiæ, Breſſæ, Geneuæ, &c. natus A. C. 1561. baptizatus Turini 9. Martij. 1567. In eius vivit conſortio CATHARINA minor natu Philippi Regis Hiſpaniarum filia.

STEMMATOGRAPHIA

ſive

STEMMATA GEN-
TILITIA PATERNÆ ET MATER-
NÆ PROSAPIÆ PRINCIPVM SA-
XONIAE. AD XXXII. TRITA-
uos, totidemque Tritavias
deducta.

IN RVTAM INCLYTÆ
Domus Saxonicæ.



Semper RVTA vi et, tetris inimica venenis:
Flore decens, ſimul & ſuavis odore ſuo.
Inclyta ſic domus hæc ô Saxonis omne per ævum
Floreat: & noceant huic mala nulla precor.
Semper honos, ſemper maneat laus inclyta gentis:
Spiret & æternum flore perenne decus.

N. Reuſnerus.

IN SYMBOLVM CONCORDIÆ PERPETVAE

ILLVSTRISSIMORV[M]

PRINCIPVM AC DOMINORV[M]

D. FRIDERICI VVILHELMI ET D. IOANN[IS]

Ducum Saxoniæ, Landgrauiorum Thuringiæ, Marchionum Miſniæ, Fratrum Germanorum,

Sub imagine
OSCVLI PACIS ET IVSTITIAE
ex Pſalmo 84.

Cum Epigrapha Pſalmi 133.
ECCE QVAM BONVM ET QVAM IVCVNDVM,
Fratres habitare in vnum.

SYmbola quæ geritis, Patriæ duo ſidera, FRATRES:
Tu FRIDERICE annis Dux GVILIELME prior:
Tuque ô IANE ſimul, Dux inclyte Saxonis oræ:
Quàm pia, quàm Genio ſunt meditata bono.
Aurea PAX ET IVSTITIA oſcula mutua carpunt:
Lætitiæ tantæ vox quoque teſtis adeſt:
QVAM BONVM & ô QVAM IVCVNDVM eſt opus (inquit) I[N]
Concordes FRATRES ſic HABITARE diu. (VNV[M])
Quod loquitur, ſimulat geſtu quod & vtraque Diva;
Res probat, exemplo verificata pio.
Certus amor; pietas probat & concordia certa,
Certa fides; Pacis iuſtitiæque comes.
Mens pariter probat hoc FRATRVM una, anima una, cor unum:
QVAM BONVM opus, FRATRES ſic HABITARE SIMVL.
Sic vixiſſe reor fratres Gerionas olim
Tergeminos uno corpore, & unâ animâ.
Sic frater Pollux vixit cum Caſtore fratre,
Qui duo corporibus, mentibus unus erant.
Dijbenè fortunent, precor, Ordinis inclyta veſtri
Symbola, magni animis & pietate Duces.
Semper amor, pietas ſemper, concordia ſemper,
Semper & in vobis floreat iſta fides.
Mutua PAX ET IVSTITIA oſcula carpat, IN VNVM
Fas vt ſit FRATRES ſic HABITARE diu.
Relligio, Virtus, Ius floreat omne per ævum,
Fauſtaque cum læta proſperitate Salus.

Nicolaus Reuſnerus D.

ILLVSTRISSIMORVM ET CELSISSIMORVM PRINCIPVM AC DOMINORVM

D. FRIDERICI GVILIELMI PROELECTORIS


ET


D. IOHANNIS

DVCVM SAXONIÆ, LANDGRAVIORVM TVRINGIÆ, MARCHIONVM MISNIÆ, &c.

STEMMA GENTILITIVM

PATERNVM: MATERNVM:







SYMBOLVM
IOANNIS FRIDERICI
Saxoniæ Electoris.


V. D. M. IN AET.
SI VERBVM DOMINI MANET AETERNVMq; manebit:
Scilicet eſt verbo credere ſumma ſalus.

N.R.D.



S Y M B O L V M
IOAN. FRIDERICI ELECT.
Saxoniæ alterum.
FIDE, SED CVI?
Vertraw/ vnd nicht zu viel.
FIDE *quidem.* SED CVI *nam fidere conſeo nulli*
Fas homini: præſtat fidere nempe DEO.
Aliter.
FIDE, SED *ante vide,* CVI *tutò fidere poſſis:*
Et quia non tutum eſt fidere, fide DEO.
H. H.


Phil.ppus Com Catti-meliboge.
Otilia C. Naſſov. & Dillenberg.
Chriſtophorus Marchio Badenſis, obiit 1515.
OTILIA Comitiſſa Cattimelibo-cenſis.
Beatrix Marchionissa Badenſis & Hochbergenſ. obiit 4. Aprilis 1535.
Ioannes II. Comes Palatinus Rheni, Dux Simmerenſis obiit 18. Maii 1558.
Ioannes I. Pal. Rheni. D. Simmeriæ obiit 1509.
Fridericus III. Elector Palatin. Rheni, Dux Bavariæ, & Simmeriæ, obiit 26. Octob. 1576.
SYMBOLVM
FRIDERICI III. ELECTORIS
Palatini ad Rhenum.
Herr nach deinem Willen.
Non mea, ſed FIAT, DEVS ô, TVA ſancta VO-
LVNTAS:
Quod tu vis, hoc fac me quoq; velle DEVS.
N. R. D.



SYMBOLUM
MARIAE BRANDEBURGICAE
Frid. III. Elect. uxoris.

Mit Gott vnd Ehren.

Sit Dux ipſe Deus, Comes adſit ſedula Virtus:
Egregium virtus nil facit abſque Deo.

N. R. D.

DE NOMINE ILLVSTRISS. PRINCIPIS D. FRIDERICI GVILIELMI Ducis Saxoniæ Proelectoris&c.

Odarion Anagrammaticum.

I.

FRIDERICVS GVILIELMVS PRO
Elector Saxoniæ.

Relligio compellans Principem.

O Divé, dîæ legis, & ô DEI
ECCLESIARVM PORTVS & anchora,
REGNOque IVS FELIX, tuæq;
LAR, FRIDERICE VVILHELME, terræ:
Vt te colentem ſemideûm patrum
Veſtigiorum ſancta imitamina,
Totum per orbem Chriſtianum
Relligio Pietaſque cantat,
Tu nempe nobis ILLE DEI NOAS
Es (nomen almam quod requiem notat)
FRVGIq; REX, ECCLESIARVM
O bone PORTVS & arx piarum:
Cœleſte verbi quæ ſitiunt ſacri
Nectar; peroſæ noxia dogmata
Fanaticæ turbæ rebellis;
Dogmata Tartarei Charontis.
LVX ET DECOR tu REGIS (iô PIE!)
Germanici: nunc portus ERIS quoque
FVLCRVMq; SALANO Lycéo
Phœbus & Aoniæ coronæ.
Namque ille nobis tu FRIDERICVS es
Ille & VVILHELMVS; caſside plurima
Armatus à Iova potente,
Paceque dives es incruenta.
Eja ergo ſis ò & maneas DEI
ECCLESIARVM PORTVS & anchora
LENISq; FRVGALI ò bonuſque
REX, FRIDERICE VVILHELME
Muſæ.
REGI ſupremo ſic ERIS, O PIE,
CORDI: ſalus ceu LVX ET ES unica,
FVLCRVMq; SALANO Lyceo
Innumeris opibus beatus.

II.

FRIDERICVS GVILIELMVS PRO-
elector Saxoniæ.

Reſponſio Principis.

O ſancta Chriſti relligio, vigens
IO triumpha lætitiâ! FEROR
En PORTVS ille ECCLESIARVM:
LEXq; DEI VIGILANS in orbe.
En! ut ſacratas tergemini DEI
Defendo FELIX ORNOq; REGVLAS:
Sum PORTVS en ECCLESIARVM
Ille ſalubris, iô triumpha!

Ad eundem.

FRIDERICVS GVILIELMVS PROELECTOR SAXONIAE.
Lux & fulcrum es Salani ope: jô! Regi eris cordi.

SALANI LVX, ô FRIDERICE VVILHELME, Lycéi
Solus ES ET FVLCRVM, Dux OPE magne Dei.
Lætus Ió! Regum REGI, qui cuncta gubernat,
Semper ERIS CORDI: Dux pie, lætus jô!

AD D. ANNAM MARIAM Palatinam, Illuſtriſsimi Principis D. FRIDERICI GVILIELMI Proelectoris coniugem.

ANNA MARIA PRINCEPS PALATINA
Cara parentis anima, pia, plana.

ANNA MARIA COMES PALATINA AD RHENVM
Alumna, Deo Patri chara manens anima.

ANNA MARIA PALATINA ô celſiſsima PRINCEPS,
Quam felix tanti nominis omen habes:
Cuius litterulas benè ſi collegeris omnes:
CARA ANIMA (EN) PATRIS es, caſtaq; PLANA, PIA
Iſter erit teſtis, quo te complexus amore
Sis tum, & foveas qua pietate, Pater.
Ipſa tibi tantæ peperiſti encomia famæ,
Laude pudicitiæ, notitiaque DEI.
Hinc ſibi te legit fidam Dux Saxonis oræ
Participem vitæ, participemque tori.
Vive diu felix, ANIMA ô perCARA PARENTIS
Heroina tui, PLANA, pudica, PIA.
Optima Muſarum nutrix, & ALVMNA ſcholarum
Sácta, DEO PATRI CHARA MANENS ANIMA.

ILLVSTRISSIMORVM ET CELSISSIMORVM PRINCIPVM AC DOMINORVM

D. CHRISTIANI II. HÆREDIS ELECTORATVS Saxoniæ

&

D. IOANNIS GEORGII,


AC


D. AVGVSTI

DVCVM SAXONIÆ, LANDGRAVIORVM Turingiæ, Marchionvm Misniæ, &c.

STEMMA GENTILITIVM

PATERNVM: MATERNVM:






SYMBOLVM

AVGVSTI DVCIS SAXOniæ Electoris.

TE GVBERNATORE.

Sub pictura Imaginis Chriſti in velo nauis.

TE, CHRISTE, *vela pando per maris viam,*
TE *tanquam* GVBERNATORE, *& auſpice, & duce,*
Tu dux, & auctor, ſolus es vitæ DEVS,
Tu portus es ſalutis & cuſtos meæ.
Prouinciæ tu rector & præſes bonus:
Sic TE GVBERNATORE *tutus nauigo.*



S Y M B O L V M

A V G V S T I   E L E C T O R I S

alterum:

TANDEM BONA CAVSA TRIVMPHAT.

Non vincis semper, TANDEM BONA CAVSA TRIVMPHAT:

I Arax cauſa Deo, ſit modò iuſta, placet.


ANNAE REGINAE DANIAE, ELE-

ctoriſſæ Saxoniæ Symbolum.

Die Furcht des Herren iſt der Weisheit Anfang.

Fors vitæ, T. MOR eſt DOMINI, & SAPIENTIA

Vt recte ſapias, diſce timere DEVM. [PSALM 11



SYMBOLVM

CHRISTIANI DVCIS


Saxoniæ Electoris.

FIDE ET VIDE.

Sub pictura Leonis clauſis oculis vigilantis, & incubantis armis Saxonicis.

FIDE, SED antè VIDE: malè fidit, qui bene fi-
Cuiq; cui fidat, nec priùs ipſe videt. [dit

N.R.D.



SYMBOLVM
IOAN. GEORGII ELECTORIS
Brandeburgij.
Alles nach Gottes Willen.
OMNIA, quæ vult, ſponte DEVS facit: OMNIA rectè
Ex voto, quæ vult, ſic facit ipſe DEVS.
Ergo VOLVNTATEM quiſquis facit omne per ævum
Sponte DEI; rectè, quod facit, omne facit.

N. R. D.

ODE ANAGRAMMATICA

AD D. CHRISTIANVM II. DVCEM SAXONIÆ,

Electoratus Hæredem.

CHRISTIANVS DVX SAXONIÆ ELECTOR.

ALTA VI EX CORDE CHRISTO ES ANNIXVS.

Nil eſt beatum rebus in omnibus:
Sed felle amaro mellea tingitur
Dulcedo. Conſtans nil in orbe eſt,
Nilque fidele, quod uſquequaque
Ambit mare. Ergo quàm benè, quam piè
ANNIXVS ALTA ES VI, generoſe Dux
EX CORDE CHRISTO, *CHRISTIANE*,
Vnica namque ſalus, potentem
Spes in IEHOVAM figere. qui bona
Promittit affatim omnia: pluraque,
Promiſſa quàm ſunt, largiendo
Nobilitans animum paternum;
Sat evidenter comprobat, omnium
Quòd vota vincat gratia prodiga:
Nobiſque amoris certa tradit
Signa ſui, dubitatione
Ne turbet ægram mentem aliquod malum.
Fixa ergo ſit ſpes omnis in ipſius
Clementiâ: qui noſtra dextrâ
Nomina cuncta ſuâ notavit.

Votum pro eodem ἀναγραμματικόν.

CHRISTIANVS DVX ET ELECTOR SAXONIAE, LANDGRAuius Turingiæ, Marchio Miſniæ.

LVX NVNC RARA ARDET, REGNI COELESTIS IMAGO;
AH VIVA IN CHRISTO SIT MEA NIXA FIDES.

DE D. IOANNE GEORGIO DVCE SAXONIAE, Landgrauio Turingiæ, Marchione Miſniæ.

IOANNES GEORGIVS DVX SAXONIAE, LANDGRAFIVS TVRINGIAE, ET MARCHIO MISNIAE.

*HEROAS INTER SALVANDOS AGGREGAT AXI
ME, CHRISTI INNIXVM SANGVINE, IOVA, FIDE.*

AD D. AVGVSTVM Ducem Saxoniæ &c.

AVGVSTVS DVX SAXONIAE.

DVX SATIS GNAVVS EX AVO.

Dux eris, ò AVGVSTE, SATIS GNAVVSque piuſque:
Qui geris ex magno nomen & omen AVO.


ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,


D. IOAN. PHILIPPI

DVCIS SAXONIÆ, LANDGRAVII TVRINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, &c.

STEMMA GENTILITIVM

PATERNVM. MATERNVM.






SYMBOLVM
IOAN. GVILIELMI DVCIS
Saxoniæ &c.

Herr lehre mich deinen Willen thun.

QVOD VIS, ME FACERE ipſe doce, DEVS optime: ſemper
Pareat ut verbo mens mea tota tuo.


N. R. D.



SYMBOLVM
DOROTHEAE SVSANNAE PALATINAE
Rheni, Ducissæ Saxoniæ.
Ich weis das mein Erlöſer lebet.


CREDO equidem, mihi QVOD VIVIT MEVS ILLE REDEMPTOR:
Semper ut huic vivam: me juvat ergo mori.

N. R. D.



SYMBOLVM
PHILIPPI LVDOVICI COMITIS PALAtini Rheni, Ducis Bavariæ.
CHRISTVS MEVM ASYLVM.

Seu morior, ſeu vivo, MEVM ſit CHRISTVS ASYLVM:
Mortis hic & vitæ ſacra ſit ara meæ.
N. R. D.





SYMBOLVM
ANNÆ IVLIACENSIS, COM.
Palat. Rheni.

EN DIEV MA CONSOLATION.

Spes eſt, & MEA CONSOLATIO ſemper IN uno
Magna DEO: dici cuius & eſſe volo.

N. R. D.

Illuſtriſs. Parentum Ducum Saxoniæ

PRO IOANNIS PHILIPPI FILIOLI SALVTE

& incolumitate

Votum anagrammaticum.

FRIDERICVS VVILHELMVS PROELECTOR SAXONIÆ, ET ANNA MARIA PALATINA RHENI.

CHriſte Dei ſoboles, æterni Patris imago:
(Quippe tuus, ſimul eſt noſter & ipſe Pater)
Nomine qui Patris gaudes quoq;, nominis & me
Conſortem Patris participemq; facis.
Munera ſunt (fateor) tua, caſti pignora lecti,
Matris ventre tuâ nempe levata manu.
O quantum hoc meritum! ô beneſacti gratia quanta!
Pro quo ſit modò par gratia CHRISTE *tibi.*
Sit tua cura, mei ſoboles dulciſſima lecti:
Jamdudum matri ſarcina prima ſuæ.
FILIOLVM (RATA DANS, AC ILLA EXORO) PERENNÈ
NVMINIS AH AVRA CHRISTE TVERE PIA.
Fac creſcat multos vigeatq; ſuperſtes in annos:
Nominis & cultor ſit ſine fine tui.
Te rectè noſcat: tua dona, tua inclyta facta
Cum cœtu celebret ſemper in orbe pio.
Salva ſit, & ſalvo mecum & cum Principe nato
Juſtitia, & Virtus, ſanctaq; Relligio.
Te dante hic vigeat rerum ſtatus optimus; & nos
Pax beet, & Requies alma, Salusq; diu.
Exſulet Impietas: Pietas dominetur in aula:
Sit fames, & peſtis ſit procul omne malum.
Audi Chriſte preces ſanctas, votumq; ſecunda:
Sic tuus æterno tempore perſtet honos.

Omen Muſarum

DE IOANNE PHILIPPO, DVCE SAXONIAE, &c.

κατ' ἀνάγραμμα.


IOANNES PHILIPPVS DVX SAXONIAE, LANDGRAVIVS TVRINGIAE, ET MARCHIO MISNIAE.


HEROS INGENII DIVINI (GAVDIA!) PRINCEPS:
VNA SALVS PATRIAE, MAXIMA LVX, ET HONO[S]

ILLVSTRISSIMA-
RVM PRINCIPVM
D. DOROTHEÆ SOPHIÆ, ET D. ANNÆ MARIÆ,
DVCVM SAXONIÆ, LANDGRAVIARVM TVRINGIÆ, MARCHIONISSARVM MISNIÆ, &c.


STEMMA AVITVM

PATERNVM: MATERNVM:






SYMBOLVM
FRIDERICI GVILIELMI
Proelectoris Saxoniæ.
Herr erhalte mich bey deinem Wort.
ASSERE ME, pariterque TVVM DEVS ASSERE VERBVM:
Nam verbum dos eſt maxima, CHRISTE, tuum.
N.R.D.




SYMBOLVM
FRIDERICI GVILIELMI PRO-
Electoris Saxoniæ
alterum.

PIETAS TVTISSIMA VIRTVS.

Principis eſt verè PIETAS TVTISSIMA VIRTVS:
CONSERVA IN VERBO ME, DEVS ALME, TVO.
N. R. D.




SYMBOLVM
FRIDERICI GVILIELMI
Proelectoris Saxoniæ.
Herr erhalte mich bey deinem Wort.
ASSERE ME, pariterque TVVM DEVS ASSERE VERBVM:
Nam verbum dos eſt maxima, CHRISTE, tuum.
N.R.D.




SYMBOLVM
FRIDERICI GVLIELMI PRO-
Electoris Saxoniæ
alterum.

PIETAS TVTISSIMA VIRTVS.

Principis eſt verè PIETAS TVTISSIMA VIRTVS:
CONSERVA IN VERBO ME, DEVS ALME, TVO.
N. R. D.


Fridericus III. Imp. Rom.
Albertus Dux Bavariæ, obijt 1508. 18. Martij.
Cunegundis Archidux. Austriæ.
Sabina Dux. Bavariæ, Comit. Pala. Rheni, obijt 31. Aug. 1564.
Hulderichus Dux VVirtembergæ & Teccæ, obijt 6. Novembr. 1550.
Elisabeth Dux. Bavariæ.
SYMBOLUM
CHRISTOPHORI DVCIS
VVirtembergij.
V. D. M. I. Æ.
Fœnum omnis caro, ceu flos aret deniqꝫ campi.
At VERBVM DOMINI TEMPVS IN OMNE MANET.
N. R. D.



SYMBOLVM
SOPHIAE VVIRTEMBERGICAE,
Duciſſæ Saxoniæ,

Was Gott wil/ das geſchehe.

Qvod tu cunq; Devs vis, hoc quoq; fiat: id opto
Vnum: velle Devs tu, precor, eſto meum.

N. R. D.

A D D. FRIDERICVM GVILIELMVM PROELECTOREM Saxoniæ &c.

FRIDERICVS GVILELMVS DVX SAXONIAE PROELECTOR, Landgrafius Turingiæ, Marchio Miſniæ.

FVLGIDA LVX COELI SVMMI, PATRONE SCHOLARVM
INSIGNIS, GRAVIS ARX DOCTRINAE FIDERE SACRAE.

Ejusdem ad Chriſtum votum anagrammaticum.

FRIDERICVS GVILELMVS DVX SAXONIAE, LANDGRAFIVS TVringiæ, & Marchio Miſniæ.

ARX, DA, RELLIGIO SIT MVNDA, SVAVIS ET INGENS:
VIVIFICO FLATV, MAXIME CHRISTE, REGAR.

Ad eundem.

FRIDERICVS GVLELMVS PROELECTOR Saxoniæ

Eccleſiarum Dei portus: lar regno ſuo felix.

QVis talis heros inclytus,
Vultu refulgens ſplendido
Amabilique? quo ſatus
Eſt ſemi divûm ſanguine?
Dulces Camœnæ dicite.
FRIDRICVS *hic* VVILHELMVS *eſt,*
Dux aeque magnus Enſifer
Divi RVDOLPHI *Cæſaris,*
Cultor DEI *ſanctiſsimus:*
ECCLESIARVM PORTVS, *arx,*
Murusque, Patriæ Pater:
Muſarum alumnus optimus:
REGNOque LAR FELIX SVO.
IANVS VVILHELMVS *huic pater,*
Sat notus orbi bellicis
Virtutibus, clementia,
Vitæque ſanctimonia.
IANVS FRIDRICVS *eſt avus*
Electus ille martyr eſt
CHRISTI, DEI *ter maximi:*
Ejusque Dux fidelium,
Comesque Veritatis: &
Sanctæ Crucis Vexillifer:
Hæresque vitæ cœlicæ.
Vterque PORTVS *exulum*
ECCLESIARVM *maximi*
DEI *ſal ubris audijt:*
REGNOque LAR FELIX SVO.
Horum ipſe natus ſanctiſsimis
Inſiſtitur ſat ſtrenuè
Veſtigijs. Nam fortibus
Fortes creantur, & bonis.
Hinc ipſius Iam pervolat
Omnes per orbis cardines:
ECCLESIARVM *quòd* DEI
Sit PORTVS *& ſacra anchora:*
REGNOque LAR FELIX SVO.
Sit ergo felix Patriæ,
Multosque in annos floreat
Beatus æternis bonis.

AD D. IOANNEM DVCEM SAxoniæ, Landgrauium Turingiæ, Marchionem Miſniæ.

IOANNES DVX SAXONIAE.

Sana es vox Deo innixa.

Dux pie, Vox ES SANA, DEOque INNIXA potenti:
Nam ſanâ populos relligione beas.
A SANO verbo ſimul ipſe, DEOque benigno,
ANXIE es ex cordis NIXVS amore pio.

De eodem.

IOANNES DVX SAXONIAE, MARCHIO MISNIAE.
MENS CORDIS ANXIA, IN IEHOVA MEO ES NIXA.

Ex Pſal. 42. & 43.

EXanimas cur me teque doloribus
Curasque mœſtis, CORDIS *ô* ANXIA
MENS? *pone* CVRAS: IN IEHOVA
Sat benè NIXA MEO *tuoque* ES.
Solus hic eſt vitæ præſidium tuæ,
Fulgensque lux, & robur aheneum,
Munimen, & ſolamen, & ſpes
Certa, ſaluſiferumque aſylum.
Dogmatis hic largè nectare te ſui
Paſcit ſalubri, ducit, agit, beat.
O magna ter magni IEHOVAE
Gratia, & ope a paterna.
Cur igitur ſic te meque doloribus
Turbas moleſtis CORDIS *ô* ANXIA
MENS? *pone* CVRAS: IN IEHOVA
Nam bene NIXA *tuo* MEOque ES.

ILLVSTRISSIMORVM PRINCIPVM


ac Dominorum


D. IOAN. ERNESTI, D. FRIDERICI, & D. IOANNIS


DVCVM SAXONIÆ, LANDGRAVIORVM TVRINGIÆ, MARCHIONVM MISNIÆ, &c.

STEMMA GENTILITIVM

PATERNVM: MATERNVM:





Joannes III. Dux Clivenſis, obiit 1539.
Maria Duc. Iuliacenſis & Bergenſis.
Guilielmus Dux Iuliacenſis.
Mechtildis Landgrau. Haſſiæ.
Joannes II. Dux Clivenſis.
Sophia D. Stetini & Pomeraniæ.
Magnus II Dux Megapolenſis.
Sophia D. Megapolenſis obiit 1503.
Ioan. Fridericus Elector Saxoniæ, L. Turingiæ, &c. obiit 1554 3. Mart.
Eliſabeth Duc. Bavariæ.
Joannes Elector Saxoniæ L. Turingiæ, obiit 1532.
Ernestus Elector Saxoniæ.
SYMBOLVM
IOANNIS DVCIS SAXONIAE, LANDgravij Turingiæ, Marchionis Miſniæ.
Herr leitte mich in deinem Wort.
Me verbo duc ipſe tuo Dux optime Christe:
Sit mihi dux verbi ſemita certa tui.
N. R. D.




SYMBOLVM
IOANNIS DVCIS
Saxoniæ alterum:
Principis eſt virtus maxima, noſſe Deum.

PRINCIPIS EST ſi PRIMA DEVM benè NOSCERE VIRTVS;
Principis eſt virtus altera, noſſe ſuos.

N. R. D.


SYMBOLVM
IOACHIMI ERNESTI PRINCIPIS
Anhaltini.
IN SPE ET SILENTIO.
IN SPE SILENTIO que virtus eſt mea
Ac fortitudo. Qui ſilet recte DEO,
Ac ſperat in ſolo Deo, beatus eſt.
N.R.D.



ANAGRAMMA

DOROTHEA MARIA PRINCEPS ANHALTina.

Heroina, à Chriſto parta, planè domina.

HEROINA potens, felix, ſelectaq; PLANE
Es DOMINA, A CHRISTO ſanguine PARTA ſacro.

Aliter.

HEROINA potens, & CHRISTI PLENA PATRONA,
HEROI Iano Saxonum AMANDA Duci.

Vel: CHRISTI PLENA, *Comarum* PATRONA *ſacrarum,*
Heroum HEROI *civis* AMANDA *poli.*

ODE GENETHLIACA ANAGRAMMATICA

IN NATALEM D. IOAN. ERNESTI Ducis Saxoniæ.

IOANNES ERNESTVS
IN SERENO ES NATVS.

MVſæ Salaides, enthea numina,
Quam nunc quam dabitis materiam mihi
Sat luculentam, ſicq; veſtris
Mellifluis modulis lyraque
Dignam Pieriis Principis optimi
IANI filioli, Saxonidum Ducis,
Ortus celebrandi beatos
Carmine? Vos genitricis almo
Auras in nitidi luminis editum
Cepiſtis gremio. & membra tenellula
Foviſtis in veſtris lacertis:
Oſcula vos roſeis labellis
Fixiſtis: ſimul & baccare tempora
Cinxiſtis viridi Sic ego. Sic deæ
Cantare iamdudum paratæ,
Hæc animo memori notare
Mandant. Munere in hoc Principis inclytæ
Haud ſolç adſtitimus: pixidis vnguine
(En!) myſticæ Lucina partu
Ipſa ſalutifero levavit
Matrem. Candidulæ Naiades hîc quoq;,
Et vernans Dryadum turba, & Oréadum,
Adſunt catervatim, ſimulque
Flora decens, Chariteſque dulces:
Omnes ad lepidos membra movẽt modos
Et ſternunt violis rore maris, roſis,
Infantuli cunas tenelli;
Ambroſiâque lavant liquenti.
Sunt præſtò & ſuperi limine de Iovis
Parcæ veridicæ, ſtamina pendula
Vitæ trahentes: atque matri
Baſia filioloque libant.
Tum ſic fatidico pectore vocibus
Affantur: Puer ô deliciæ patris
Matriſque ſalve: creſce felix
O decus, ô columenque gentis.
Tecum lætitiæ iubila, & oſcula
Naſcuntur: redeunt aurea ſecula
Tecum: tibi iam terra fruges
Dædala parturit (en) amœnas.
Felix creſce puer parvule. Te pia
Dum mater niveis ſuſcipit vlnulis,
Cum lacteque inſpirat vigorem
Pectoris; ingeminat ſubinde
Pro te vota: pias impiger exprimas
Virtutes patris vt ſancto imitamine;
Lampasque ceu Phœbæa quondam
Gentis, ut ille, tuæ coruſcas.
Felix creſce puer parvule. Te pius
Vitas erudiet ſemideûm pater,
Arteſque quas ſervire IOVAE
Condecet: imperioque reddere
Olim ut ritè regas; juraque ciues
Aequâ lance queas. Tunc Pietas tibi
Virtuſque ſe adiunget, Diceque
Aurea, firma columna regni.
Felix creſce puer parvule. Tu Dei
Heros magnanimus munia maximi
Ac lucis vrgebis ſerenæ:
Tu quia NATVS ES IN SERENO.
IAN ERNESTE, tuum nomen id arguit:
Pectus, mens, animus, cor tibi, vultus, os,
Serena nempe in te ſereno
Principe cuncta habitant abunde.
Felix creſce puer parvule. Tu quoque
Heroina parens inclyta, gaudio
Læto triumpha. nempe hic olim
Has pietate reget paterna
Oras; dux populi ſanctus & integer
Servatorque tui. Numine dextero
Hæc vota ſint ut firma ſemper,
Ipſe IEHOVA potens ſecundet.

ILLVSTRISSIMORVM ET CELSISSIMORVM PRINCIPVM AC DOMINORVM

D. IOANNIS CASIMIRI


ET


D. IOANNIS ERNESTI

DVCVM SAXONIÆ, LANDGRAVIORVM TVRINGIÆ, MARCHIONVM MISNIÆ, &c.

STEMMA GENTILITIVM

PATERNVM: MATERNVM:





SYMBOLVM
IOANNIS FRIDERICI II.
Ducis Saxoniæ.
A. E. I. O. V.
Allein Evangelium iſt ohn verluſt.
SOLVM EVANGELIVM SINE DAMNO:
cætera damnum
Cuncta ferunt, damno mox peritura ſuo.

N.R.D.





S Y M B O L V M
ELISABETHAE PALATINAE
Duciſſæ Saxoniæ.

Alles Gott befohlen.

Quod ſit, id OMNE DEO ſoli COMMENDO: triumphat
Preſſa diu tandem quo bona cauſa duce.

N. R. D.


OTILIA Comitiſſa Caſſimelubocenſis.
Beatrix Marchioniſſa Badenſis & Habburgenſ. obiit 4. Aprilis 1535.
Ioannes II. Comes Palatinus Rheni, Dux Simmerenſis obiit 18. Maii. 1558.
Fridericus III. Elector Palatin. Rheni, Dux Bavariæ & Simmeriæ obiit 26. Octob. 1576.
SYMBOLVM
IOAN. CASIMIRI DVCIS
Saxoniæ.
VIRTVS POST FATA SVPERSTES
Omnia ſunt mortis; VIRTVS POST FATA SVPERSTES
Sola manet: virtus neſcia ſola mori.
Elend nicht ſchadt/
Wer Tugend hat.
DVC. SAXON.


SYMBOLVM
IOAN. ERNESTI DVCIS
Saxoniæ.
VINCIT SAPIENTIA ROBVR.
Weisheit gehet vor Stercke.
Si ratio vires VINCIT, SAPIENTIA ROBVR:
Fortior eſt, animus cui bene menſque ſapit.
N. R. D.

Anagrammata

AD D. IOAN. CASIMIRVM

DVCEM SAXONIÆ, LANDGRAVIVM
Turingiæ, Marchionem Miſniæ.

IOANNES CASIMIRVS DVX SAXONIÆ.
CASVS ANXIOS VNI DEO EX ANIMIS.

EX ANIMO CASVS VNI, Celſiſsime Princeps,
Committis ANXIOS DEO.
Inuenit hic rebus dubijs curiſque medelam:
Haud deſerens ſues ope.
O res magna DEO verè confidere, ſævâ
Tonante ſorte fulmina!

Ad eundem.

IOHANNES CASIMIRVS DVX SAXONIAE, LANDGRAFIVS
Turingiæ, & Marchio Miſniæ.

FAX ROMANA VICE, DEVS ET SALVA ANCHORA MYSIS,
INSIGNI CHRISTI NIXA IN AMORE DEI.

De eodem.

IOANNES CASIMIRVS DVX SAXONIÆ.
SINCERVS EX ANIMIS ODI AVSA NOXIA.

SINCERUS EX ANIMIS ODI AVSA NOXIA.
Sinceritas nam Principem, rotunditas,
Morumq; honeſtas, & juſti tenacitas,
Integritas vitæ, ſcelerumq; puritas,
Odiumq; turpitudinis, decet pium:
Ac firma cumprimis ſpes & fiducia
Sanctum in JEHOVAM, præpotentem, maximum.
Hinc & DEO committo CASVS ANXIOS
In ſorte quavis EX ANIMIS UNI meos:
Non deſtitutus uſpiam adjuvamine.

De eiusdem nomine.

IOANNES CASIMIRVS DVX SAXONIAE,
IOVA, ME SANAS: CRVX, SIS NIXA IN DEO.
CRVX, ME SANAS; SIS NIXA IN IOVA DEO.

MESANAS ô IOVA, foves, recreaſque, beaſque:
CRVX age IN excelſo SIS mea NIXA DEO.
Tu quoque ME, ſis dura licet, CRVX ſancta premendo
SANAS: IN IOVA SIS modò NIXA DEO.

AD D. IOAN. ERNESTVM Ducem Saxoniæ.

IOHANNES ERNESTVS DVX SAXONIÆ.
VERAX ES, VINDEX HONESTI: SANA NOS.

PRinceps ES VERAX, VINDEX & cultor HONESTI:
NOS SANA eia tuo, Dive, patrocinio.

De ejusdem nomine.

IOHANNES ERNESTVS DVX SAXONIÆ, LANDGRAfius Turingiæ, & Marchio Miſniæ.

ANGAR AN A DIRO REVS? AH! IN SANGVINE IVSTO
NIXVS ET (EN!) SOLA, MAXIME CHRISTE, FIDE.

GEORGII FABRICII
CHEMNICENSIS

RERVM MIS-
NICARVM

LIBRI VII.

ELECTORVM SAXONIÆ LIB. I.
MARCHIONVM MISNENSIVM LIB. I.
ANNALIVM VRBIS MISNÆ LIB. III.
SIFFRIDI MISNENSIS PRESBYTERI
EPITOMES LIB. II.

Omnia nunc recens edita.



Cum Privilegio Cæſareo & Saxonico.

IENAE

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI: Impen-
ſis Henningi Grosii civis & Bibliopolæ Li-
pſenſis, Anno M. D. XCVII.

JLLVSTRISS. CELSISQ.
PRINCIPI,

DN. CHRISTIANO
II. CHRIST. I. F. AVGVSTI. ELECT. N.

DVCI SAXONIÆ, LANDGRAVIO TVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE,

VT GENTIS ET PROSAPIAE INCLYTAE

SIC DIGNITATIS ET POTESTAT. SEPTEMVIRALIS

Tum verò inprimis

PIETATIS ET VIRTVTIS ANTIQVAE HAEREDI,

PATERNAE AVITAEQ. GLORIAE AEMVLATORI

RERVM MISNICARVM
OPVS HOCCE REDIVIVVM

PRINCIPI IVVENTVT. GERMANICAE SPEI OPT.

DE PRAECLARA IPSIVS INDOLE PVBLICITVS CONCEPTAE MON.

D. D. D.

ILLVSTRISS. DVCIS AC D.

D. AVGVSTI SA-
XONIÆ ELECTORIS FILIO ILLVSTRI

D. CHRISTIANO LANDGRAVIO TVRINGIÆ,

Marchioni Miſniæ, S. D.

GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS.

MAiores tuos, CHRISTIANE Princeps, Domine illuſtris, Regum Saxoniæ nobiliſsimam eſſe proſapiam, literis & monumentis conſtat: quorum fortitudinem, iuſticiam, grauitatem, res præclarè geſtas cognoſcere, pulchrum eſt: non ciui ſolùm aut ſubdito, præſtantium dominorum ſtudioſo & obſeruanti: ſed poſteris etiam ipſorum, quos virtutem & gloriam hæreditariam tueri decet, & imitari conuenit, & ſuperare magnificum eſt. Igitur cùm ante annos ſedecim, otij aliquantulum à munere ſolito, propter morbi contagioſi popularitatem, nactus eſſem, ludo diſsipato, & diſperſis adoleſcentulis: cœpi noſtrorũ Ducum facta laudabilia annotare, tum honoris & venerationis Principum ipſorum, tum meæ memoriæ cauſa: putabam enim turpe externa inquirere, & res peregrinas admirari, & bona propria ac patria, poſitamq́; ante oculos virtutem non conſiderare. Intuens autem in ſtatum Reip. præſentem, & tuæ Princeps Familiæ antiquæ originem repetens propinquam, hos duos libellos collegi primùm de Electoribus, qui ab Othonis III. Imperatoris ætate, hanc dignitatem inter Saxones tenuerunt. Alterum, de Principibus Miſniæ, quos Marchiones nominant, ad tuendos imperij fines atq; limites, ab Henrico I. Aucupe, in Germania Magna conſtitutos. De ortu Electorum ſequor opinionem communem, & eorum facta recenſui breuiſsimè, quibus ſibi nomen pepererunt, etiam aliquot beneficia commemoraui, quibus meriti de Repub. ſunt

amplisſi

amplißimè, nec non clades aliquot & damna addidi, vt admo-nitis exemplis poſteri, eſſe homines ſe meminerint, & ſciant feli-citatem gubernationis, ſolius Dei eſſe beneficium. Quis enim e-rexit Lotharium? quis de potentia maxima deiecit Leonem? quis tuum CHRISTIANE Princeps atauum Fridericum ornauit at-que extulit? Nonne is, qui poteſtatem in regna habet, eique tri-buit, cui ipſe fauet? Marchionum Miſnenſium ortum ſumo à Thimone Comite Lansbergio & Vuetino, cui poſt cædem Ec-berti II. Marchionis Saxoniæ, qui auſus imperium affectare fuit, Miſnenſis prouincia data eſt, quam ipſius filio Conrado conſer-uauit armis Lotharius Saxo. Imp. qui has regiones ſuis opibus, & ſua ſapientia defendit, dominisque propriis aſſeruit. A quo tem-pore, inter fortunæ varietatem, bellis ciuilibus grauibus, & exter-nis admodum periculoſis, hæc gens incrementa ſemper cepit, & Henrici VI. Adolphi. Alberti I. regum Romanorum cupiditati-bus conſtanter reſtitit. Adiecta deinceps eſt ad poſſeſsiones ma-iorum Turingia, ditio Pleiſenſis, & Orientalis: pars item Fran-ciæ, & Vodlandia, donec etiam acceſsit Saxoniæ ducatus, & Ele-ctoris dignitas. Quod imperium adhuc durat, & familiæ tuæ, Princeps illuſtris, & maiorum tuorum amplificat dignitatem: qui & fortunas ſuas auxerunt ſplendidè, & in his terris, vrbes lautas & amplas, metallis ditati, condiderunt: nec minus celebres ſunt, quam illi, de quibus poeta maximus ſcribit, Reges Albani, qui olim

Nomentum, & Gabios, vrbemq́ Fidenam,
Et Collatinas poſuerunt montibus arces,
Pometios, caſtrumq́ Inui, Bolamq́, Coramq́,

qui vrbium conditores & ſeruatores rectius prædicantur, quàm lauiſsimi illi viri, qui πτολιπορθοι καὶ ἀνδροφόνοι nominantur. Hos duos libellos exiguos, capita tantum rerum continentes, tuo, Princeps illuſtris, nomini inſcribo, obſeruantiæ cauſa, & peto humiliter, vt animo æquo pro tua indole generoſa accipias, & maiorum virtutibus ac benefactis intentus, maiore cupiditate legas. Deus æternus ampliſsimam adoleſcentiam tuam placidè regat, & in optata felicitate cōnſeruet perpetuò. E ludo illuſtri, Miſna Hermundurorum, Cal. Sept. Anno à Chriſto ſeruatore M. D. L X I X.

MICHAEL BOEMVS PIRNENSIS IN ELECTORES ET MARchiones FABRICII.

ENſiferi quæcunque Duces geſſere, vel armis,
Vel nitidas olea pace tegente comas:
Quos patrijs hoſtes oris, ingentibus auſis,
Repulerint, ipſo nomina magna ſono,
Quiq́; Palæſtinæ populi, Latijq́; ferocis,
Illorum iuſsi ſubdere colla iugo,
Et quanto Oceani ſtagnarint ſanguine fluctus,
Senſit vbi noſtros Danica terra viros:
Fabricius canit hic. ſed nudis ampla recenſet
Tantùm nominibus, nobilis acta domus:
Et quæ præterea longinquis geſſerit annis
Marchio, cui fato Miſnica terra data eſt:
Qui ſua Pannonios contra, rigidosq́; Polonos,
Suſtinuit forti caſtra mouere manu.
Nec patria paſſus conſiſtere ſede Boemos,
Quos bilis furijs egerat atra ſuis,
Quiq́; nouas celſis firmauit mœnibus vrbes,
Vulneraq́; ob patriam cepit honeſta ſuam.
Hæc lege, ne quondam dubijs ambagibus erres,
Cùm fuerint grandi ſcripta legenda ſono.
Nauita ſic primùm turres & ſumma ſalutat
Culmina: ſic viridi gramina vere placent:
Sic capimur, primum formas vbi pictor adumbrat,
Et rerum obſcuro membra colore notat.
His ventura dies longè maiora reſeruat,
O vtinam tandem prodeat illud opus.
Id quibus excipiam verbis: quæq́; oſcula figam,
Quos motus tacito pectore lætus alam?
Interea tibi mane preces, tibi veſpere ſero,
Magne Deus, grato, quo decet, ore, canam:
Viuat vt ille diu, nec duros exigat annos:
Non eſt euentu ſpes caritura ſuo.

GEORGII FABRICII
CHEMNICENSIS
DE

ILLVSTRISS.
SAXONIÆ DVCIBVS ET ELECTORIBVS IMPERII,
ENARRATIO.

IMPERII Germanici ſtatum, Pontificum Romanorum cupiditate & iniuriis laceratum, ac pænè euerſum, ſua reſtituit virtute & ſapientia Otho III. Imperator: qui, vt bellorum ciuilium cauſſas præcideret, exteriſq; ad imperium aſpirandi ſpem interciperet: Sex viros conſtituit, quorum iudiciis & ſententia dignus Princeps eligeretur, qui Romani Imperatoris nomen dignitatẽque obtineret. Eum honorem detulit ad tres antiſtites, Moguntinum, Colonienſem, Treuirenſem, & ad totidem præcipuos Principes, Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, Marchionem Brandeburgium: vt illis ordinibus ſapientium & fortium virorũ coniuncta, magis ſtabiliretur gubernatio. Additus poſtea Rex Boemiæ eſt, qui inter diſſentientes haberet diſcernendi auctoritatem. Moguntinus appellatur Cancellarius Germaniæ, Colonienſis Italiæ, Treuirenſis Galliæ & Arelati. Palatinus dapifer, Saxo enſifer, Brandeburgius Camerarius, Rex Boemiæ pincerna. Othonis ſanctio facta eſt, circa annum Chriſti ſecundum & milleſimum, confirmante eam Gregorio V. Romano Pontifice, è ducibus itidem Saxoniæ nato, & Othonis Magni Imp. pronepote, Ludolphi nepote, Othonis filio. Eſt autem, ſiue ſpectetur auctoritas, ſeu publici conſilij poteſtas, ſecundum nomen regium, honore nullum in terris amplius, & cum magnitudine ac ſplendore Electoris comparandum. Munus Saxonici Electoris ferè eiuſmodi eſt, quale præfecti prætorio apud Romanos fuit. Qui de ſanctione Othonis dubitant, iis alio loco reſpondebimus. Manſit autem iſta dignitas vſque ad hæc tempora, in quinque familiis. Prima Ducum Luneburgiorum, è qua numerantur Electores tres: altera Comitum Supplinburgij, è qua vnus Lotharius: tertia Ducum Bauariæ Guelforum, è qua duo: quarta Principum Anhaldinorum, è qua octo: vltima Marchionum Milnenſium, è qua Electores totidem, quorum facta inſignia & laude digniſſima ſunt, ſed eorum tantùm ſummas & capita breuiter notabo.

Otho III. Imperator.

Duces Electores.

Gregorius V. Pontifex.

DVCES LVNEBVRGII.

BERNARDVS I.

BERNARDVS I quem alij Bennonem nominant, quæ res confuſionem peperit: nam vnus idemque Dux fuit quamuis nomen diuerſè ſcribitur. Hic eſt Hermani filius domi Billingorum, qui à ſede Stubeſgehorna, dicti ſunt: Dux Luneburgi ſecundus, & primus Saxoniæ Elector, vir multis factis clarus, Othoni III. Imperatoris ſtrenuam Romę operam nauat, cum fratre ſuo Lothario contra Creſcentij factionem. Vandalos occidentales aliquot prælijs ſuperat, qui etiamſi iugum excutere iracundè tentarent, huius tamen viribus eò redacti ſunt, vt ipſo viuente nihil hoſtile molirentur: ſed importunitas & auaricia præfectorum eius fecit, vt doctrinam Chriſtianam, quam ſub Othonibus Imperatoribus didicerant, abiicerent: eamque non ad ſalutem animorum, aut libertatis dulcedinem, ſed ad ſeruitutis auctoramentum tradi iudicarent. Circa annum Chriſti M. VII. Henrico II. Imp. audacia iuuenili fit rebellis, fiſus armis Meſtouini Ducis Vandalorum: ſed maturè errorem agnoſcens, Amelungi præſulis Mindenſis, patrui ſui precibus veniam ſupplex impetrat, ſuamq; obſeruantiam erga eundem, bello Boemico præclarè oſtendit, & ad victoriam auctor præcipuus fuit. Cum Hermano Turingiæ Landgrauio manus inauſpicatò conſerit. Ducatum tenet, ſecundum Helmoldum, annos quadraginta. Cum vxore Bertrada, Regis Noruegiæ filia, ſepelitur Luneburgi, ad cryptam patris.

Auaricia noxia religioni. — *Rebellio.* — *Temeritas infelix.*

ORDOLPHVS.

ORDOLPHVS Bernardi filius, (quem Herveldius atque Othonem perperam nominat. quod vicium exemplaris eſt) vir non inſtrenuus, ſed infelix. Cum ditionem paternam cum Hermano fratre diuideret, virium minus habuit. A Vandalis propter odium in eius patrem conceptum, ſæpius non ſine claſſe infeſtatur. ob fortunam bellis omnibus aduerſam, demum à ſuis quoq; deſeritur, cùm à patris obitu annos duodecim rebus præfuiſſet. Vandali eo gubernante occiderunt Godeſchallum Ducem Obetritarum, virum optimum, & in præſules ſæuierunt gladio & lapidationibus. Vxor eius Giſela. Olaui Daniæ regis filia, ab iiſdem cum cruciatu necatur, vt Annales Saxonici tradunt.

Infelicitas in administrando. — *Crudelitas barbara.*

MAGNVS

MAGNVS.

MAGNVS Ordolphi filius, & animo & virtute verè magnus. Contra Vandalos prælia ſecunda multa facit Henricum Obetritam, Godeſchalli filium armis reſtituit, Luſatiā imperij nomine recuperat. De Vandalis ſe vlciſcens, decus fortitudinis penè amiſſum, genti Saxonicæ reddit. Henricus IV. Imperator, cùm ſe eius fidei permiſiſſet, primùm eum mulctat exilio, & Ticinum in Inſubriam ablegat, cum Friderico Saxoniæ Palatino, vt Annales Goteſeccij: hunc verò cùm liberaſſet, reductum etiam Magnū, in cuſtodia detinet. Cùm moleſtiam illā multos annos tuliſſet, neq; Othonis Bauariæ ducis precibus iuſtiſsimis, neque Hermani Saxoniæ Marchionis ope, promittenti captiuorū omnium pro redimendo ipſo liberationem, conſequi libertatem poteſt. Principi autem animi ac ſpiritus Saxonici, cum iniquæ nimis, & cum ipſius dedecore coniunctæ conditiones proponerentur, honeſtius viſum eſt, omnes difficultates perpeti, quàm de veterū dignitate aliquid diminuere, aut ab auita honoris poſſeſsione decedere. Electoris titulus, cùm prole maſcula careret, tandem ad filię & neptis liberos peruenit. Obit ſuæ familiæ vltimus, MCVI. vt ſcribit Hedio Sepelitur cum præſtante fœmina Sophia, Vuidrezlai, vt annales Saxonici: Geiſæ, vt alij, regis Vngariæ filia, Luneburgi, cuius vrbis maiores ipſius, quaſi alteri conditores fuerunt Nepos eius è filia Vuilfildi, & pronepos ex Eilicha, vterq; eſt Electoratum adeptus, quodq; auo & proauo ipſorum fuerat ademptum violēter, id ipſi, fauore Principū, ſūmo cum honore ſuo obtinuerūt.

Fortuna magna viri indigna.

Libera animo.

E COMITIB. SVPPLINBVRGI.

LOTHARIVS IMPERATOR.

LOTHARIVS Gebhardi. Comitis Supplinburgij in Hercinijs, filius, cognomento Aleator, quòd & Auguſto pœnè euenit, quia luſu illo delectatus vterq; fuit. Species ei & animus, digna imperio fuerunt. Dux Saxoniæ creatur ab Heinrico IIII. Imp. quam dignitatem, cum ab eo Henricus V. auferre & in Hoierum Manſueldium transferre vellet: ad ſilvā Guelpho prope Helmſtetam, in campo ab alaudis dicto, cum ipſo armis congreditur, prelioq; victor euadens, gradum ſibi ad culmen imperij facit. Deſiderata ſunt ex vtraque acie, quadraginta quinque hominum millia, pugnatumque toto eſt die, donec nox prælium dirimeret. Loricæ hoſtibus detractæ, plauſtris auehuntur: cætera arma, prædę dantur militib.

Dignitas ſumma debetur ad bellum?

DVCES LVNEBVRGII.

BERNARDVS I.

BERNARDVS I. quem alij Bennonem nominant, quæ res confuſionem peperit: nam vnus idemque Dux fuit quamuis nomen diuersè ſcribitur. Hic eſt Hermani filius domi Billingorum, qui a ſede Stubeſgehorna, dicti ſunt. Dux Luneburgi ſecundus, & primus Saxoniæ Elector, vir multis factis clarus, Othoni III. Imperatori ſtrenuam Romę operam nauat, cum fratre ſuo Lothario contra Creſcentij factionem. Vandalos occidentales aliquot prælijs ſuperat, qui etiamſi iugum excutere iracundè tentarent, huius tamen viribus eò redacti ſunt, vt ipſo viuente nihil hoſtile molirentur: ſed importunitas & auaricia præfectorum eius fecit, vt doctrinam Chriſtianam, quam ſub Othonibus Imperatoribus didicerant, abijcerent: eamque non ad ſalutem animorum, aut libertatis dulcedinem, ſed ad ſeruitutis auctoramentum tradi iudicarent. Circa annum Chriſti M. VII. Henrico II. Imp. audacia iuuenili fit rebellis, fiſus armis Meſtouini Ducis Vandalorum: ſed maturè errorem agnoſcens, Amelungi præſulis Mindenſis, patrui ſui precibus veniam ſupplex impetrat, ſuamq; obſeruantiam erga eundem, bello Boemico præclarè oſtendit, & ad victoriam auctor præcipuus fuit. Cum Hermano Turingiæ Landgrauio manus inauſpicatò conſerit. Ducatum tenet, ſecundum Helmoldum, annos quadraginta. Cum vxore Bertrada, Regis Noruegiæ filia, ſepelitur Luneburgi, ad cryptam patris.

Auaricia noxia religioni.

Rebellio.

Temeritas infelix.

ORDOLPHVS.

ORDOLPHVS Bernardi filius, (quem Herveldius vbique Othonem perperam nominat. quod vicium exemplaris eſt) vir non inſtrenuus, ſed infelix. Cum ditionem paternam cum Hermano fratre diuideret, virium minus habuit. A Vandalis propter odium in eius patrem conceptum, ſæpius non ſine clade infeſtatur: ob fortunam bellis omnibus aduerſam, demum a ſuis quoq; deſeritur, cùm à patris obitu annos duodecim rebus præfuiſſet. Vandali eo gubernante occiderunt Godeſchallum Ducē Obetritarum, virum optimum, & in præſules ſæuierunt gladio & lapidationibus. Vxor eius Giſela, Olaui Daniæ regis filia, ab ijſdem cum cruciatu necatur, vt Annales Saxonici tradunt.

Infelicitas in administrando.

Crudelitas barbara.

MAGNVS

MAGNVS.

MAGNVS Ordolphi filius, & animo & virtute verè magnus. Contra Vandalos prælia ſecunda multa facit. Henricum Obetritam, Godeſchalli filium armis reſtituit, Luſatiã imperij nomine recuperat. De Vandalis ſe vlciſcens, decus fortitudinis pœnè amiſſum, genti Saxonicæ reddit. Henricus IV. Imperator, cùm ſe eius fidei permiſiſſet, primùm eum mulctat exilio, & Ticinum in Inſubriam ablegat, cum Friderico Saxoniæ Palatino, vt Annales Goteſeceij: hunc verò cùm liberaſſet, reductum etiam Magnũ, in cuſtodia detinet. Cùm moleſtiam illã multos annos tuliſſet, neq; Othonis Bauariæ ducis precibus iuſtiſsimis, neque Hermani Saxoniæ Marchionis ope, promittenti captiuorũ omnium pro redimendo ipſo liberationem, conſequi libertatem poteſt. Principi autem animi ac ſpiritus Saxonici, cum iniquæ nimis, & cum ipſius dedecore coniunctæ conditiones proponerentur, honeſtius viſum eſt, omnes difficultates perpeti, quàm de veterũ dignitate aliquid diminuere, aut ab auita honoris poſſeſsione decedere. Electoris titulus, cùm prole maſcula careret, tandem ad filię & neptis liberos peruenit. Obit ſuæ familiæ vltimus, MCVI. vt ſcribit Hedio Sepelitur cum præſtante fœmina Sophia, Vuidrezlai, vt annales Saxonici: Geiſæ, vt alij, regis Vngariæ filia, Luneburgi, cuius vrbis maiores ipſius, quaſi alteri conditores fuerunt Nepos eius è filia Vuilfildi, & pronepos ex Eilicha, vterq; eſt Electoratum adeptus, quodq́; auo & proauo ipſorum fuerat ademptum violẽter, id inſi, fauore Principũ, ſi m·no cum honore ſiio obtinuerũt.

Fortuna magno viro indigna.

Libertas in animo.

E COMITIB. SVPPLINBVRGI.

LOTHARIVS IMPERATOR.

LOTHARIVS Gebhardi. Comitis Supplinburgij in Hercinijs, filius, cognomento Aleator, quòd & Auguſto pœnè euenit, quia lu u illo delectatus vterq; fuit. Species ei & animus, digna imperio fuerunt. Dux Saxoniæ creatur ab Heinrico, IIII. Imp. quam dignitatem, cum ab eo Henricus V. auferre, & in Hoierum Manſueldium transferre vellet: ad ſilưã Guelphonis propè Helmſtetam, in campo ab alaudis dicto, cum ipſo armis congreditur, pręlioq́; victor euadens, gradum ſibi ad culmen imperij facit. Deſiderata ſunt ex vtraque acie, quadraginta quinque hominum millia, pugnatumq́ue toto eſt die, donec nox prælium dirimeret. Loricæ hoſtibus detractæ, plauſtris auehuntur: cætera arma, prædę dantur militib.

Dignitas ſumma dolis ad honorem militem.

In

Trophæi erectio.

In eodem loco trophæum erectum à Saxonibus de more eſt: vir armatus, tenens dextera clauam vncis ferreis grauem, ſiniſtra ſcutum. Id poſtea cultum eſt ab agreſtibus nomine cuiuſdam Ceduti, donec diſsiparetur à Vuernero præſule Mersburgio. Victi eodē die fuerunt Vandali Tranſalbini, quos Imperatori contra Saxones ſuppetias laturos, inter Mildam & Salam fluuios Otho Ballenſtadius, Magni Saxoniæ Electoris gener, ſuperauit: anno ſupra milleſimum centeſimum quinto decimo, Calend. Februar. vt Helmoldus ſcribit, & inſcriptio antiqua teſtatur, quæ ibi in ſacello quodam legi perhibetur,

Anno milleno centeno, ter quoq; quino
Siluam Gwelphonis perfuderat vnda cruoris:
Sunt hominum occiſi quadraginta millia quinq;.
Ipſo nempe die Dionyſi, martyris almi.

Non procul ab eo loco, vbi trophæum locatum fuit, Vuiderſtetam cœnobium condidit Reinhardus præſul Halberſtadius. Poſt id prælium anno duodecimo Lotharius, præter animi ſententiam conuentu Moguntino eligitur Imperator, VIII. Calen. Sept. Coronatur Idib. Aquisgrani à Friderico antiſtite Colonienſe. Imperium gubernauit, non modò fortiter, verū etiam inſigni iuſticia, fortitudine, & magnificentia. Eius temporib: (vt ait Helmoldus) lux oriri noua cœpit, nec tàm in finib: Saxoniæ, quàm in vniuerſo imperio: tranquillitas temporum, abundantia rerum, pax. (vt ipſe loquitur) inter regnum & ſacerdotium. Cōtinuis vſus victorijs, Fridericum Sueuum cognomento Coclitem, & Conradū fratrem eius, imperium affectantes reprimit. Leopoldo etiam Duci Auſtriæ, & Carolo Flandriæ Comiti, ſpem regni aufert: hic pauiò poſt à ſuo ipſe populo de vita tollitur. Gerhardi Comitis Geldrēſis, à quo erat offenſus, accipit excuſatiōem. Vrbem Magdeburgū ſchiſmate periclitantē, metu ſeditionis liberat. Monaſterium vrbem Vueſtualiæ inſignem, partium aduerſariarū ſtudioſam cremat, Noribergam, Spiram, Auguſtam, Vlmā, rebelles ad imperata facienda cogit, in Halim Saxonicam exempla ſtatuit, arcem Vincſburgam diruit. Bella externa geſsit plurima. Cum Vlrico Boemorum Duce pro Othone Morauo pugnat die verno æquinoctiali. Morauus auctor belli cadit: Marchio Albertus, & Ludouicus Comes Larius, à Boemis capiūtur. Hartūgus Comes Nordalbingus interficitur. In Rugianos mouet, Polonos facit tributarios, regem Danorū, quamuis barbara laceſsitus iniuria, ſupplicē recipit. Nordalbingos dicto audiētes facit, principē Vandalorum ſede ad Albim expellit, ipſorū idoli popularis ſtatuā, quā denuò poſuerant, euertit, Pomeranos ad Chriſtianam religionem adducit, Fridericum Alſatiæ ducem impugnat, Langobardos con-

Victoria Lotharij.

tumaces compeſcit, Ligures, Hetruſcos, Picenos, Vmbros in deditionem accipit, Innocentium II. Pontificem reſtituit armis, Rudgerum Normanum cum Petro Pontifice ſeditioſo, Apulia & Calabria exterminat, Saracenorum reliquias è Brutiis fugat. Admiratione virtutis & felicitatis à Calo Iohanne Imperatore Conſtantinopolitano, & à Bela II. rege Vngarico gratulationis cauſa, accipit munera. Honores ipſe viris fortibus & bene meritis largiens, imperij maieſtatem plus, quàm è maioribus quiſquã extollit. Canuto regi, donat Obetritarum prouinciam, Magnum ab Imperatore regni accipere inſignia compellit, Vandalis ducem confirmat, Conradum Vuetini comitem, Miſniæ & Luſatiæ Marchionem facit, Ludouicum III. Comitem Turingiæ, eiuſdē prouinciæ Landgrauium, Erbonem comitem Ratiſponenſem, Ducem Carinthiæ. Alberto Vrſo ducatum Brandeburgium concedit, Adolphum Schauenburgium linguis litteriſque excultum, Nordalbingiæ comitem creat, Reginaldum Normanum Bari & Apuliæ principem. Nec minorē munificentiæ ſplendore, quàm pietatis, iuſticiæ, ſtudiorum amore, laudem meretur. Diuum Bernardum, hoc ipſo tempore, cultu religionis celebrem, colit & obſeruat, eiusque admonitu ſæpe erga hoſtes fuit clementior. Vurciburgiis Emericum Præſulem mittit: virum ſpectatum: Magdeburgiis, Conradum gentilem ſuum. Homburganum & Aldeſtetenſe cœnobia ampliat. Item, Olſenum vetus, prope Verdam inſtaurat: & Lotharianum, prope Brunſuigam, de ſuo extruit. Chemnicenſe item extra vrbem de fundamentis ædificat. Veteres Romanorum leges in Apulia repertas, ſociis Piſanis donat, qui libri nunc Florentiæ in palatio Mediceo aſſeruantur: easque per Vuernerum Iureconſultum (Itali Irnerium vocant, vt in eius epitaphio legimus Patauij) mandat explicari, & ius ſecundum eas leges dici in imperio. Medicorum Arabum & Maurorum monumenta, in linguã latinam è Saracenica curat transferenda. Erat enim iaculo læſus in pede, quod vulnus cùm ab Ebræo curatum eſſet, ex eo ſcire voluit artis magiſtrum, qui Mauros ei commendauit. Arcem Sigeburgam, à victoria videlicet dictam, in loco quo Primislaum Vandalum vicerat, extruit in inferiore Saxonia. Vrbem Chemnicium ad eiuſdem nominis fluuium, in montium Suditarum radice, condit in Miſnia, ideò Cæſareũ cognominatum: ad differentiam eorum oppidorũ, quæ idem nomen habent in Boemia, quorum alterum eſt à ſterilitate loci, alterum à malis hominũ moribus appellatum. Aliã vrbē non procul à Rheno de ſuo nomine, Cæſaris Lothariã appellat.

Munificentia Imperatoris.

Studium religionis.

Leges [illegible] repertæ.

Conditio vrbium.

Tot

Tot autem tantasque res Lotharius & breui tempore geſsit, vndecimo enim ſui imperij anno interiit: & non magnis geſsit copiis, vt fortiſsimis & prudentiſsimis Imperatoribus conferendus videatur. *Commendatio virtutis.* A ſcriptoribus Italicis ita celebratur, quòd in toto imperio nihil egerit, quod meritò reprehendi poſsit: Engelhuſius tradit ipſum iuſticiæ amatorem, & Conſtantini, Caroli, Othonum fuiſſe imitatorem. Ait etiam Friſingenſis, potuiſſe eius virtute & induſtria, imperium ad priſtinam dignitatem reduci, niſi fuiſſet morte celeri præuentus: quæ ei accidit anno Chriſti nati M. C. XXXVII. præſente eius patruo Conrado, antiſtite Magdeburgio, vt ibidem annales declarant. Moritur autem in reditu in Germaniam inter Veronam & Tridentum: villa humili. Sepelitur extra Brunſuigam in cœnobio Lothariano, cum vxore Richiſa, Henrici Pinguis, comitis Northemij filia, quæ ab Othonis I. Imp. fratre Henrico, è Saxonica nobilitate, ſexta ſtirps eſt. Mortem eius anteceſsit mirum prodigium, vt terra locis multis per totum biennium arderet: qui ignis nec imbribus, nec niuibus, nec alia arte potuit extingui: vt ſcribitur in Chronicis Martinianis. *Prodigium.* Lotharij in membranis vetuſtis tale inueni epitaphium,

Lotharius ſceptro, ceu Carolus alter adepto,
Aequo iudicio præfuit imperio,
Diruit errorem regni, firmauit honorem,
Inclitus Italiæ victor, & Apuliæ,
Exuitur membris, heu, trina luce Decembris,
Eccleſiæ gemitus, illius eſt obitus.

Eius genealogia, quantum inueſtigare potui, ſic habet,

Bruno Comes Querfurdius. Vxor Vda.

Geblardus. Vxor Sophia Manſueldia. | *Bruno Præſul, alio nomine Bonifacius.*

Burchardus. Vxor Vda Ditmari Comitis Amesleby filia.

Gebhardus Vxor Heduigis Friderici de Forenbach in Bauaria filia: nupſit poſtea DITERICO *Duci VVeſterlandiæ.* | *Conradus Antiſtes Magdeburgicus.*

LOTHARIVS IMP. *Vxor Richiſa Henrici Comitis Northemij filia.* | *Gertrudis vxor Florentij Comitis Hollandiæ.* | *Oda vxor Sighardi Comitis Bauariæ.*

Lotharius infans mortuus. | *Gertrudis vxor* HENrici *Superbi Ducis Bauariæ & Saxoniæ.* | *Heduigis vxor Ludouici Landgrauij Turingiæ.*

HENRICVS LEO. *Vxor Mathildis, Henrici II. Regis Angliæ filia*

OTHO *Imp. Dux Saxoniæ. Vxor Beatrix Philippi Regis Romanorum filia.*

DVCES

HENRICVS I. SVPERBVS.

LOTHARIO Imperatore mortuo, Magni Saxoniæ Ducis nepotes, è Vuilfildi filia, Henricus Guelfo dux Bauariæ, dictus à facie, Niger: à moribus, Superbus: & ex Eilicha filia, Albertus Vrſus Marchio Brandeburgius, cognomento Pulcher, æquali contentione, nec impari ſtudio atque gratia, de nomine & honore Electoris inter ſe certarunt. Henricum, vt Electoratum obtineret, inprimis iuuit Lotharij affinitas, nam Gertrudim eius filiam vnicam in matrimonio habebat: tum etiam fides & magnanimitas, quam bellis Italicis præſtiterat. Affectati inſimulatus imperij, & inde Superbus nominatus, Conrado III. Sueuo reſiſtit, & prope Creuceburgum in Turingia cum eo congreditur: tum Albertum Marchionem Brandeburgium ſobrinum ſuum, cui Saxoniæ ducatum Conradus dederat, exutum caſtris, fugat è Saxonia. Vrbem Ploſcham diruit, & arcem Anhaltinam incendit. Ipſum redeuntem in Bauariam, quam idem Imperator Leopoldo Leopoldi F. Marchioni Auſtriæ donauerat: alij morbo, alij veneno, alij dolore animi, quod ab omnibus nobilibus, quatuor exceptis, deſereretur, extinctum ſcribunt, ſecundo anno poſtquàm Elector factus fuerat. Obiit XIII. Calend. Nouemb. Quedilnburgi. In cœnobio Lothariano, cuius modò meminimus, cum vxore, ſocero, & ſocru tumulatus.

Contentio de Imperio.

Superbia noxia eſt.

Mors incerta.

HENRICVS II. LEO.

HENRICVS ſecundus, Lotharij nepos, propter animos ingentes Leo dictus, princeps totius Germaniæ potentiſsimus, ab Albi ad Rhenum, à iugis Hercinijs vſque ad mare Balthicum ditionem extendit: in acquirendo, quàm in retinendo fortunatior. In Vandalos quot facit expeditiones, tot victorijs fit illuſtrior, & populos illos barbaros ad aliquem vitæ cultum traducit; Niclotem Ducem eorum ſeditioſum occidit: filium eius, religionis deſertorem ſuſpendit. Epiſcopatus tres, Lubecenſem, Raceburgium, Suerinenſem conſtituit, Imperatoris voluntate. Vrbem Leoſtadium de ſuo nomine ædificat propè Hamburgam, & hanc igne conſumptam reſtituit, & è ruinis Bardouici à ſe euerſi, Luneburgum reparat. Vuerlam Vandalicum præſidium oppugnat. Pontem Ratiſponæ ſtruit ſuper Danubium, opus præclarum: ſecundum quod in Miſnia Dreſdenſis ſuper Albim, & Pragenſis in Boemia ſuper Vultaham memorantur. Primiſ-

Potentia nulla durat perpetuo.

Pontes celebres.

laum Obetritam captum ferro vincijt: denuo rebellem laqueo ſtrangulari iuſsit. Rapinis & latrociniis ſublatis, otium & ſecuritatem genti reliquæ comparat. Arnburgium comitem, quatuor præſulum auxilijs agit in exilium, Suenonem I V. Regem Daniæ ab exilio reuocat, Vualdemarum I. intra fines continet. Cum Henrico Conradi Imperatoris fratre, victico ſuo dimicat in Bauaria. Fridericum Barbaroſſam prælio ſupra pontem Aelium Romæ facto, effractis arcis portis, magno animo defendit, & è Romanis ciuibus M. C. LXVI. occidit, vt numerum prodit Engelhuſius. In obſidione Mediolanenſe, in qua portã vrbis quartã vt Olomucenſis, oppugnandam acceperat, Imperatorem deſerit, *Superbia animi immã.* cumq; Parthano Rhetiæ oppido ſibi propemodum ſupplicem, faſtu ingente contemnit. Inde reuerſus in Germaniam, conuentum principum Goslariæ diſsipat, officinas & machinas metallicas ibidem euertit, Hercinię & Turingiæ populos vexat. Northuſam & Molhuſam vrbes imperiales incendit, *Vindictæ cupiditas.* Ludouicum III. Turingiæ Landgrauium, & Hermanum fratrem eius, item Vitichindum, Valdeccium, & comitem Tecchenbergium capit: qui nominantur in Coſmodromio, qui liber Erfurdię ſeruatur. In Saxonia Bardonicum cremat, & ſolo æquat, Halberſtadiũ expugnat, & præſulem Vlricum necat in vinculis. Arcem Aſcaniã, oppida Iuterbocam & Calbam cremat. In Miſnia Diterici Marchionis Landsbergij ditionem depopulatur: nulli homini parcens, in omnes æqualiter ſæuiẽs, nam copiis Vandalicis vtebatur. Factum igitur eſt, vt propter Principum plurimorum accuſationes in comitiis Vutciburgiis, à Cæſare proſcriberetur, edicto grauiſsimo. Eidem Vuigmani antiſtitis Magdeburgij precibus recõciliatur ex parte, omnibus tamen prouinciis ereptis, præter vrbes *Exilium Principis.* Luneburgam & Brunſuigam. Indictum ei præterea eſt trium annorum exilium: à Vualdemaro rege Daniæ, hoſpitio non ſuſceptus, ad Richardum I. Regem Angliæ, affinem ſuum, confugit. Bauariam illi ademptam accipit Leopoldus Auſtriacus: Nortgoiam *Diſtributio terrarum.* Otho Vuitelsbachius, Comes Schierenſis, poſtea factus Rheni Palatinus: ditionem Tranſdanubianam, Henricus Auſtriacus: Vueſtoualiam occupat Philippus Antiſtes Colonienſis, terram vltra Viſurgim Bernardus præſul Paderbornius: ducatum Luneburgium Bernardus princeps Anhaldinus, ad quem munus etiã Electoris Saxonici defertur: Palatinatum Saxoniæ, Hermanus Turingiæ Landgrauius: Haldeslebiam antiſtes Magdeburgius, Blanchebergam, Vualdebergam, & Lichtebergam diruit Imperator. Adimit ei etiam Lubecam, quæ ad imperiũ adiungitur. A-

lij

Alij denique aliam atq; aliam terrarum conſequuntur partem: multi enim Principes, diſpendio & calamitate vnius, facti ſunt ampliores. Poſt tot prouinciarum diminutionem, cùm adhuc Imperatore beneuolo & æquo vti potuiſſet, reliquos tamen Principes mitigare nõ potuit, ideoque de ſuarũ ditionũ reſtitutione, vel ob iuſtam Principum indignationem, vel ob nimiæ potentiæ inuidiam, fruſtra ſæpius laborauit. Gratiam autem quam comparabat facilimè, inſolentia multò facilius effundebat: alienatis à ſe amiciſsimis, etiam Vuigmano antiſtite: cuius tutelæ commiſerat & vxorem reginam, & ditionem reliquam, cùm iter in Palæſtinam & Aegyptum ſuſciperet. Ab Imperatore Conſtantinopolitano, & à rege Aegyptio honorificè accipitur, cùm hic ſe eius affinem, & è matre Germana ortum affirmaret. In eius comitatu fuerunt Conradus præſul Lubecenſis, & Buggo Vuormacius: comites Suerinus & Blanchenbergius. Fortunæ mutabilis exemplum hic Princeps fuit mirabile, & quaſi Marius quidã, maxima potentia & parta feliciter, & amiſſa celerrimè. Obit VIII. Id. Aug. Brunſuigæ, ſupra milleſimum centeſimum quinto & trigeſimo. Mortem eius eluuio Ocræ & Viſurgis fluminum, & fulmen anteceſsit, quo conflagrarunt ibidem turres ſummi templi & campanæ. Sepelitur in æde Blaſiana, cum Mathilde Anglica, vxore nobiliſsima, regis videlicet filia, regum duorum ſorore, & matre Othonis IIII. Imperatoris. Coniugem priorem, non Turingicam, nec Carinthienſem, vt noſtri perperam Chronographi ſcribunt, ſed vt Helmoldus, Zaringiam repudiare ob propinquitatem coactus fuerat. Natus ex eo inceſtu filius, adhuc infans, negligentia nutricis de menſa cadens, fregit ceruices, vt teſtatur Sartorius. Electoratum geſsit annos quadraginta, ſed quindecim exulauit. Filius eius Otho IIII. Romanorum rex citatur.

Inſolentia affert perniciem.

Peregrinatio.

Varietas fortunæ.

Portenta.

Felicitatis humanæ exemplum.

Error Annalium.

Poena inceſtus.

DVCES ANHALTINI ET ASCANIAE.

BERNARDVS II.

BERNARDVS II. Alberti Vrſi filius, Othonis nepos, Magni Saxoniæ ducis vltimi è filia pronepos, è gente nobili principum Anhaldinorum & Aſcanienſium, Henrico Leone exauctorato, in conuentu Vurciburgio anno Chriſti ſupra milleſimum centeſimum octuageſimo, dux Saxoniæ pronunciatur, ab Imperatore Friderico I. Barbaroſſa. Ditionem Electoratus Vitebergiam in ſuam poteſtatem redigit, primuſq; ſedem in ſuperiore Saxonia

Merita parentum proſunt poſteris.

xonia eo in loco figit,concedente ei Conrado III.eam prouinciā, quæ longo tempore domicilium Electorum poſtea fuit. Ludouicum Turingiæ Landgrauium laceſsit nō ſine magno incommodo,bellum enim quod ſine maleficio ſuorum populorum gerebatur,in patriam incautus attrahit. Initio ſui Electoratus arcem Leoburgum in ditione Raceburgia ampliat, eamque dirutam ab Henrico Leone,denuo inſtaurat:à qua arce duces Leoburgij nomen gentile adhuc retinent. Floruit Bernardus non bellicæ tantum,verum etiam iuſtitiæ,ac integritatis laude:nam Henrico VI. pecunia Anglica & Boemica imperium Romanum licitāte, vtq; hæreditarium,ſicuti aliorum regnorum ſucceſsionem,id faceret, annitente:acerrimè reſiſtit,efficitq́;,vt quæcūq; ea in re, promiſſa,conſtituta,actaue vel ſermonibus,vel literis, vel largitionibus eſſent,irrita planè fierent. Quod quidem factum ob conſeruatā Germaniæ libertatem, aliorum triumphis eſt anteponendum. Hoc legi in Chronico Saxonico,deſinente circa annum MCCL. cuius iam aliquoties ſum vſus teſtimonio. Inſignia trabium auratarum,& nigrarum,ſertiq́: rutacei, quibus Duces Saxoniæ nunc vtuntur,primus vſurpauit. Obijt anno 1212 Sepelitur Ballenſtadij cum duabus vxoribus Iutta Danica, & Sophia Turingica.

Prouocatio infelix. *Ambitio imperiſa.* *Libertas imperij retenta.*

ALBERTVS I.

ALBERTVS primus,Bernardi & Iuttæ filius in aula Friderici II. educatus,in caſtris Cæſarianis militat, cùm vrbs Lubeca Danis erepta,& rurſus reſtituta imperio eſt. Othonem IV. Imperatorem,Henrici Leonis filium,ſocerum ſuum,quem & Henricus frater, & amici reliqui vel metu vel religione deſeruerant, impugnante ipſum Innocentio III. Romano Pontifice,conſtantiſsimè defendit. Exercitus Chriſtianorū,cùm Friderico II. Imp. in Aſiam & Ægyptum ipſe ſequitur,& in ijs hōeſtos gerens ordines,ad vrbem Peluſium,vel (vt Annales Turingici) ad Heliopolim,ducis fortiſsimi laudem ſibi comparat. Cum Helena Brunſuigia,in cœnobio Lenino duobus à Brandeburgo milliaribus ſepelitur. Obijt ipſe 1260. Vxor 1273. VIII. Idus Sept. condita in Franciſcano Vitebergæ, quod ipſa ſtruxerat.

Fides in Socerum. *Expeditio in Aſiam.*

ALBERTVS II.

ALBERTVS Secundus, Alberti primi filius, Rodolphi Imp. gener Reges Romani tū in illo interregno annorū ſex & viginti, fuerunt Henricus Turingus, Vilhelmus Holandus, Richardus Anglus, Alphonſus Hiſpāus: electioni Rodolphi Habsburgij, qui legitimè vocatus ad ſupremam dignitatē eſt, ipſe interfuit, & filij item eius Alberti. Contentiōes ei præcipuæ cū Magdeburgijs, victus

Interregnū diuturnum.

victus à Gunchero antiſtite eſt,cùm Othonem Electorem Brandeburgium ſocius iuuaret. Eoſdẽ ad Peinam victos fugat, Vuennelingam capit,arcem Aquenſem occupat,è qua rurſus ejectus, in tumultu ſagitta lethali percutitur: alij in electione Alberti in multitudine hominum oppreſſum tradunt. Rexit Electoratum annos ſeptem & triginta. De loco monumenti, vbi ſit conditus dubitatur,ita ut & de mortis genere,varia opinio eſt. Filius ei cognominis,præſul fuit Patauienſis. Vxor eius Agnes obit 1327. Sepelitur Vitebergæ. *Principis mors incerta.*

RODOLPHVS I.

RODOLPHVS Primus,patris Alberti II. iniurias perſequens, bellum in Guntherum antiſtitem renouat, inprimis opitulante Friderico III. Strenuo, Landgrauio Turingiæ, & Miſniæ Marchione,cumque ciues multi prælio Ganderslebiano, prope Borcam,in hoſtiles manus veniſſent,pax vtrinque diu deſiderata,confirmatur. Vualdemaro mortuo ditionem Brandeburgiã, domino vacuam inuadit,& Francofurtum ad Aderam (quam, mixta cum articulo appellatione,Latini ſcriptores Viadrum nominant) Magdeburgiorum auxilijs obſidet: ſed Ludouicus Imperatoris filius,cognomento Romanus, contra ipſum ſumma populi beneuolentia defenditur atque recipitur. Electioni Imperatorum trium interfuit, Henrici VII. Item Friderici Auſtriaci contra Ludouicum Bauarum, huic tamen poſtea reconciliatus eſt,qui ei tribuit 1328. 6. Cal. Febr. Marchionatum Lansbergi veteris,in Marchia,poſt obitum Agnetis ſororis ſuæ. Poſtremo etiam interfuit electioni Caroli IIII. apud quem inprimis fuit gratioſus,hunc etiam gloria auita ſtimulatus,ad expeditionem Aſiaticam in conuentu Principum adhortabatur. Imperatoris aulã ſecutus,domum ſumptuoſam Pragæ ædificat,in quam (vt ſcribit Olomucenſis) viuaria ex vitro,vt piſcium luſus eſſent conſpicui, introducit. Vxores habuit Iuttam Brandeburgiam,filiorum quatuor matrẽ, Cunegundem Polonicam, Agnetã comitiſſam Lindauienſem. Iutta obit VII. Id Maij. 1328. Cunegundis V. Id. Apr. 133[illegible]. Agnes VII. Idus Maij 1343. Ipſe Elector IIII. Id. Martij 1356. cùm annos ditionem rexiſſet minus duobus ſexaginta, vnde etiã ſenior appellatus eſt. In diplomate quodam quod Miſnæ ſeruatur, hunc eius titulum legi, Nos Rodolphus Dei gratia Dux Saxoniæ, Angariæ, Vueſtphaliæ, Comes in Bren, Burggrauius in Magdeburg ſacri Romani Imperij Archimarſchallus. Comitatum Brenenſem accepit ab amita ſua Eliſabetha, quæ Conrado vltimo comiti Brenẽſi fuit nupta idq; factũ conceſſu Rodolphi Imp. quæ literæ ſcriptæ ſunt Erfurdiæ, anno 1290. IIII. Calend. Iulij.

Prælium pax comitatur.

Electoris domus Pragæ.

RODOLPHVS II.

RODOLPHVS Secundus, Rodolphi Senioris filius, è ſutta Othonis Marchionis Brandeburgij filia. Hic Princeps adoleſcens Philippo Pulchro Regi Gallorum militat contra Eduardum III. Regem Angliæ. In eo bello cæſus Rex Boemiæ Iohannes, & Angli obtinuerunt victoriam. In caſtris Anglicis fuit Fridericus cognomento Grauis, Landgrauius Turingiæ, & Marchio Miſnenſis. Rodolphus ſocijs ſuis victis reuerſus domum incolumis, Vitebergæ templum cathedrale inſtituit. Litem ei intendit de Electoris dignitate Ericus II. Dux Leoburgius, ſed cauſa cecidit, & à iure ſucceſsioni eſt excluſus. De aliquot oppidorum viſitatiõe, in vicinia ditionis Miſnenſis, cum Iohanne I. præſule contendit, ſed ad aulam Pontificis Elector prouocans, ius antiquum obtinet. Moritur VIII. Idus Decemb. 1370. Vxor eius Eliſabetha comitiſſa Rupinenſis 1373. 3. Calend. Iunij.

Templum Vitebergæ conditum.

VENCESLAVS.

VENCESLAVS Rodolphi 2. frater ſenioris item filius, ex Agnete Lindauienſe vxore tertia. Hic bellum geſsit cum Magno duce Brunſuigio, & ei Luneburgum vrbem primariam ademit: hunc ciues oderunt, ſeuerè nimis vtentem potentia ſua, ideo etiam arcem in Colebergo diruerunt, Venceslai electoris auxilio ſubleuati: quod ne cupidè hic tuliſſe videretur, cum reliquis ducibus Luneburgijs affinitatem contrahit, fratribusq; Friderico ac Bernhardo Annam & Margaritham filias deſpondet. Cum autem potitus eſſet ditiõe Luneburgia, ſoli Celléſes ad Elleram fluuium repugnabant, quorum vrbs cùm obſideretur, & regio propinqua fieret vaſta, ante arcem Richlingam vulneratus oppetit. Obijt XVII. Cal. Iunij, anno 1388. Vxor Ziliola, vt nominat eam Foreſtus Bergomâs: ſeu Cæcilia, vt noſtri ſcriptores, fuit Franciſci Carrarienſis principis Patauini, & tum imperij generalis Vicarij filia. Ea vidua vixit annum vnum & quadraginta, tumulata Vitebergæ, 1429.

Bellum intestinum.

RODOLPHVS III.

RODOLPHVS III. Venceslai filius, Dux quidem prudens atq; magnanimus, ſed parum felix. Arces Pelticiam & Rabeſteinum ab Alberto antiſtite Magdeburgio obſeſſas liberat, Dannebergũ expugnat. Cùm exauctorato Vuenceslao Boemo, de electione Roperti Palatini, Principes non conueniſſent, Francofurto ad Mœnum decedens, Fridslariæ in Haſsia, à comite Valdeccio ipſe vulneratur, & præſul Verdenſis Vlricus capitur: pro Electore propugnans Fridericus Dux Brunſuigius eius affinis, & Hartin-

Princeps in itinere vulneratur.

Hartinghuſius Eq. occiduntur. Factum id in profeſto Pentecoſtes. Iohannes antiſtes Moguntinus gente Naſſauienſis, de ſuſpicione, quæ in eum transferebatur, ſauciati & capti Principis, Marpurgi coram Imperatore ſe purgat. Miſſus ad Boemos legatus, plerique veneno ab inuidis ſublatum autumant. Obit III. Idus Iunij 1419. filijs orbatis tribus: Rodolpho, qui adoleſcens moritur, Venceslao & Sigiſmundo, quos noctu in arce Suenicia, ad Eliſtrũ nigrum ſita, ruina turris dormientes oppreſsit, & ſunt in ripa illius fluuij argentea vaſa à piſcatoribus reperta, in ruderibus. Vxor eius prima Anna Baldaſaris Landgrauij Turingiæ filia obit 1395. VII. Calend. Auguſti. Altera Barbara Roperti Ducis Lignicenſis filia 1436. VII. Idus Maij. Si quid in hac enarratione diſſentit à Crancio & Broduſio, meminerit Lector, me ſepulchrorum inſcriptiones habuiſſe, quas ſecutus ſum: & cætera eſſe edoctum à viro clariſsimo Caſpare Peucero, qui literas & monumenta Anhaldina diligentiſsimè inſpexit.

Orbitas & caſus mirificus.

ALBERTVS III.

ALBERTVS III. Rodolphi frater, vxorem habuit Offegam, non Gallicam Aurelianenſem (quod neſcio quo errore Annales affirment) ſed Conradi Ducis Oſſenſis in Sileſia filiã, quã ei Vratislauiæ deſpondit Sigiſmundus Imperaror, in qua vrbe & inſignia accepit, & nuptias Imp. præſente celebrauit, anno 1420. Hic Princeps fortunatus parum fuit: nam cùm animi cauſa venatum iuiſſet in ſaltus Lochauios, & cum vxore ac Gynecæo in caſulam ruſticam diuerteret, orto incendio nocturno, vix nudus euadit. morboq; è terrore contracto, paucos dies ſuperuixit. Electoratum vltra triennium non tenuit, abſque hærede mortuus, 1422. Poſtremus inter Anhaldinos Vitebergæ ſepultus. Cum hæres illi nullus eſſet, electoratus ditionem occupat Fridericus Marchio Brandeburgius, cuius filius Iohannes, gener Rodolphi Electoris erat, propter filiam Barbaram. Ambiebant dignitatem eandem maximis partium ſtudijs, Ludouicus Elector Palatinus, & Ericus Dux Leoburgius: ſed repulſam vterque non leuibus de cauſis tulit, quæ expreſſæ in Cæſariano diplomate ſunt. Durauit in antiqua & illuſtri familia Anhaldina, dignitas ampliſsima annis continuis ducentis viginti ſeptem.

Infelicitatis exemplum.

Ambitus de Electorat.

LANDGRAPHII TVRINGIAE & Marchiones Miſnenſes.

FRIDERICVS I. BELLICOSVS.

FRIDERICVS I. Bellicoſus, Friderici Strenui filius, Landgrauius Turingiæ, & Marchio Miſniæ. Adoleſcentiam omnem in caſtris agit. Contra factionem cōiuratorū, qui ſe Stellares nominabant, ductu Burggrauij Noribergij, militat in Francia. Cum Conrado ordinis Teutonici magiſtro, pro nominis Chriſti propagatione, in Boruſsia. Cum Vilhelmo patruo Pragam obſidet, in Boemia. Domi rebus non ſatis pacatis, in Turingia Comites aliquot licentia inſolentes compeſcit, Suarceburgium, Heldrungenſem, Hoeſteinium. In Miſnia Apollonium Viceetbumum arce Cribeſteino ad Muldam eijcit, Comitem Reinſtenium Ceruecij captum, Nicolao præſuli Mersburgio vinctum tradit, Bernardum Anhaldinum pecunia mulctat, Ditericum QuiteZanam fortunis exuit. De Repub. optimè, vltra annos quinq; & viginti, reſiſtendo Boemis: nec minus præclarè de literarum ſtudijs meretur, Academia Pragenſe Lipſiam ſuſcepta: quæ inchoatur anno ſupra milleſimum quadringenteſimum nono, Prid. Idus Nouemb. à Iohanne Munſterbergio, eius rectore primo, & collegij Mariani fundatore. Boemos Sigiſmundo Imperatori rebelles ad Brixiam ſuperat, arcem Caroloſteinam liberat obſidione. In concilio Conſtantienſe nullius Principis equitatus fuit apparatior, adduxit autem equites ſeptingentos: in quorum numero decem fuerunt Comites. Imperator Sigiſmundus tribus competitoribus reiectis, nomen dignitatemq; Electoris, cum ſumma virtutū ipſius teſtificatione, ei tribuit: titulo ipſo honorat in Pannonia Presburgi, inſignibus Budæ: quo abſente magna Miſnenſium Turingorumq; ſtrages ad Auſtiam Boemiæ editur: quæ pugna commiſſa XVII. Cal. Iul. anno ſupra milleſimū quadringēteſimo ſexto & vigeſimo. Inuidiā ob tranſlatā à Saxonibus ad Miſnēſes ſummā inter Principes dignitatē, ſuperauit virtute & felicitate. Obijt Vueiſenuelſij, Non. Ianuarij, poſt pugnam memoratam, anno tertio. Sepelitur cum Catharina coniuge, Henrici Ducis Brunſuigij filia, Aldenburgi, vrbe ditionis Oſterlandiæ primaria.

Tyrocinium ſalutare.

Inuidia ſuperatur ſelicitate.

FRIDERICVS II. PLACIDVS.

FRIDERICVS II. Placidus, coniunctam cum animi altitudine ſingula-

ſingularem habuit prudentiam, diu iactatus varijs domi foriſ-que caſibus. Bellum gerit cum Francis, pro fratre Sigiſmũdo præſule Vurceburgio. Vno anno tribus cladibus afficitur, à Boemis miles eius à Niſſa repellitur, vrbe Sileſiæ: prope Taucham, fugatur in Oſterlandia: ad Grimmam, ceditur equitatus in Miſnia. Ad quam ignominiam delendam in Boemiam profectus, hoſtes vno prælio ad Satium, altero ad Selnitium fundit, ducem eorum Sternbergium captum, Rochlicianæ mandat cuſtodiæ. In eadem Boemia Alberto Imp. militans, copias diſsipat Polonicas, & regis Caſimiri legatum Ptaſconem ad fugam adigit. Interea dum externis nauat operam, Henricus Comes Suarceburgius, oppida, agroſque Baronis Gerenſis, qui principi in Boemia militabat, depopulatur: quod Fridericus ægrè ferens, Gerenſem defendendo, Vilhelmum fratrem, & Fridericum Brandeburgium, partis aduerſariæ ſtudioſos, in ſe concitat. De diuidendis æqualiter prouincijs, cùm conuentus Numburgi & Citij fruſtra haberētur, demùm Hali Saxonica negotium componitur, ſed animi Principũ valde exhulcerati manent. Paulò enim pòſt Fridericus Elector Cambergum &, Roslam Apollonij Vicethumi arces obſidet, quod primum belli ciuilis initium fuit. Mox idem bellum redintegrant, Petrus à vitio oris dictus Balbus, præſul Numburganus, & Erneſtus Comes Blichenſis, qui defecerant à Vilhelmo Ad extremam totis viribus itum eſt in Suarceburgium, Vilhelmo coniunctiſsimum. Equitatus Friderici Brandeburgij, in Turingia cæditur. Ilmena oppidum ad ſilvam Semanam obſidetur, inde tentatur Sigiſmundi Glichenſis ager. tum à præfectura Veiſenſchenſe vſq, ad Echardbergiam, ex vtroq; agminis latere, incenduntur villæ, ſpoliantur agricolæ, abiguntur armenta Hæc in Turingia dum fierent, damna maiora dabantur Miſnenſibus: inter Albim enim & Muldam incendijs ſæuiebat miles Boemicus: inter Tſchopam & Muldam, Brandeburgius. In hoc tumultu cùm animi odijs inteſtinis, agri & vrbes flagrarent ignibus, Vilhelmus voce quadam Friderici ad ſe delata, plena fidelitatis & beneuolentiæ, fratrem ipſum de pace, conſiliarijs omnibus inſcientibus, conuenit. Molhuſiæ pacis fundamenta locantur, Numburgi cōfirmantur, præſentibus Friderico Landgrauio, & Alberto Brandeburgio. In Miſnia aliquot ſeditioſi puniũtur, Comes Leiſnicius & Baro Donenſis. In Turingia Echardus Tannius. Marchio etiam Brandeburgius, qui è belli Boemici ſocio, hoſtis acerrimus euaſerat, pœnas cum ſuis pendit.

Vitio a hoſtibus.

Omne ciuile bellum miſerum.

Fratres amici fiunt.

Vicethu-

LANDGRAPHII TVRINGIAE & Marchiones Miſnenſes.

FRIDERICVS I. BELLICOSVS.

Tyrocinium ſalutare.

FRIDERICVS I. Bellicoſus, Friderici Strenui filius, Landgrauius Turingiæ, & Marchio Miſniæ. Adoleſcentiam omnem in caſtris agit. Contra factionem cõiuratorũ, qui ſe Stellares nominabant, ductu Burggrauij Noribergij, militat in Francia. Cum Conrado ordinis Teutonici magiſtro, pro nominis Chriſti propagatione, in Boruſsia. Cum Vilhelmo patruo Pragam obſidet, in Boemia. Domi rebus non ſatis pacatis, in Turingia Comites aliquot licentia inſolentes compeſcit, Suarceburgium, Heldrungenſem, Hoeſteinium. In Miſnia Apollonium Vicethumum arce Cribeſteino ad Muldam eijcit, Comitem Reinſtenium Cerucecij captum, Nicolao præſuli Mersburgio vinctum tradit, Bernardum Anhaldinum pecunia mulctat, Ditericum QuiteZanam fortunis exuit. De Repub. optimè, vltra annos quinq; & viginti, reſiſtendo Boemis: nec minus præclarè de literarum ſtudijs meretur, Academia Pragenſe Lipſiam ſuſcepta: quæ inchoatur anno ſupra milleſimum quadringenteſimum nono, Prid. Idus Nouemb. à Iohanne Munſterbergio, eius rectore primo, & collegij Mariani fundatore. Boemos Sigiſmundo Imperatori rebelles ad Brixiam ſuperat, arcem Caroloſteinam liberat obſidione. In concilio Conſtantienſe nullius Principis equitatus fuit apparatior, adduxit autem equites ſeptingentos: in quorum numero decem fuerunt Comites. Imperator Sigiſmundus tribus competitoribus reiectis, nomen dignitatemq; Electoris, cum ſumma virtutũ ipſius teſtificatione, ei tribuit: titulo ipſo honorat in Pannonia Presburgi, inſignibus Budæ: quo abſente magna Miſnenſium Turingorumq; ſtrages ad Auſtiam Boemiæ editur: quæ pugna commiſſa XVII. Cal. Iul. anno ſupra milleſimũ quadringẽteſimũ ſexto & vigeſimo. Inuidiã ob translatã à Saxonibus ad Miſnẽſes ſummã inter Principes dignitatẽ, ſuperauit virtute & felicitate. Obijt Vueiſenuelſij, Non. Ianuarij, poſt pugnam memoratam, anno tertio. Sepelitur cum Catharina coniuge, Henrici Ducis Brunſuigij filia, Aldenburgi, vrbe ditionis Oſterlandiæ primaria.

Inuidia ſuperatur felicitate.

FRIDERICVS II. PLACIDVS.

FRIDERICVS II. Placidus, coniunctam cum animi altitudine ſingula-

ſingularem habuit prudentiam, diu iactatus varijs domi foriſque caſibus. Bellum gerit cum Francis, pro fratre Sigiſmũdo præſule Vurceburgio. Vno anno tribus cladibus afficitur, à Boemis miles eius à Niſſa repellitur, vrbe Sileſiæ: prope Taucham, fugatur in Oſterlandia: ad Grimmam, ceditur equitatus in Miſnia. Ad quam ignominiam delendam in Boemiam profectus, hoſtes vno prælio ad Satium, altero ad Selnitium fundit, ducem eorum Sternbergium captum, Rochlicianæ mandat cuſtodiæ. In eadem Boemia Alberto Imp. militans, copias diſsipat Polonicas, & regis Caſimiri legatum Ptaſconem ad fugam adigit. Interea dum externis nauat operam, Henricus Comes Suarceburgius, oppida, agroſque Baronis Gerenſis, qui principi in Boemia militabat, depopulatur: quod Fridericus ægrè ferens, Gerenſem defendendo, Vilhelmum fratrem, & Fridericum Brandeburgium, partis aduerſariæ ſtudioſos, in ſe concitat. De diuidendis æqualiter prouincijs, cùm conuentus Numburgi & Citij fruſtra haberetur, demùm Hali Saxonica negotium componitur, ſed animi Principũ valde exhulcerati manent. Paulò enim pòſt Fridericus Elector Cambergum &, Roslam Apollonij Vicethumi arces obſidet, quod primum belli ciuilis initium fuit. Mox idem bellum redintegrant, Petrus à vitio oris dictus Balbus, præſul Numburganus, & Erneſtus Comes Blichenſis, qui defecerant à Vilhelmo Ad extremam totis viribus itum eſt in Suarceburgium, Vilhelmo coniunctiſsimum. Equitatus Friderici Brandeburgij, in Turingia cæditur. Ilmena oppidum ad ſilvam Semanam obſidetur, inde tentatur Sigiſmundi Glichenſis ager: tum à præfectura Veiſenſchenſe vſq, ad Echardbergiam, ex vtroq; agminis latere, incenduntur villæ, ſpoliantur agricolæ, abiguntur armenta Hæc in Turingia dum fierent, damna maiora dabantur Miſnenſibus: inter Albim enim & Muldam incendijs ſæuiebat miles Boemicus: inter Tſchopam & Muldam, Brandeburgius. In hoc tumultu cùm animi odijs inteſtinis, agri & vrbes flagrarent ignibus, Vilhelmus voce quadam Friderici ad ſe delata, plena fidelitatis & beneuolentiæ, fratrem ipſum de pace, conſiliarijs omnibus inſcientibus, conuenit. Molhuſiæ pacis fundamenta locantur, Numburgi cõfirmantur, præſentibus Friderico Landgrauio, & Alberto Brandeburgio. In Miſnia aliquot ſeditioſi puniũtur, Comes Leiſnicius & Baro Donenſis. In Turingia Echardus Tannius. Marchio etiam Brandeburgius, qui è belli Boemici ſocio, hoſtis acerrimus euaſerat, pœnas cum ſuis pendit.

Vitio à hoſtibus.

Omne ciuile bellum miſerum.

Fratres amici fiunt.

Vicethu-

Exilium multorum nobilium. Vicethumi,qui Coburgum tenebant in Francia,ire iuſsi in exilium,poſſeſsiones comparant in Boemia,adimitur eiſdem Lichtenaldum in Miſnia. Reducuntur ad officium in Turingia Numburgani,in Saxonia Halēſes,& Princeps Anhaltinus. In Sileſia mandato Imp. vrbem Lignitiam defendit. Conradus Kau-*Plagij faci-nus.*fungus plagiarius, qui duos Electoris filios, ex editiſsima arce Aldenburgia, ſcalis admotis rapuerat, quod negata ſibi eſſe ſtipendia diceret, in ſolis locis cum Alberto deprehenſus,& adductus Fribergam, gladio percutitur: ſocij eius duo Erneſtum ipſi reducunt,& veniam impetrant. Memorabile admodum eſt illud,quod ſcribitur,quòd, cùm Friderico antiſtiti Magdeburgio è Comitibus Beichlingij nato,bellum facturus eſſet,exploratorem miſerit,qui de apparatu & conſilijs eius cognoſceret: is renunciabat,nihil bello opportunum parari, nec vllum *Pietatis exemplum illuſtre.* conſcribi militem: antiſtitem præterea dixiſſe, cauſam ſe commiſſurum Deo,qui pro ſe arma ſit ſumpturus. Quod ut Elector audiuit, Alius(inquit) inſaniat,vt bellum inferat ei, qui confidit ſe Deum defenſorem habiturum. Laudandus antiſtes, qui DEI patrocinio fiſus eſt: laudandus Princeps,qui Deum veritus,arma depoſuit. Electoratum geſsit annos ſex & triginta. Moritur die profeſto natalis Chriſti 1464. Vxor vidua vixit annos viginti. Conditur Miſnæ æneo monumento in ſacello,quod ipſe ſibi poſterisq; fieri fecerat,cum vxore Margaritha Auſtriaca, Friderici III. Imperatoris ſorore.

ERNESTVS.

Princeps felix. ERNESTVS Friderici II. filius,bonitate,fortunis,liberis,gratia florentiſsimus, Plauam Vodlandiæ capit, Olſnicium & Adorſum occupat, Riſebergam & Doxam Boemiæ expugnat. Quedelnburgum, Halim, Halberſtadium, Erfurdiam luxuriantes cum licentia ciuitates,partim armis iuſtis, partim legibus ſeueris coercet,vt Erneſto & Alberto filijs, altero antiſtite Magdeburgio,altero Moguntino, adminiſtrationem tranquilliorem redderet. Apud Fridericum III. Imperatorem auunculum,ſumma in *Hoſtes propulſi ſapientia.* auctoritate fuit,& Maximilianꝰ amitinus eum obſeruauit. Matthiæ & Caſimiri Vngariæ Poloniæq; regum exercitibus, magno quidem animo,ſed ſapientia maiore iuit obuiā: quos ambos quia à ceruicibus Germanorum (ſiquidem vltra fines iam tranſierant: & alter in agro Vratislauiano, alter in Opalienſe caſtra locauerat) prudentia arcuit, ſplendidiore præconio dignus, quàm ſi armis eieciſſet. Hic Princeps Miſnæ natus & conditus, obit 1486. VII. Cal Sept. ætatis XLVI. Vxor eius Eliſabetha Alberti III Ducis Bauariæ filia, obijt, biennium ante maritum Lipſiæ,& ibidem in Paulino voluit ſepeliri.

FRIDE-

FRIDERICVS III. SAPIENS DESIGNATVS REX ROMANORVM.

FRIDERICVS tertius cognomento ſapiens, Torgæ natus: is paci ſtuduit, & ſtudia amauit, nec hiſtoricorum tantùm, ſed etiam Philoſophorum libros legit, & Muſicis vehementer delectatus eſt. More illorum temporum, maiorum aliquot exemplo, 1493. anno, Palæſtinam adiit teſtamento relicto, vt ſtudioſis decernerentur ſtipendia, ſi quid illi accidiſſet humanitus. Bello Bauarico Philippum Electorem Palatinum, qui pro filio Roperto bellum ſuſceperat, ſuum in Repub. collegam, Cæſari Maximiliano reconciliat: è bello Cameracenſe, aduerſus Venetos geſto, domum reuocatur. Canonici Vuormacienſes, qui annos propemodum decem exulauerant, ipſius & antiſtitis Treuirenſis opera reſtituuntur. Plebem Erfurdianam contra ſenatum tumultuantē placat, & Vrielem antiſtitem Moguntinum, diſſenſiones alentē, vt ſui eum inſtituti pœniteret, adigit. Academiæ Vitebergiæ, adiutore Erneſto fratre, antiſtite Magdeburgio, fuit fundator liberalis, quæ celebritate ſolenni in die Diui Lucę Euangeliſtę inchoatur, anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſecundo. Martinum Lutherum, cœleſtem de ſalute animorum doctrinam ibidē renouantem contra Pontificios ſua auctoritate præclarè defendit: Philippum Melanchthonem, ex Iohannis Reuchlini viri optimi ſorore natum, Tubinga euocat: quorum virorum ſumma diligentia & immenſis laboribus, cùm vera & antiqua de Deo & ſalute hominum doctrina, tum philoſophiæ, artium, & literarū omniū elegantia cum præcipuarum linguarum ſtudiis, maximo Dei beneficio ſunt apud Saxones inſtaurata & propagata, non modò per Germaniam, ſed per vicinos populos, & aliquot regna externa. Viuente Maximiliano gubernator imperij fuit, quod certo etiam numiſmate declaratur: poſt obitum verò ipſius, delatam ad ſe omnium Electorum ſumma voluntate dignitatē imperatoriam recuſat accipere, Carolo autem Quinto, ad eam ſua ſententia profuit potiſſimum. Quanta tum eius fuerit integritas & innocentia, ex epiſtola quadam Eraſmi Roterodami, quæ in manibus eſt, ſatis conſtat. Friderico III. Maximiliano I. Carolo V. Imperantibus, trigeſies comitiis & conuentibus interfuit. Electoratum adminiſtrauit iuſticia & pietate annos octo & triginta. Vixit annos 72. Menſ. 3. Di. 9. Hor. 4. Obiit Lochauię die 5. Maij. 1525. morbo nephritide. Conditur primus Vitebergæ in templo arcis, coniugem non duxit.

Auctor concordiæ.

Academiæ Vitebergiæ initium.

Honorum contemptus.

IOHAN-

IOANNES.

IOHANNES, Friderici frater, Erneſti filius: Friderico III. Imp. in itinere Italico, adoleſcẽs comes fuit, vt ſcribit Crancius. Huic principi poſtea defenſæ religionis amor, Conſtantis nomen tribuit. Auſpiciis Imp. Maximiliani primùm in Pannonia infe-

Tumultus agreſtium. riore, deinde in Italia Tranſpadana militat. Initio eius gubernationis agreſtium tumultus è diœceſi Fuldana, in Turingiam effunditur, tanta celeritate & impetu, vt niſi maturè principes arma ſumpſiſſent, maximum fuiſſet ortum in Saxonia incendium; cui extinguendo vix Germaniæ vires ſuffeciſſent. Cùm autem ad Franchenhuſiã eſſent vno prælio diſsipati & victi, Dux Elector Vinariæ, Ienæ, Iſenaci, de auctoribus pœnas gladio ſumit, &

Princeps pientiſsimus. ciuitatibus arma adimit. Fuit princeps iſte veritatis, pacis, ſobrietatis, omnis honeſtatis, & inprimis puræ religionis cupidiſsimus. Vidi ipſe palimpſeſtos, in quibus manu ſua ſacras conciones integras pœnè ad verbum exceperat. Quamobrem cùm doctrinam cœleſtem rectè intelligeret, & animo ardentiſsimo amplexaretur: coram Imperatore Carolo V. & rege Ferdinando, omnibusque Imperij ordinibus, multis etiam regum exterorum legatis, in comitiis Auguſtanis, anno ſupra milleſimum quingenteſimum trigeſimo, eandem eximia veneratione, conſtantique ſententia ꝓfitetur, nec de rigore illo diuino (Zelum ſacræ litteræ appellant) vllo terrore deiici, aut periculo depelli potuit. Etſi autem ſanguinarij quidam præſules atque duces, φόνια λευγρὰ, vt in Tragœdia dicuntur, & ipſi ſic patria lingua nominabant, minitarentur Eccleſiæ, & inprimis genti Saxonicæ: tamen Deus principi optimo affuit, ſuumque profeſſorem clementer vſque ad extremum vitæ halitum rexit, defendit, conſeruauit. Prima eius vxor Sophia Magni Mechelburgij Ducis filia, Iohannis Friderici mater, quæ eo partu obiit: altera Margaritha, filia Vualdemari principis Anhaldini. Sophia obiit 1503. die 12. Iulij, ſepulta Torgæ, Margaritha 1521. ſepulta Vitebergæ. Ipſe moritur Sucinitij Idib. Auguſti, 1532. conditus Vitebergæ.

IOHANNES FRIDERICVS.

IOHANNES FRIDERICVS patris & patrui nomina, cum ipſorum virtutibus retulit, à tolerantia rerum aduerſarum, dicendus Magnanimus: à corporis obeſitate, dictus ab aduerſariis Craſſus, à patre miſſus Coloniam electioni regis Ferdinandi cõtradicit, in quam tamen certis conditionibus poſtea Viennæ conſenſit.

Controuerſiam inter ipſum & agnatum Mauricium, de Vurcina, prælulis Miſnenſis oppido, Philippus Haſsiæ Landgrauius componit Henricum Brunſuigium fœderatorum auxilijs primùm è ditione ejicit, deinde eam repetentem, cum principibus ſocijs adigit ad deditionem: Cum Carolo Imp. auxilijs fœderatorũ principum, & Germaniæ ciuitatum, bellum gerit: contra quem cùm in Bauaria & Sueuia totam æſtatem caſtra habuiſſet, brumæ ipſius tempore, in agnatum Mauricium tum imparatum arma conuertit. Oppida Turingiæ, Saxoniç, Miſniæ recipit, Lipſiam ita tormentis concutit, vt ſit antea vix ſimile auditum: neque in oppugnatione Aronç ad lacum Verbanum, in Inſubria: neque Pæſti in Pannonia, id obſidente Georgio monacho: quæ oppugnationes ante id tempus grauiſsimæ, hominum memoria fuerant. Ditione Mauricij potitur, vrbibus quatuor, Lipſia, Zuicca, Dreſda, Pirna, exceptis quæ partim milite Germanico, partim externis Vngarorum & Boemorum præſidijs defendebantur: earum tamẽ vrbium præter Pirnam, magna & populoſa cremabantur à copijs Mauricianis ſuburbia. Albertum Marchionem Brandẽburgium, & Chriſtophorum Leuchteburgium, intercludere ipſum volentes, ſed ſecuros & incautos capit Rochlicij antiqua Oſterlandiæ vrbe. Initio veris, aduentu Cæſaris, & regis Ferdinandi, & principum ſociorum, qui Egra, extrema regni Boemici ciuitate, exercitus coniunxerant, inopinatò oppreſſus, cùm relicta vrbe Miſna, & ponte poſt ſe incenſo, Vitebergam contenderet: in itinere copijs ſuis diſiectis, contra inſequentes pugnãs, in aduerſum os, mala ſiniſtra vulneratur, & à Thilone Droto è diæceſi Merſburgia, ordinis equeſtris viro, non procul ab oppido Mulbergo capitur, cui in eius rei teſtimonium, annulum de manu detractũ tradidit. Ominoſum ſanè loci huius viris principib9 nomen eſt. Ad Mulbergium in Bauaria, ducem Auſtriæ Fridericum, cepit Ludouicus IV. Imp. ad Mulbergum ſupra Nemetes, Bernardum marchionem Badenſem Ropertus. Prodigia multa prælium antecedunt, inprimis lucem ſolis ſanguineum, per dies ſeptem. Tomiſernus tribunus eius, qui adhuc partem exercitus ducebat, audita clade ex vrbibus montanis, quæ in Miſnia cepe at, in Saxoniam pergit, Bremam liberat, & Ericum ducem Brunſuigium, amiſsis tamen impedimentis, ſuperat prope Tracheburgum, iuxta Meleram fluuium. Iohannes Fridericus Cæſaris aulam, captus ſequitur: qui exilium non alio animo tulit, ac ſecundã fortunã tulerat: nulla n. vox humilis eſt ab ipſo audita, nulla deiectioris animi facta ſignificatio, qua fortunæ commutationem teſtaretur: à

Bellum inter agnatos Principes.

Obſidio Lipſiæ.

Clades capti Principis.

Aequanimitas in aduerſis.

tur: à religionis certè ſinceritate nec minis, nec gratia, nec promiſsis potuit auocari, cumq́; mitigatio ſententiarum edicto Imperatorio quæreretur, ſuam confeſsionem ſcripto edidit, & pietatis illuſtris exemplum, omni poſteritati grauiſsimum reliquit. Dimiſſus poſt quintum exilij annum, ſumma gratulatione à ſuis accipitur, præſertim à coniuge atque liberis, qui ipſum ſingulari ſemper pietate obſeruantiaq́; fuerant proſecuti. Poſt Mauricium in acie interfectum, cum Auguſto fratre ipſius, conuentu Numburgano, totius Reip. negotia componit, ſublatiſq́; controuerſijs multis atque magnis, obit anno ſupra milleſimum, quingenteſimum quarto & quinquageſimo, die III. Mart. quo menſe ante annos octo de duobus principibus Rochlicij captis, triūphauerat. Sepelitur Vinariæ cum vxore Sibylla Iuliacenſe, Iohannis ducis filia, cùm ſibi ad latus vxoris loculum relinqui, paucis antè dieb. mandauiſſet. Arcem Torgæ amplam & magnificam condidit, & in eius templo tumbam ſibi fecit, in quam impoſitus non fuit.

Coniugum mors vnius temporis.

MAVRICIVS.

MAVRICIVS Henrici filius, Alberti nepos, Friderici II. Electoris pronepos, bellicis ſtudijs ardens, animo ſuſcipiendi res arduas, & perficiendi conſtantia, nulli maiorū inferior. Primo eius principatus anno, cùm animi gratia è carmine Virgiliano ſortes, à viris quibuſdam eruditis in villa Luigana, quam Piſanus Cardinalis Venetus, in agro tum extruebat Patauino, colligerentur: memini ei primam & auſpicatiſsimam exijſſe, quæ erat,

Sortium aliqua certitudo.

Curibus paruis & paupere terra
Miſſus in imperium magnum.

Bello Vngarico, quod pro Buda & Peſto recuperando ſuſcipiebatur, documentum virtutis dat ſingulare, ſed ſibi pœnè exitioſū: bello Gallico, quod Imperator Carolus poſtremum cum rege Franciſco I geſsit, ad Diuum Victorinum fortiſsimi Ducis officium exequitur. Tumultum Saxonicum, in quo Henricus Dux Brunſuigius, cum Carolo filio aduerſarijs ſe dedidit, ſuo dirimit arbitrio. Contra confœderatos Smalachaldenſes, cùm bellum Imperator graue excitaret, partes ſequi Cæſarianas, exiſtimauit tutiſsimum, neque deceptus ſuo iudicio eſt: victo Iohanne Friderico, Saxoniæ Elector declaratur in caſtris ad Vitebergam, inſignia accipit Auguſtę Vindelicorum: quibus comitijs bellum etiam contra Magdeburgios illi committitur, qui vrbem celebrem & fortiſsimam, hieme acerrima obſidere incipit. Initio eius obſidionis Verdenſem exercitum, qui metuendus fuerat,

fuerat,ſua prudentia diſsipat,poſt menſem obſidionis quartum decimum, dat conditiones minimè renuendas. Compoſitis rebus Saxonicis,pro liberatione ſoceri ſui,cùm preces nihil valuiſſent, arma ſumit, & in caſtra Vilhelmi Landgrauij è conuentu Torgano profectus, Auguſtanis ſeſe dedentibus parcit, Vlmenſium agrum per ſocios diripit. In aditu Alpium Rheticarum, ſuperatis captiſq; Ereburgi montis anguſtijs,metum Carolo V. incutit, vt Oenipontem relinqueret,In conuentu Patauienſe, arbitrio regis Ferdinandi,liberatus eſt ipſius fide & auctoritate Philippus Landgrauius Haſsiæ,& Otho Henricus Palatinus reſtitutus. Data venia & impunitas eſt alijs etiam tribunis & præfectis, qui contra Cæſarem militauerant.Copijs Solimani Turcæ in Vngaria occurrens,eas continet,& inſulam Danubij munit. Anno igitur iſto, qui fuit ſecundus & quinquageſimus,duobus potentiſsimis monarchis in Europa & Aſia terrori fuit.Suſcepto deinceps vicinorum patrocinio,Albertum Marchionem Brandeburgium, igne ferroq; ſæuientem,adoritur, & cum eo in diœceſi Hildeshemia fortiter congreſſus,fuſo fugatoq; eius exercitu,in præfectura Peinenſe,captis hoſtium ſignis ſexaginta octo,victoria inſigni potitur.Ipſe tamen bellici tormenti ictu, quem in latere dextero ad ilia acceperat,tertio poſt die obijt,anno principatus ſui duodecimo. In eadem pugna Carolus & Philippus Duces Brunſuigij, Henrici filij,& Fridericus Dux Luneburgius interierunt.Portenta tantæ calamitatis fuerunt multa.Canum rabies,qua ad mortem vſque certarunt,fremitus in aere, ſanguineæ in herbarū folijs guttæ,hominum & equorum illo campo, in quo conflictus fuit,nocte intempeſta auditi clamores, eiulatus item nocturni in oppidis. In arce Perlini de ſtatua Mauricij,nulla vi adhibita, delapſum caput eſt: ipſe quoque viro cuidam optimo, in domo flagrante,per quietem viſus fuit.Inteſtina Siuershuſiæ condita, corpus è caſtris Fribergum delatum, in templo Mariano iuxta patrem conditur,monumento maximè inſigni: in quo eius res geſtæ,tabulis duodecim breuiſsimè perſcriptæ ſunt.In iſta armorum tractatione humanitatis ſtudia non duxit negligenda. Academiam Vitebergiam conſeruauit,Lipſienſem auxit reditibus & ædificijs: ludos tres prouinciales aperuit, Miſnenſem ad Albim, Portenſem ad Salam,Grimanam ad Muldam, in quibus pueri in pietate ſincera,litteriſque elegantioribus, & tribus linguis inſtituuntur. Arces aliquot ædificauit,vel dirutis antiquis nouas fecit, Mauriciburgum à ſe dictam, Radebergiam , Senfftenbergiam , Chemnicenſem,Tſchopenſem,& ornatiſsimam & maximam

Studium aſſerendæ libertatis.

Pugna calamitoſa.

Portenta.

omnium Dreſdenſem. Si & ætatem, & animum, & facta ſpectes, ducibus ſummis & fortunatiſsimis, Mauricius non indignè comparatur.

AVGVSTVS.

AVGVSTVS, Henrici filius, Mauricij frater, in quo indoles, integritatis, grauitatis, rectitudinis, ſapientiæ, maximiq; ingenij & ſingularium virtutum ab annis teneris enituit. In aula regia adoleſcens fuit Pragæ: patris ſui, Principis optimi de ſe iudicia & vaticinia habuit magnifica Militauit, Carolo V. in Gallia, cum ipſe & frater caſtra haberent ad fanum Deſiderij, victoriam aſſequerentur ad Diuum Victorinum. Caſtra item fratris ſecutus in Germania, fortitudinis & clementiæ eius ſocius fuit ac particeps. In comitijs Auguſtanis abſenti data Electoris inſignia ſunt, quæ nomine ipſius Iohannes Hoierus comes Manſueldius accipit. Cùm abeſſet in Dania, fratre in armis defuncto, venerationis ipſius, & exercitum & populos in officio continuit: deinde ad pacem ſuis reſtituendam, cogitationes & animum totum conuertit. Cùm Iohanne Friderico & eius filijs tranſigit, & omnia ad pacem pertinentia procurat, fœdus cum ijſdem hæreditarium, item cum Landgrauio Haſsiæ renouat. Eligendis Ferdinando ac Maximiliano II. Imperatori, & Regi Daniæ Friderico, affini ſuo coronando, præſens affuit. Bellum Gothanum imperij nomine ipſe geſsit, & de factiôis illius auctorib. ſumpſit ſuppliciũ, & latrocinia, quæ locis multis inualuerant, ſeuerè coercuit: Exemplo Othonum Imperatorum iam ætate corroborata linguam Latinam didicit, & quocunque eum aut animi aut ingenij impetus fert, id naturæ bonitate, & aſsiduitate intentionis facilimè cõſequitur. Deus omnipotens ducem hunc pacificum, & hactenus felicitate ingenti vſum, ad ſui nominis gloriam conſeruet, vt eo gubernante, populi ipſius ſalui & incolumes ſint,

Qualiaq; Auguſto ſub Cæſare ſecla fuere,
Auguſto perſtent talia ſecla duce,

vt vetus noſtrum votum repetamus.

GEORGII

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS

ILLVSTRIVM MARCHIONVM MISNENSIVM LIBER I.

THIMO.

Primus Marchio Miſnenſis, Comes Larſibergi & Vbetini.

THIMO VVITECHINDI generoſo ſtemmate natus,
Magnanimis claro nomine dignus auis.
Non ſe degenerem monſtrauit Regibus ipſis,
A quorum genus hic nobile gente trahit.
Vlciſcens ſibi facta feris opprobria telis,
Longè à natali cogitur ire lare.
Vt Tydeus olim patrijs procul égit ab oris,
Inq́; peregrina tollitur exul humo:
Sic quoq; caſtra ſequens victricia Cæſaris iſte, *Henricus IIII. Imperator.*
Virtutis meritæ præmia digna tulit.
Miſnia quâ flauo florens coniungitur Albi,
Quâq; Soraborum terra vetuſta iacet,
Accipiens latam ditionis fertilis oram,
Promeruit titulos auctus honore nouos.
Non tamen ille diu parto gauiſus honore,
Oppetit, & ſæuo preſſus ab hoſte cadit.
Ex acie patriam Niemeci vectus in arcem, *Niemecium oppidum.*
Vrbs tibi tumulo eſt iunctus, vt antè thoro.

Conradus Pius Marchio Miſniæ, & Luſatiæ, Comes Rochlitij, & Ileburgi.

CONRADVS tenuit patrios Illuſtris honores,
Qui forti multis pectore notus erat.
Kirchbergum arx. Hunc patruelis atrox Kirchbergi carcere clauſit,
Quòd matrem dicto læſerat ille ſuam.
Flagrauit magno veræ pietatis amore,
Armaq; pro ſancta relligione tulit.
Noſcere cùm cœpit primùm Pomerania Chriſtũ,
Vandalaq; ad noſtram turba coacta fidem.
Tempore quo populis Lotharius intulit illis,
Cunctaq; victrici contudit arma manu.
Lotharius Sax. Imp. Viperius Oſterlandus Comes. Liquerat HENRICVS dux vitæ lumina Grocæ,
Filius ille tuus magne VIPERTE fuit.
Eius CONRADVS ditionem ſuſcipit, vrbe
Ad Moganum, præſens quando ibi Cæſar erat.
Addit Rochliciam coniunx quoq; Cæſaris arcem,
Quæ coniuncta illi ſanguine Richſa fuit.
Extulit ergo ſoli fines ſpaciumque feraces,
A Niſſa lentam diues ad uſque Salam.
Conradus II Imperator. Trãs etiam alta venit, CONRADI caſtra ſecutus,
Aequora, Dux Syrijs Marte timendus agris.
Bellica cùm celſam quaterent tormenta Damaſcum,
Tunc eius virtus maxima pænè fuit.
Inde adijt Solymas etiam cum Cæſare terras,
Pertulit & dubię longa pericla viæ,
Armaque Sarmaticas idem cùm ferret in oras,
Amiſſas genero quò repararet opes:
Vladislaus Dux Polon. CONRADI ſtabilem firmat prudentia pacem,
Mitigat & magni damna propinqua mali.
Hic ſex eximios natos, totidemq; puellas
Leuthardæ thalamis pignora clara tulit.
Diſtribuenſq; illis forti bona parta labore,
Clauſtra pius ſubijt relligioſa ſenex.
Septimus HERMANVS, qui præſul in vrbe Paberga,
Filius, è patrijs nil tulit ille bonis.
Lauterbergum cœnobium. Ipſe ſepulchra tenet montis præcelſa Sereni,
Hîc vbi ſunt fontes Saxonis Hala tui.

Otho Dives Marchio Miſniæ & Luſatiæ.

SAxonicas iuuenis circumtulit arma per oras *Fridericus Barbaroſſa Imp. Henricus dux Bauar. & Saxoniæ*
Aenobarbe tuæ pars OTHO militiæ.
Reſtitit HENRICHo, cui vaſta Superbia nomen,
Mox eadem luctus exiliumque dedit.
Pòſt emtas propter Turingi principis vrbes,
Ipſe ſibi proprio comparat ære malum.
Inſidijs captus, Vuartbergaque arce retentus,
Auxilio liber Cæſaris inde redit.
Arma capit ſpretæ propter connubia natæ, *Premislaus Boemiæ.*
Se ſocians hoſti dure Boeme tuo.
Terror finitimis populis Odoacer, es auſe
Supra fortunam multa ſubire tuam.
Hinc Otho compoſita ciuilia commoda pace
Curat, & amiſſas ſarcit & auget opes.
Argenti reperit Sudeto in monte metalla, *Fribergum.*
Nunc vbi Fribergum nomina clara tenet.
Lipſiacam firmis circumdat mœnibus vrbem, *Lipſia.*
Collocat & multis ardua caſtra locis.
Impius hunc ſeruat Dibeno in carcere natus,
Collectaſque patri tollit auarus opes.
Aſt OTHO crudeli facto, ſua membra dolore *Dibinum oppidum Filij bellum contra patrem.*
Tabidus, haud annum pòſt ſuper ipſe fuit.
Cella tenet corpus, ſiluolæ ad flumina Muldæ, *Cella vetus cœnobium.*
Heduigis lateri proxima iuncta viri.

Albertus I. Superbus Marchio Miſniæ & Luſatiæ.

PRætulit ALBERTO DITERICVM mater, in iſto
Quòd plus ingenuæ ſimplicitatis erat:
HEDVIGIS nato daret vt ſua regna minori,
Fœminea mouit calliditate virum.
Vt iuuenis tumidas iniuria venit ad aures,
Conſilium, præceps ira, ſalubre rapit.
Collocat inſidias, ſpreta pietate, parenti:
Iniicit & capto vincula dura leni.
Vtq; patrem natus cepit, ſic carcere clauſo
Eſt patruo, cuſtos additus ipſe nepos. *Conradus Dederij C. Rochlicij filius.*

 Attan-

Conradus Pius Marchio Miſniæ, & Luſatiæ, Comes Rochlitij, & Ileburgi.

CONRADVS tenuit patrios Illuſtris honores,
Qui forti multis pectore notus erat.
Kirchbergum arx. Hunc patruelis atrox Kirchbergi carcere clauſit,
Quòd matrem dicto læſerat ille ſuam.
Flagrauit magno veræ pietatis amore,
Armaq; pro ſancta relligione tulit.
Noſcere cùm cœpit primùm Pomerania Chriſtũ,
Vandalaq; ad noſtram turba coacta fidem.
Tempore quo populis Lotharius intulit illis,
Cunctaq; victrici contudit arma manu.
Lotharius Sax. Imp. Vipertus Oſterlandus Comes. Liquerat HENRICVS dux vitæ lumina Grocæ,
Filius ille tuus magne VIPERTE fuit.
Eius CONRADVS ditionem ſuſcipit, vrbe
Ad Moganum, præſens quando ibi Cæſar erat.
Addit Rochliciam coniunx quoq; Cæſaris arcem,
Quæ coniuncta illi ſanguine Richſa fuit.
Extulit ergo ſoli fines ſpaciumque feraces,
A Niſſa lentam diues ad uſque Salam.
Conradus III Imperator. Trãs etiam alta venit, CONRADI caſtra ſecutus,
Aequora, Dux Syrijs Marte timendus agris.
Bellica cùm celſam quaterent tormenta Damaſcum,
Tunc eius virtus maxima pænè fuit.
Inde adijt Solymas etiam cum Cæſare terras,
Pertulit & dubię longa pericla viæ,
Armaque Sarmaticas idem cùm ferret in oras,
Amiſſas genero quò repararet opes:
Vladislaus Dux Polon. CONRADI ſtabilem firmat prudentia pacem,
Mitigat & magni damna propinqua mali.
Hic ſex eximios natos, totidemq; puellas
Leuthardæ thalamis pignora clara tulit.
Diſtribuenſq; illis forti bona parta labore,
Clauſtra pius ſubijt relligioſa ſenex.
Septimus HERMANVS, qui præſul in vrbe Paberga,
Filius, è patrijs nil tulit ille bonis.
Lauterbergum cœnobium. Ipſe ſepulchra tenet montis præcelſa Sereni,
Hic vbi ſunt fontes Saxonis Hala tui.

Otho Dives Marchio Miſniæ & Luſatiæ.

SAxonicas iuuenis circumtulit arma per oras
Aeneobarbe tuæ pars OTHO militiæ.
Reſtitit HENRICHo, cui vaſta Superbia nomen,
Mox eadem luctus exiliumque dedit.
Pòſt emtas propter Turingi principis vrbes,
Ipſe ſibi proprio comparat ære malum.
Inſidijs captus, Vuartbergaque arce retentus,
Auxilio liber Cæſaris inde redit.
Arma capit ſpretæ propter connubia natæ,
Se ſocians hoſti dure Boeme tuo.
Terror finitimis populis Odoacer, es auſe
Supra fortunam multa ſubire tuam.
Hinc Otho compoſita ciuilia commoda pace
Curat, & amiſſas ſarcit & auget opes.
Argenti reperit Sudeto in monte metalla,
Nunc vbi Fribergum nomina clara tenet.
Lipſiacam firmis circumdat mœnibus vrbem,
Collocat & multis ardua caſtra locis.
Impius hunc ſeruat Dibeno in carcere natus,
Collectaſque patri tollit auarus opes.
Aſt OTHO crudeli facto, ſua membra dolore
Tabidus, haud annum pòſt ſuper ipſe fuit.
Cella tenet corpus, ſiluolæ ad flumina Muldæ,
Heduigis lateri proxima iuncta viri.

Fridericus Barbaroſſa Imp. Henricus dux Bauar. & Saxoniæ

Premiſlaus Boemiæ.

Fribergum.

Lipſia,

Dibinum oppidum Fily bellum contra patrem. Cella vetus cœnobium.

Albertus I. Superbus Marchio Miſniæ & Luſatiæ.

PRætulit ALBERTO DITERICVM mater, in iſto
Quòd plus ingenuæ ſimplicitatis erat:
HEDVIGIS nato daret vt ſua regna minori,
Fœminea mouit calliditate virum.
Vt iuuenis tumidas iniuria vênit ad aures,
Conſilium, præceps ira, ſalubre rapit.
Collocat inſidias, ſpreta pietate, parenti:
Inijcit & capto vincula dura leni.
Vtq; patrem natus cepit, ſic carcere clauſo
Eſt patruo, cuſtos additus ipſe nepos.

Conradus Dedonis C. Rochlicij filius.

At tandem metuens ALBERTVS Cæſaris iras,
Dimittit placita conditione patrem.
Antè tamen capti theſauros diripit omnes,
Et varia abſtruſas arte recludit opes.
Vratiſlaum R. Boemiæ. VVeiſſenuelſa opp. Fratre bellum contra fratrem.
Armis Cæſareum iuuat auxiliaribus hoſtem,
Qui tenuit regni ſceptra Boeme tui
Vt fratri eriperet, quæ pauca reliquerat antè
Circundat muros Leucopetræa tuos.
Nec cum Turingo concurrere Principe ſolus
Abnegat, & liti ponere morte modum:
Sed ne conferrent æquato Marte duellum,
Flexit amicorum fidus vtrunque fauor.
Inſtruit hinc patrias externo milite vires,
Et renouat forti priſtina bella manu.
Exutus totis Hermano à Principe caſtris,
Committit trepidæ ſaucia terga fugæ.
Tum prius inuiſam cupiens acquirere pacem,
Trans Alpes ſubitum carpere cœpit iter.
Inſubres Cæſar cùm ferret ſigna per vrbes,
Teutonico frenans Itala colla iugo.
Spem veniæ poſtquam ſibi comperit eſſe negatam,
Quæq́; patri tulerat, nunc quoq; vincla timet:
Clàm fugit è caſtris, vno comitatus amico,
Tectus & ad patrios peruenit inde lares.
Nulla tamen mentem frangunt aduerſa ferocem,
Seq́ putat cunctis hoſtibus eſſe parem.
Quodq́; nequit ſupplex, ardet virtute parare,
Aggrediturq́ue ſuo robore maius opus.
Excelſis aliquot communit turribus vrbes,
Cæſareas audax nil metuendo minas.
Interea duri vexatur tormine morbi,
Nec patitur tangi putrida membra dolor.
Stramineo poſitus paruæ ſub culmine villæ,
Indignans miſeræ mortis adiuit iter.
Heinricus ſorſum p ope Friburgum.
Ter dena coniunx ſequitur quem luce SOPHIA,
Amborumq́ue Vetus Cella ſepulchra tenet.

DITERICVS Archio Miſniæ & Luſatiæ, Comes VVeiſſenuelſij.

MVltorum inſidias paſſus DITERICVS iniquas,
Terra quòd argenti patria diues erat.

Nauigio

Nauigio rediit Syriis vt vectus ab oris, *Henricus VI. Imperator.*
Fugit Cæſareos abditus vtre dolos.
Nempe quòd auri eſſet non iuſtus Cæſar amator, *Richardus R. Angliæ*
Id docuit damnis capte Britane tuis.
Externo tutus fuerat Ditericus ab hoſte,
Gratia ſed minimè fratris amica fuit.
A quo Miſniaca pulſus violenter ab ora,
Vix ſcopulos tenuit Leucopetræa tuos.
Collectis generum Turingus vindicat armis,
Bis pellens ab eo caſtra inimica loco,
Rhenano validas adducit milite turmas, *Hermanus L. Turing.*
Frater in exitium iam Ditarice tuum.
Quas ſoceri tacito ſolertia diſsipat actu,
Vertit & in ſubitam neſcia terga fugam.
Tum primùm Alberti vires cecidere Superbi,
Quem tulit heu tetra mors violenta lue.
Viribus Imperij mox ſunt grauiore tumultu, *Philippus & Otto Imperatores.*
Bella repentino mota furore Ducum.
Nec potuit generum Ditericus iure tueri,
Armis qui ſociam Cæſaris addit opem:
Tunc quandò inuadit Turingica rura Philippus,
Circa Album ponens regia caſtra lacum. *Vueiſenſeha vrbe.*
Nocte fugato timido furtim rapiente Boemo, *Othogarus R. Boemiæ.*
Ad partes princeps Cæſaris ipſe redit.
Lipſia defendens, pòſt facta rebellis, Othonem,
Quæ nimis hoſtiles improba fouit opes.
Saxonicas Ditericus Aquas obſedit ad Albim,
Diruit & Lopenæ mœnia capta ſolo.
Lipſiacos etiam vertit fundamine muros,
Cogit & imperij iura ſubire ſui. *Fridericus II. Imperator.*
Quod Friderice tenes Romani nomina Regis,
Magna eius meriti pars Ditericus erat.
Amiſſam Pegæ Siffrido reddidit vrbem,
Sed facta iuſti prçmia nulla tulit.
Tollitur hæc tetro virtus generoſa veneno,
Illi quod Medici perfida dextra dedit.
Communem in Cella tumulum cum cõiuge Iutta,
Matura nondum morte peremptus, habet.

HENRICVS I. Munificus, Landgravius Turingiæ, Comes Palatinus Saxoniæ, Marchio Miſniæ & Luſatiæ.

Ludouicus IV. L. Turingiæ.

MVnifici meritis tulit hic HENRIC' honorem,
Malleus atque alio nomine dictus erat,
Quem puerum rexit Ludouicus auunculus, atque
Pro patre defuncto munera patris obit.
Hic tamen arma mouens Saracenis, occubat vrbe
Hydrunto, Hadriaci quam ferit vnda maris.

Hermannus. L. Henricus L. Turingiæ Imperator.

Filius at ſumpto, Berchtæ molimine, philtro,
Infelix iuſtum concidit ante diem.
HENRICVS Sueuam frater percuſſus ad Vlmam,
Cum vita regnum deſerit ipſe datum.
Principibus ſpoliata pijs Turingia mœret,
Amiſsis dubitat ſitnè habitura pares.
Exoritur miſerum ciuili ſanguine bellum,
Factio vix annis tollitur illa nouem.
Adiuuat HENRICI Deus & victoria cauſam,
Turingaſque parit Miſnius acer opes.

Henricus D. Brabantiæ puer. Albertus D. Brunſuigius

Saxonas expellit, conſanguineumq; Brabantum,
Huic tamen Heſsiacum linquit habere ſolũ.
Ipſe tuum Brunſuiga Ducem prope cepit Eliſtrum,
Suerini Comites, Aſcaniæque duces.
HENRICVS terris hinc auctus, & inde metallis,
Clarus erat belli, clarus honore togæ.
Non cum fortuna deerat ſapientia Crœſi,
Et populis animus ferre benignus opem.
Vt platanus quondam celebris fuit aurea Xerxis,
Regales cuius texerat vmbra dapes:
Non minus audita eſt HENRICI argẽtea quercus,
Quam Northuſa equiti ponit in vrbe ſuo.
Peruenit ad canam tranquilla pace ſenectam,
Multorum lachrymis nec ſine, raptus obit.
Cum tribus hic natis, totidemq; vxoribus, vrnam
Concordem, ad tumulum patris auiq; tenet.

ALBERTVS II. Degener, Landgravius Turingiæ, Marchio Miſniæ, Dominus terræ Pleiſenſis.

AVſtriaca ALBERTVM peperit Conſtantia patri,
Quàm ſatus hac vellem non foret iſte domo.

Educat

Educat aſt herbas interdum terra nocentes, ”
Triticeos lolium ſæpe moleſtat agros. ”
Ipſe ſuos fratres iniuſtis expulit armis,
Quorum facta viris annumeranda bonis.
Horum alter nomen Sapientis, at Exulis alter, *Ditericus Sapiens. Henricus Exul.*
Morum ac fortunæ ſigna notamque tulit.
Cæſaream thalamis pepulit, virtute puellam
Illuſtrem, cui dos Pleiſena terra fuit. *Margaretha Friderici II. Imperatoris filia.*
Pellicis infames illi præponit amores,
Ter pater è cuius corpore factus erat.
Nec minus in proprios eius dementia natos *Patris bellum in filios*
Sæuijt, & potuit quæ mala ferre, tulit.
Miſnenſem regi ditionem vendit Adolpho,
Tollere captum optat te Friderice nece.
At non legitimè prognatum, ſperat Apici, *Apicius Cunegundis Iſenbergiæ filius.*
Turingo dominum te dare poſſe ſolo.
Verùm nobilitas hunc libera ferre recuſat,
Nec probat inſani facta nefanda patris.
Hinc Oſtrolandis irati Cæſaris arma
Infert, ne natis ſpes foret vlla ſuper.
Sed prius in rebus Fridericus cognitus arctis, *Fridericus à gena admorſa dictus.*
Bella parat, populis promptus adeſſe ſuis.
Ille bonus captum dimittens antè parentem,
Accepit nullas pro pietate vices.
Poſt iterum ſocrus Alheidis, itemque nouercæ
Indicio, Albertum depulit arce ſua,
Exiliumq́; patri viridem prope dicit Hieram, *Erfurdia vrbs.*
Vrbs vbi præcelſum ſuſtulit ampla caput.
Albertus patitur, dederat quæ damna propinquis,
Et duram toleret, vix habet vndè, famem.
Hoſpitium & tumulum dedit illi Erfurdia, nam nō
Maiorum ad cineres additus iſte cinis.
Illius ad Mœnum Francorum conditur vxor
Margaris, exilio nobilitata ſuo. *Francofurtum vrbs.*

FRIDERICVS I. Fortis, Landgrauius Turingiæ, Palatinus Saxoniæ, Marchio Miſniæ & Oſtrolandiæ.

Miſniacæ genti ſuus es Friderice Camillus,
Libertas armis reddita pulchra tuis.

In cunis

In cunis placido ſeruaris numine cùm te,
Deſerit ad morſa mater amica gena.
Nec minus infenſi fugiſti vincula patris,
Aſcaniæque ducum, Cæſareoſque dolos.
Non meditata tuo capiti nocuere venena,
Impiaque à collo ſica repulſa tuo.
Scilicet vt patriæ iuuenis daret iſte ſalutem,
Propitij ſenſit tot benefacta Dei.
Quèm patruus primo format DITERICus ab æuo,
Militiæ monſtrans & graue Martis opus.
Affini iubet HENRICVS quem ferre Boemo
Contra Sarmatici ſpicula regis opem.
Vuenceslaus rex Boemiæ Inde Nariſcorum feliciter occupat arcem,
Plauenſi reddens iura vetuſta Vodo.
Immanem inuitus contra capit arma parentem,
Lansberga captum quem ſuper arce tenet.
Reddere Tanbergum qui cùm promitteret (illud
Spurius abſtulerat) carcere liber abit.
Adolphus Rex Romanorum. Miſnia Romano tum vendebatur Adolpho,
Terra metallifero nobilitata ſolo,
Pœnè ſubacta fuit crudeli tota Sueuo,
Qui fuit in caſtris miles ADOLPHE tuis.
Turinga Brubergus erat pellendus ab ora,
Annis vexarat quatuor omne ſolum.
Obſidio Frybergi difficilis. Nec non in Miſna Fribergum, ſigna bis octo
Menſes, ad muros ſæua volare videt.
Sexaginta homines de nobilitate trucidat
Cæſar, id vt captum proditione fuit.
Liberat vt reliquos, tunc oppida proxima Muldæ
Exilium Principis. Tradit, & è patria Marchio cedit humo.
Occidit interea fato miſerandus Adolphus:
Nomen ab amiſſo fers FRIDERICE ſolo.
Albertus Auſtriacus Rex Romanorum. Accipit imperij partas ALBERTVS habenas,
Ac reparat valida triſtia bella manu.
Curaq; Milmobeo mandatur maxima rerum,
Qui noua Turingis ſigna mouebat agris.
Dum flagrant magni dubio certamine motus,
VVartberga natus cepit in arce patrem.
Milmobeus caſtris exutus pellitur hoſtis,
Vinclaque iam geſtat, qua tulit arma, manu.

Protinus

Protinus ad Luccæ paruam concurritur vrbem,
Sanguineis flauus manat Eliſter aquis.

Lucca oppidum Oſterlandiæ.

Hoc illo nobis libertas reddita campo,
Miſnenſi Sueuus latro necatur humo.
Hinc ſpolijs victor redijt Fridericus opimis,
Dum fratrem Cæſar ſternit Adolphe tuum,
Iſte ferebatur Dicemani cauſâ perempti,
Infelix Aras qui cadit ante ſacras.

Philippus Comes Naſſaenſis.

Differtur terras Friderici fama per omnes,
Notus & externis cœperat eſſe plagis.
Illum olim petijt cum forti Inſuber Hetruſcô,
Magnanimo cupiens credere bella viro.

Mediolanenſes & Florentini.

Francus adhuc ſæuit Turingos miles in agros,
Alberti præerat ſtirps inhoneſta patris.
Tum quæ Cæſareas Aquilas eſt turba ſecuta,
Cogitur imperij iura ſubire noui.
Iſidis vrbs ſupplex poſt cunctas vltima venit,
At fortem colit hinc officioſa ducem.

Iſenacum vrbs.

Amittis Zuencæ Friderice ad mœnia natum,
Quem tulit ex alto miſſa ſagitta loco.
Hinc capis, extruxit quam rex Lotharius vrbem,
Quæque ſuum veteri nomen ab arce tenet.
Mox ſentit populoſa tuas Erfurdia vires,
Quæ pulſata acie terque quaterque tua.

Chemnicium vrbs. Aldeburgum vrbs.

Nulla diu rebus conſtat fortuna ſecundis,
Iunctaque habet dulcis ſemper amara lepor.
Luſatiæ populis dum vult ſuccurrere præceps,
Ad ripam capitur Redera rubra tuam.

Hana oppidum.

Eſt referenda viris Pleiſenſis maxima terræ
Gratia: turba ſuo fida reperta duci eſt.
Quorum opera liber, captos intercipit hoſtes,
Conſulit & thalamis Eliſabetha tuis.
Vualdemarique illo dimittit honore nepotem,
Arbiter vt poſthac pacis vtrinque foret.

Albertus Clareuſis Comes.

Burchardum bello quem Magdeburga fugarat,
Reſtituit populi pontificiſque malo.
Hic aufertur enim nodoſæ verbere clauæ,
Plebs ſentit diras Roma ſeuera tuas.

Arciſter Magdeburgem à ciuibus occiſum.

Expellit tota porrò regione latrones,
Creuerat illorum bella per ipſa furor.

Hoſtibus ipſe ſuis terror, ſed cura ſuorum,
Ac patriæ fido notus amore parens.
In templo diuæ Catharinæ. Linquit humum, morbi conſumptus tabe triennis,
Iſidis & tumulum poſsidet vrbe ſuum.
Seruat eum iuxta coniunx & nata ſepulchrum:
Cara magis nullo corpore iuncta loco.

FRIDERICVS II. Grauis, Deſignatus Rex Romanorum, Landgrauius Turin. March. Miſniæ, Comes Orlamundæ.

TV Grauis es propter mores Friderice vocate,
Rurſus ab exili corpore, dicte Macer.
Prouida quem tenerum rexit prudentia matris,
Imperio quoniam non ſatis aptus erat.
Henricus Nigri vt montis comes occidit armis,
Plauenſis Miſnam pace tuetur humum.
Inde Trifurdenſes quoq; Vuangenhemius hoſtes,
Arcet Turingo non ſine clade ſolo.
Prima Grauis flauo iunxit ſocia arma Britano,
Eduardo VI. R. Angliæ. Cui benè Rex merito nomen equeſtre dedit.
Ardua cùm patriæ coepit moderamina terræ,
Seruaſſet pacis tempus in omne bonum.
Sed non paſſa fuit violento Erfurdia facto,
Commouit damnis quæ noua bella ſuis.
Vênit vt hoſtis, abit factus Fridericus amicus,
Reſtituitque vrbis pœnè ruentis opes.
Reddita cùm felix illo victoria campo,
Quo miſeræ dederant ſaucia terra fugæ.
Conſeruat ſocios, proprios vlciſcitur hoſtes,
Aſſerit & læſum ſeditione decus.
Comites Turingiæ Principi rebelles. Guntherum Nigri cognomina montis habentem
Cepit, & eſt ſedes paſſus habere patris.
Cum prece Vinario tendenti ſupplice dextram,
Eripit id tantum quod lauat Orla ſolum.
Quique tenet montis de nomine nomen acuti,
Arcem aliquâ retinet conditione ſuam.
Viribus audacter nimium Stolbergius vſus,
Perdidit vltori cæſus ab enſe caput.
Ignibus heu miſeræ periêrunt mœnia Salzæ,
Mille homines letho flamma inimica dedit.

Culpa

Culpa Moguntino fuit hæc in milite, clauſit
Obſeſſas querulis ciuibus ipſe fores.
Euertit validis latronum viribus arces,
Vnſter & ad ripas, Salaque lenta tuas.
Pectore Cæſareos excelſo ſpreuit honores,
Quos fauor, & virtus cognita ſæpe dedit.
Auguſtæ thalamis auctus tamen ille puellæ,
Quę de Boiorum ſtemmate nata fuit. *Mathildis Ludou. IV. Imperatoris filia.*
Magnanimos linquens natos, in flore iuuentæ,
Bis quater emenſus luſtra caduca, perit.
Haud poſitus procul eſt Mathilde à coniuge Cellæ,
Cui tumulum ante ſuam fecerat ipſe necem.

FRIDERICVS III. STRENVVS, Landgravius Turingiæ, Marchio Miſniæ, Dominus Franciæ Montanæ.

STrenuus à factis Fridericus nomine dictus,
Imperium ſolus bis duo luſtra gerit,
Externis fratrum dum virtus anxia bellis,
Maiorum quærit laude tenere decus. *Vodlandi victi.*
Ipſe domi Ruſſum Plauenſem bella mouentem,
De patrijs victum cedere cogit agris.
Hermundurorum veteres ſubiere Nariſci,
Vixerat illa diu libera turba, iugum.
Cattorum ſuperat ſiſum virtute Tribocum,
Fulda tuas celebrat qui ſacra propter aquas,
Hermanumque animis Beichlingũ vana tumentẽ,
Efficit officij mox meminiſſe ſui.
Saxoniam magnis ingreſſus viribus, arces
Brunſuigi ferro vaſtat & igne Ducis. *Albertus dux Brunſuigius.*
Obſidet Embeccæ dum mœnia, fulmine miri
Tormenti retulit territus inde pedem.
Tunc viſa eſt noſtris, imitatrix fulminis, oris *Bombarda.*
Machina in humanum dira reperta genus.
Albertus damnis motus precibuſque ſuorum,
Obſidibus firmat fœdera facta datis.
Sed violata fides incommoda cuncta nouauit,
Iuraque læſa alia ſunt ſtabilita fide.
Cingitur infeſtis poſthæc Erfurdia ſignis,
Quæ ſtuduit rebus præſul Adolphe tuis, *Schiſma inter Antiſtites Moguntinos.*

Audaxq; quæq; datum Fridericum ferre recuſat,
Impediens bello ſe furioſa ſacro.
Quatuor ingenti eſt obſeſſa ſub agmine menſes,
Igne videns agros, igne micare domos.
Carolus IIII. Imperator. Carolus adueniens in caſtra hoſtilia Cæſar,
Arma iubet ciues ponere, & arma duces.
Auget opes partas Fridericus, comparat agros
Dum Sangerhuſi pinguia rura ſoli.
Francia montana. Accipit à ſoceri montanum morte Coburgum:
Francica Miſnenſi ſubdita terra Duci.
Luſtra nouem felix, & tres exegerat annos,
Magnanimum cum mors ſuſtulit atra virum.
Conditur in Cella poſtremus; iuncta fidelis
Vnanimi coniunx eſt Catharina viro.

VILHELMVS I. Cocles, Landgrauius Turingiæ, Palatinus Saxoniæ, Marchio Miſniæ.

HAnnibal eſt celebris, nec non Sertorius armis,
Hic quamuis oculo captus, & ille fuit.
Nec nocuit forti facies fœdata Vilhelmo,
Cui cello inuictum pectore robur erat.
Germanis iuuit propellere finibus hoſtem,
Cùm ferus Alſatiam perderet Anglus humum.
Armeniach. Inſubrum magnam cum Cæſare pergit ad vrbem,
Virtute egregijs ne minor eſſet auis.
Ipſe vicem reddens, inopinis vndique flammis
Eſt Erfurdanum depopulatus agrum.
Vrbs ea Miſniacis immiſerat vrbibus hoſtes,
Furtiuo curans tecta cremanda modo.
Affuit & ſocero, cui rex iniuſta Boemus,
Iodocus D. Morauiæ. Fortunæ infenſus Principis, arma tulit,
Sagaque vt induitur pro libertate Morauis,
Munitam cingens obſidione Pragam:
Sic fuit illa ſtatim deponere ſumpta paratus,
Vt Regis ſubijt pectora pacis amor.
Inde domi iuſtis moderatus legibus vrbes,
Cum vulgi auxit opes vtilitate ſuas,
Extenditque modis fines ditionis honeſtis,
Contulit & patrio commoda mille ſolo.
Miſnia Phœbeos vrbs quâ reſpectat ad ortus,
Tecta eius ſeruat frigidus oſſa lapis, Eli-

Elizabetha ſui lateri eſt coniuncta mariti:
Illorum caruit prolis honore thorus.

VILHELMVS II. DIVES, Landgravius Turingiæ, Palatinus Saxoniæ, Marchio Miſniæ.

MArchia quę veteris refert cognomina Brenni,
Cuius adit vitreis rura Viadrus aquis.
Valdemaro dominis amiſſo paruit illis,
Quos dedit haud vna ſors variata vice.
Primùm Boius habet Princeps, Rex deinde Boem*,
Tum Marcomano venditur illa duci. *Marchiona tus Brandeburgius.*
Hinc ad Miſnenſem precio delata Vilhelmum,
Aequa viris ſolitum ponere iura ſuis.
Illius inuictam furioſa Boemia dextram,
Non vno ſenſit Marte fugata loco.
Nam cum fratre Pragam Friderico cinxerat armis,
Quam verſurus erat, ſi licuiſſet, humo.
Nam Sigmundus eos iuſsit decedere Cæſar,
Pro cuius bellum mouit vterque bono. *Sigismundus Imperator.*
Brixia quàm non ſegnis eras, & Thabora nouit,
Regia quoque ſita eſt tuta Corona, Lapis.
Frater vt Enſiferi tuus eſt Ducis auctus honore,
Saxonię capiens Cæſare dante ſolum.
Sponte Viadrea, fuerat quæ vendita, terra,
Ne ſtatus imperij diminuatur, abis.
Fœdus & ipſe nouas iterum cum Principe Catto,
Quod patruus paulò fecerat antè tuus:
Cùm pro communi ſociarunt arma ſalute,
Et Stellatorum vi pepulere manum. *Sanctio hæreditaria inter Turingos & Heſſos.*
Magnus erat bello, ſed maior pace Vilhelmus,
Anteferens Marti dulce quietis opus.
Miſnia quàm felix illo ſub Principe tellus,
Hoſtis enim vidit nullius arma ſui.
Pleiſenſi, fato functus, tumulatur in vrbe,
Quæ clarum antiqua nomen ab arce tulit. *Aldeburgum.*
Ipſe carens natis, fratri bona parta relinquit,
Qui cum egit placidos & ſine lite dies.

VILHELMVS III. Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ.

CÆſaris virtus caſtris perſpecta Vilhelmi,
Extulit illius non ſine laude decus.

Externos ipſum iuuit tolerare labores,
Ferret vt in patriam commoda tanta ſuam.

Factio Huſſitica vaſtat Miſniam.

Reſtitit inſano non fracta mente Boemo,
Vaſtanti ripas Albis vtrinque tuas.
Paſſa fuit nunquam maiorem Miſnia cladem,
Quam tunc turba furens cædeque & igne dedit.
Adiuuat iratos quorundam perfidus ardor
Nobilium, coluit quos fera turba duces.

Auſtia vrbs Boemiæ. Grimma vrbs Miſniæ.

Auſtia ſi poſſes, vel tu Grimma edere vocem,
Nota omni populo nomina fœda forent.
Vbi us indomitum præſul cùm Marte Sicambrum
Hoſtem, de Suæti pellere vellet humo:
Noriciæque ſuis cùm trudere finibus vrbis
Albertus valida Francicus arma manu:
Adiungens forti ſocias cum milite vires,
Duxit adoratam turpe negare fidem.

Bellum ciuile inter fratres.

Quis tibi tam miti bellum furiale Vilhelme
Suaſerat, in fratrem cùm ruis enſe tuum?
Quos vix expuleras prius è regione Boemos,
Turba ferox ſignis militat illa tuis.
Agmina iam campis ſtabant diſcordia fratrum:
Non paſſus peragi eſt hoc Deus ipſe nefas.
Miles ait fida Friderico voce, quid horres?
Intorto hoc frater, ſi cupis, ære cadet.
Non cadat, iſte re fert: fratris mihi parce ſaluti,
Expoſita eſt telis cætera turba tuis.
Peruenit vt fratris vox hæc in caſtra Vilhelmi,
Conſilij cœpit pœnituiſſe ſui.
Colloquium poſcens, germani vt pendet in vlnis,
Blanditijſque preces addit, amicus abit.
Non lux fauſta magis fuit his regionibus vlla,
Propitio miſeris ciuibus orta Deo.
Firma fuit poſthac charorum gratia fratrum,
Gratia conſilijs non violata malis.
Dotem Sileſias Auguſtæ coniugis vrbes,
Poſt mortem Alberti Cæſaris, enſe petit.
Vrbe tenet tumulum cum fratre Vilhelmus eâdem,
Ac prope dilectum conditur ANNA virum.

ALBER-

ALBERTVS III. Animoſus, Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ, Gubernator Phryſiæ.

NOmen ab inuicta cepit virtute Rolandi
Albertus, quod ei caſtra dedere ſeni.
Bis ſex annorum puer, alta raptus ab arce eſt, *Aldenburgum.*
Pleiſena fœcundus quâ fluit inter agros.
Ipſe Palęſtinas adoleſcens iuit ad oras:
Viſere religio tunc loca multa fuit. *Iohannes rex Daniæ.*
Cimbrorum neptim Regi deduxit, & inde
Lubecis gratus ciuibus hoſpes erat.
Illius admonitu legem ſanxêre pudicam,
Atque maritali conſuluere thoro.
Mox legit in celebrem quoq; Cæſar auunculus aulam, *Fridericus III. Imperator.*
Primus vbi iuuenum ſtrenuitate fuit.
Pannonium æquauit virtute & pectore Regem,
Hannibali Fabius cui reputatus erat.
Germanis capta minitatus vincla Vienna,
Captum Matthias hoc Duce liquit opus. *Matthias R. Vngariæ*
Signa annoſter ſex victricia mouit in hoſtes,
Pro populis pugnans Maximiliane tuis,
Quas Dux Menapius terras ſubduxerat armis,
Rurſus ei fauſta victor ademit aue. *Bella Belgica.*
Littoreos forti cum Flandro cogit Holandos,
Teque ſubire ſuum flaue Brabante iugum.
Inde tua externas acceſsit gloria gentes,
Dexteraque Imperij dictus es eſſe manus.
Optauit votis viduata Boemia Regem *Georgius R. Boemiæ.*
Hunc ſibi, pôſt mortem Pogiebrade tuam.
Maluit aſt alij intactam ſeruare coronam,
Tradita quàm cupida ſumere ſceptrâ manu.
Illius auſpicijs primùm caput extulit altum,
Vrbs in Sudeto diues & ampla ſolo. *Annebergum vrbs condita.*
In pede Peliaci quæ nunc iacet inclita montis,
Foſſus vbi argenti meſſe niteſcit ager.
De qua magnificam Miſnæ quoq; condidit arcē,
Quæ de colle tuas proſpicit Albis aquas.
Præmia pôſt belli caſus, vitæque pericla, *Phryſia ſubacta.*
Dat regimen Phryſij Cæſar habere ſoli.

Quod ſibi dum ſumptis bellator vindicat armis,
Conatu medium concidit inter opus.
Infeſta Phryſiam Lacheſi ſublatus ad Embdam,
In patriam, vt debet non redit inde ſuam.
Spectat in occaſum qua parte vrbs Miſnia ſolis,
Coniuge cum Zedena contumulatur humo.
Quem pater antè locum Fridericus legerat, atque
Cæſaris Auſtriaci, mater amica, ſoror.

Sepulchra Miſnæ.

GEORGIVS BARBATVS Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ.

DEdita bellorum ſtudijs tibi prima Georgi
Ætas, audacem cùm ſequerere patrem.
Fert ſocio Phryſias Burgundo ſigna per vrbes,
Præmia pro patrio iuſta labore petens.
Saxonicis eadem reparat robuſtilior armis
Bella, nec auſpicijs non gerit illa bonis.
Groningos implet flammis hoſtibus agros,
Euertit captum ſæua per arma Thamum.
Non animus præſens, non defuit ardua virtus,
Sed cœptis magnis ſors inimica fuit.
Omnibus ad pacis conuerſus viribus artes,
Depoſuit duri flebile Martis opus.
Aurea reſtituit Saturni ſecula, nulla
Nec tormentorum cura, nec enſis erat.
Donec in arma feros Alecto mouit agreſtes,
Plurima qui furijs damna dedere ſuis.
Hos, prope Francorum dictam de nomine ſedem,
Strauit: ſanguineas Vipparis egit aquas.
Perſoluit meritas itidem Molhuſia pœnas,
Et vetus amittis ius Smalachalci tuum.
Maſsiliam peteret cùm Cæſar Carolus vrbem,
Miſit ei lecta nobilitate manum.
Thraciaque adiuuit propellere finibus arma
Auſtriacis, Turca depopulante ſolum.
Iura domi populis, & leges condidit æquas,
Ac placida rexit pace quietus humum.
Egerat ille ſui ſatis æui tempora felix,
Si ſpectes cunctas, quas habet orbis, opes.
Hoc miſer heu nimiũ, quòd paucis perdidit annis,
Omnem ſpem ſtirpis progeniemque ſuæ.

Bellum ruſticum. Francohuſia vrbs. Molhuſia Schmalachalcii. Carolus V. Imperator.

Tum

Tum ſuper ipſe dies non multos vixit,& acris,
Creditur extincto cauſa fuiſſe, dolor.
Miſnenſi princeps hic vltimus vrbe ſepultus,
Conditus ad patris eſt natus vterque latus,
Barbara Sarmatici Caſimiri filia Regis;
Iuncta prius thalamo,iungitur & tumulo.

Caſimirus R. Polon. [?]

Henricus II. Pius, Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingiæ, Marchio Miſniæ.

A Patrijs Syrias terris acceſsit ad oras,
Hoſpes & Heſperium venit ad vſq; fretum.
Scilicet vt ſanctis Henricus ponere terris,
Pro veteri poſſet relligione pedem.

Peregrinatio Palæſtina & Hiſpanica. [?]

Multa ſolo poterat memorare pericula,duro
Sepius acta ſibi tempore,multa mari.
Euaſit Phryſium patria virtute furorem,
Cùm Franicæ rupto fœdere, captus erat.
Nec ſecus ac patiens illa omnia vicit Vlyſſes,
Auſu magnanimo,conſilioque bono.
Redditus ac patriæ diuino numine terræ,
Saxa tenet montis Neritos alta tui.
Tum Fribergenſi ſedem ſibi collocat arce,
Tranquilluſque datę munera ſortis amat.
Hoc condi cœpit Marianus principe colis,
Lauta metalliferis vrbs celebrata iugis.

Vuolchenſteinum, vrbs Marieber-gum vrbe condita. [?]

Debita defuncto nactus moderamina fratre,
Henricus patriæ factus amore parens:
Eximium veræ meruit pietatis honorem,
Quòd ſanctæ inſtaurat relligionis opus.
Hoſpitiumque pijs aperit doctoribus,atque
Excipit excelſi dona benigna Dei.

Henricus auctor & defenſor religionis renouatæ. [?]

Heroes inter magnos,animaſque beatas
Aetherei fulgens ſideris inſtar erit:
Quando ſua in ſanctis ornabit munera Chriſtus,
Præmia pro meritis digna cuique ferens.
Tempore commiſſas non longo rexit habenas,
Iam factus multa debilitate ſenex.
Fribergum ſedes fuerat gratiſsima viui,
Nunc quoq; defuncti corporis illa domus.
Quem prope ſex teneri, ſublati morte nepotes
Præpropera,tumulis nomen inane tenent.

Sepulchra Friberg.

His

Hîc Mauſolei ſtat mole erecta, nitenſque
Marmore, Mauricij ſplendida tumba Ducis.
Salue ſancte ſenex, cœleſtibus addite templis,
Præſenti cernens lumine, Dive DEVM.

PETRI ALBINI NIVEMONTII

IN MARCHIONES MISNIÆ DISTICHA.

BRVNO Frid.F.

BRVNO Vultechindi generoſo ſtemmatè natus,
Miſnïacos fines Aucupe dante tulit.

RIDACVS Dives.Brun. F.

Quod vero DIVES fueris cognomine dictus,
Teſtantur ludi Martis in vrbe dati.

CAROLVS Ridaci F.

Excluſit CAROLVM ſcelerata calumnia regno;
Hanc ſortem placidè mens generoſa tulit.

GVNTHERVS Brun F.

Non ſplendore minor GVNTHERE es fratre RIDACO,
Iugera qua glaſto læta Turingus arat.

ECHARDVS .Gunth.F.

Neglecto CAROLO me prætulit OTHO ſecundus
Præfectum terris. Miſnia terra, tuis.

GVNCELINVS Gunth.F.

Eijcit HERMANNVM, qui terrę Miſnidos hæres
Verus erat, ſed pòſt carcere clauſus obit.

BRVNO Gunth.F.

Actus in exilium dum frater ab vrbe recedit,
Fidus hic HERMANNO Miſnica caſtra regit:

HERMANNVS Echardi F.

HERMANNVS Giſalæ precibus ſua iura recepit,
Contudit & vires, ſæue Polone, tuas.

ECHARDVS II. Primi F.

Exuiturque bonis, eademque reſumit. & inde
Imperio fidam milite præſtat opem.

GVNTHERVS Echardi I. F.

Militat HENRICO, cui ſunt cognomina Sancti,
Sarmatici auertit foedaque probra iugi.

DEDO I.

Agnatæ ſtirpis poſt fata hic vrbe potitus.
Myſnide, defendit Saxona iura manu.

DEDO II. primi F.

Perfida me proprij ſervi [proh] dextra peremit,
Naturæ ut ſolus nocte ſilente vaco.

HENRICVS I. Ded. I.F.

Vi perto

Viperto à Comite eſt magna cum clade repulſus,
Rolando celebris quà Belegora iacet.
HENRICVS II. Primi F.
Cepit hic agnatum, caueæq́ue incluſit; at hæres
Illeſit, hoſtiles & fugit arte manus.
THIMO Diterici F.
Huic promiſſa quidem, ſed non eſt tradita' tellus
Miſnica, quam Natus ſorte fauente tulit.
CONRADVS Thim. F.
Celſæ opera RIXAE data Miſnia ceſsit & inde
Conrado ob magnam Luſatis ora fidem.
OTHO Conr. F.
Conditor hic Cellæ, & Portæ inſtaurator opimæ,
Sudetis coluit lauta metalla iugis.
ALBERTVS I Oth. F.
Quòd Patrem capis, & Fratrem quod pellere tentas
ALBERTE humani eſt id minimè ingenij.
DITERICVS Oth. F.
Inſidijs DITERICE domiq́ue, foriſq́ue laboras
Vtte foris vitas, proderis ære domi.
HENRICVS Illuſtris. Dit. F.
Hoc platanus frondes argentea Principe geſsit
Autatas, vbi ſtat Norica ſtructa domus.
ALBERTVS II. Henr. F.
Degenerem à prauis te moribus illa vocarunt
Secla, quibus dederas plurima damna tuis.
DITERICVS Sapiens Henr. F.
Afficit ingenti DITERICVS clade Notangos
Nomina qui Craſsi, qui Sapientis habet.
FRIDERICVS Henr. F.
Geſsit Anhaltinis cum fratribus acria bella,
Nomen ab ingenio qui vehemente tulit.
HENRICVS Henr. F.
ALBERTO HENRICVS bellis à fratre petitus
Cum Nato vetax Exulis omen habet.
FRIDERICVS Tutta, Dit. Sap. F.
Pontificum cupidis dum non indulgeo votis,
Proh mihi dant cerafis toxica mixta necem.
FRIDERICVS Fortis, Alb. F.
Per varios caſus, per mille pericula rerum
Non ſine diuina ſceptra tueris ope.
DIZEMANNVS.
Erudiendus eram, non occidendus ad aras:
Verùm ego pro votis fata nefanda tuli.
FRID. Claudus, Frid. Fortis F.
Dum crepera arma fremũt ante arcis moenia Zuccæ
Pectus ab obſeſſo miſſa tibi haſta ferit.
FRID. Grauis, Frid. Fortis F.
Non virtute minor proauis, nec robore & armis,
Romanum eſt Princeps lectus ad Imperium.

FRID.Strenuus, Frid. Grauis F.
Hoſtibus haud tergo, forti ſed pectore notus
Multa domi fecit fortia, multa foris.
BALTHASAR, Frid. grauis F.
Stellatos domuit, Voidorum diruit arces,
Multos ad iuſtum compulit officium.
GVILIELMVS, Frid. Grauis F.
Marte ferox iuuenis, patriam colit inde, ſuiſque
Longæua partas pace relinquit opes.
LVDOVICVS Frid. Grauis F.
Hunc Alberſtadium, Pabeberga, & mœnia Mogi
Cum Parthenopoli Pontificem celebrant.
SIGISMVNDVS Frid. Gradis F.
Mersburgi veteres hic rexit Præſulis aras:
Sed diuturna viro non data vita fuit.
GVILIELMVS Frid. Stren. F.
Me duce ſtagnanti quam flumine perluit Vnſter,
E dubia in ſtabilem eſt terra recepta fidem.
GEORGIVS Frid. Stren. F.
Magnificus Princeps, & iuſtis ſtrenuus armis,
Et pius, & patriæ cura GEORGVS erat.
FRID. I. ElectorSax. Frid. Stren. F.
FRIDRICO haud melior bello, & felicior alter
In rota rerum conditione fuit.
FRIDERICVS Simplex, Balth. F.
Simplicitas eſt digna quidē, FRIDERICE, fauore:
Sed tua ſimplicitas penè nociua fuit.
FRID. II. Elect. Sax. Primi F.
Amittis natos irati fraude miniſtri:
Quos reddunt ſubitò vota ſacrata dijs.
SIGISMVNDVS Frid. I. Elector. F.
Felix hic, molli niſi captus amore fuiſſet:
Namque ideo fratris vincla tuliſſe ferunt.
GVILIELMVS I. I. Frid I Elect F.
Diſſedit placido calidus cum fratre VVILHElmus,
Non ſine vi, ſed amor carior inde fuit.
ERNESTVS Frid. II. F. Elector.
Prole virens, ſplendore potens, & Marte togaque
Clarus hic, & patriæ firma columna fuit.
ALBERTVS Frid. II. Elect. F.
Vt nunquam deiectus equo iocularibus armis
Hic fuit: in bello nunquam ita victus abit.

P. LOTI-

P. LOTICHII SECVNDI

ILLVSTRIS FAMILIÆ SAXONICÆ HEROES AC PRINCIPES.

AD IOANNEM GVILIELMVM Saxoniæ Ducem, & Landgravium Thuringiæ.

VAſta iacet, Boreæ flabris obnoxia, tellus:
Diues agri, diues pecoris: quam ſpectat ab alto,
Tingere quę nunquam cani ſe fluctibus audet
Oceani, ſtellis ſemper ſitientibus Arctos:
Rhenus ad occaſum, proniq́ue cubilia Solis
Terminat: Auroram, Nabathæaq́; regna Viſurgis
Aſpicit: hybernos Chauci, genus acre, Triones,
At latus, vnde madens imbres denunciat Auſter,
Obnobij claudunt montes: quibus arduus exit
Oceani refluas Amaſis qui turbat arenas.
Illa parens regum tellus, quibus aſpera cordi
Prælia ſemper erant: ſtatuas, lucoſque colebant
Relligione ſacros priſca: ſæpè horridus anguis,
Conſcia ſæpe vetus terrebat pectora quercus.
Præcipuè Heroas, pugnataque bella canebant,
Solennes epulas inter, magnaque ſepultos
Voce ſalutabant reges, animaſque vocabant.

VVITICHINDVS.

Primus auis, proauiſque potens, & diuite regno
Sigardi pronepos: cum iam gens aurea paſsim
Chriſtiadum, ſcelus elueret luſtralibus vndis:
Flore virens animi primùm VVITICHINDVS, & æui:
Defendit veteres ritus, moremque ſacrorum:
Per caput & ſanctam ſolitus iurare coronam,
Sideraque & patria cultos formidine lucos,

Manſuras, Diuis quas ipſe ſacrauerat, aras.
In clypeo Sonipes excuſsis liber habenis
Emicat: & volucres hinnitu diſijcit auras
Arduus, alta petens: iuxtaq; inſigne paternum,
Lucida dimidiæ ſinuantur cornua Lunę.
Poſtremo caſtris toties exutus, & armis
Iam ſenior, vita donatus abiuit; & vltrò
Abluit antiquæ tandem contagia culpæ;
Nudarum patrio tingens in gurgite corpus,
Ipſe ſalutiferi perfuſum fluminis vnda,
Cæſar ouans, dudum vindictæ oblitus, & iræ,
CAROLVS excepit, gremioq; amplexus amico eſt:
Et vanos Diuûm iuſsit dediſcere cultus.
Lætitia fremuêre vrbes, ſeptemque Triones.
Vſq; adeò pulcrum eſt, & nobile, parcere victis:
Pulcrius, indomitas quàm bello ſubdere gētes.
Inde potens latè, quà Lupia, quà pater errat
Albis aquis, Albis ducibus, bello inclitus Alpis:
Quaq; rapax tumido cāpos ſecat amne Viſurgis,
Iura dedit: donec defectis viribus æger,
Immemor annorum, ſeniiq; oblitus, in hoſtem
Dum ruit, humanos finiuit morte labores.

VVITICHINDVS II.

Filius hinc patrij generoſus nominis hęres
Accepit veteres Myſos, terraſque regendas:
Quas fluuio Pliſsina ſuo, quas vtilis agris
Irrigat, & ripis formoſus Eliſter amoenis:
Saxoſumque ſonans ſpumanti gurgite Sala.
Inde vetus Sponſo genus, & natalis origo:
Heroumque domus ſe ſanguine ſcindit ab vno:
Herôum, qui præſtantes virtute, ſub Arcto
Iuſtitia rigidas gentes, & legibus æquis
Formarunt primi, vitæ melioris ad vſum.

OTHO MAGNVS.

Hinc quoq; (ſi fratrum ſpectes à Sanguine ſtirpē)
Magnus OTHO, date thura Duces, date manibus
aram:
Hic vir, hic eſt, cui veſter honos, cui gloria veſtra
Imperijque decus fuit, & Germania curæ,

TIA-

TIAGRINVS.

Proximus innocua populos in pace regebat,
Maxima cui Diuûm cultus abolere profanos
Cura fuit: cenſuſque ideo TIAGRINVS, & ædes
Conſtituit: magnique adiecit ponderis aurum
Illis, qui genus indocile ad meliora vocantes
Sacra propagarent, lumenque errantibus eſſent.

DIETMARVS.

Filius huic, primis nemorum ſtudioſus ab annis,
Venatu tolerare famem, brumamque ſolebat:
Cornigeros TETMARVS agens in retia ceruos.
Impiger ex humeris pharetram ſuſpendit, & arcũ:
Solertique altos cingens indagine montes
Militat in ſyluis, rigidiſque iraſcitur vrſis:
Et foribus rictus præfigit, & horrida terga.
Scilicet vt melius, ſi quando bella vocarent,
Imbribus, Hercinioque gelu duratus, & æſtu,
Militiæ poſſet duros perferre labores.

THEODORICVS.

Suſcipit hinc natus rerũ THEODRICVS habenas,
Marte potens: gleba qui pingues vbere campos
Finibus adiecit patriæ; quà flumine pulcro.
Aduena foecundos veſter perlabitur agros:
Vnde etiam ſeri titulum geſſêre nepotes.

DEDO.

Nec DEDO minus enſe bonus, minus vtilis haſta:
Nec belli tenuit quiſquam Dux aptius artes:
Siue opus extenſos metiri caſtra per agros;
Seu faciem pugnæ componere: ſiue profundas
Subſidio foſſas poſitis deducere caſtris.
Defenſura cauas & propugnacula foſſas.
Hunc conſanguineo pro Cæſare bella gerentem
Mirati ſtupuêre Hunni, ſtupuêre niuoſum
Potantes Tanain, gelidique Boryſthenis vndas:
Omnia cùm ferro tumidi prope flumina Salæ
Sterneret: ac caperent vix mœſta cadauera ripæ.

THEODORICVS II.

Nec minus in clarum famæ proceſsit honorem,
Nomen aui referens Natus qui patre ſub ipſo
Prima rudimenta,& primos exegerat annos:
Virtutem primo Patris miratus ab æuo.
Appēninigenam fractis hic cornibus Arnum
Contudit,exultans campo bellator aperto.
Sicut vbi torrens,nymbis hyemalibus auctus,
Spumeus,& feruens,inſano vortice ſyluas
Proruit; & meſſes latè populatur, & agros.

THIMO, ET CONRADVS. P. ET F.

Necte,magne THIMO, tacitum, natūq; relinquā
CONRADVM,inſignem fama, & præſtantibus armis
Marchio qui primus tecum Miſneidos oræ (armis
Victor in Eridani campo,atq; Inſubribus armis,
Auſonium multo compleuit ſanguine Tybrim.

OTHO.

Hinc OTHO ciuili præcinctus tempora quercu,
Ditibus argenti venis,ærisque ſcatentem
Fribergam,& Phylires excelſam condidit vrbem.
Inter Hamadryadas Phylire formoſa ſorores
Venatrix, timidas illis in montibus olim
Inſidijs,curſuque feras agitare ſolebat:
Et grauidam iaculis pharetram,tremulūq; gerebat
Miſsile,quod liquidas ad Eliſtri creuerat vndas.
Sed cum virginei ſpolium,& decus omne pudoris,
Dum iacet,& dulcem carpit ſecura quietem,
Impius in ſola paſtor conualle tuliſſet:
Non vltrà potuit tantum perferre dolorem,
Tabenteſque artus anima indignata reliquit.
Alma ſed inſontis caſum miſerata puellæ
Excepit gremio tellus:tiliamque virentem
Oſsibus ex Phylires,liquidas emiſit in auras.
Nunc quoq; per ripas illic,per mollia creſcunt
Prata,per excultos tyliæ,ſub mœnibus,hortos:
Sæpius & gratas præbent venantibus vmbras,
Vnde vrbi indigenæ nomen fecêre priores.

THEODORICVS.

Inclytus hinc ataui THEODRICVS nomen ade-
ptus,

Inſe-

Infelix medici bibit atrum fraude venenum,

HENRICVS.

Natus adhuc primo cùm vix pubeſceret æuo
HENRICVS,qui poſt factis clariſsimus, omnes
Egregia proauos poſt ſe virtute reliquit.
Illi,cum ſuperas liquiſſet auunculus auras,
Conditus extrema Ludouicus Iapygis ora;
Pro meritis Cæſar FRIDERICVS tradidit acres
Tyrigetûm populos,titulisq; illuſtribus auxit.
Belliger hic clarum certamen equeſtribus armis
Edidit,effigiem belli:clangore tubarum.
Antra reſultabant latè,monteſque fremebant e
Vincentûm plauſu pariter,ſonituque cadentûm.
Campus erat,virides claudebant vndique ſyluæ:
Aureaque in medio diffuſis frondibus arbor
Stabat:erant aurum rami,folia aurea ramis:
Aureus & cortex,at ſola argentea radix,
Hanc circum nitidi,precium victoribus,enſes,
Et galeæ inſignes criſtis,virideſque coronæ.
Nec minus heroûm,per gramina mollia, natæ
Candida virgineo quatientes corpora motu
Ducebant choreas,

ALBERTVS.

Quas inter filia magni
Cæſaris,in Thalamos ALBERTI ducitur vxor
Margaris.

FRIDERICVS, ET TIZMANNVS.

Inde ſati FRIDERICVS,& acer in armis
Solennes ferro cæſus TITZMANNVS ad aras.
Sed profugæ luctus genitricis; & horrida bella,
Dum genitor natos iuſtas irritat ad iras,
(Ah nimium teneri ſtimulis agitatus amoris)
Mens reticere mihi·Sprea ſanguine fluxit,& ingens
Albis,& Hercinijs quæcunq; è montibus orta
Tyrigetum pingues humectant flumina campos,

FRIDERICVS.

Nominis eiuſdem,ne dira licentia ferri
Impunita foret, latronum filius arces
Diruit.

FRI-

FRIDERICVS III.

Hinc natus, ſublato Patre, rebellem,
Vltus auos, multis impleuit cædibus vrbem:
Corniger vndoſo quà flumine ſtagnat Hieras:
Captaque ferratis affixit poſtibus arma.

FRIDERICVS IV.

Quartus in aduerſos victricia ſigna Boemos,
Pro decore imperij, generoſi Cæſaris vltor,
Mouit; & inſigni FRIDERICVS laude potitus,
Saxonici clarum tulit Electoris honorem.
Ille etiam curans tranquillæ commoda pacis,
Hoſpitium nobis ad Eliſtri condidit amnem:
Egregiaſque animos precijs accendit ad arces.

FRIDERICVS V.

Proximus Arctoi ſpolijs Aquilonis onuſtus,
Impoſuit leges domito FRIDERICVS Hauelo.

ERNESTVS.

Tu quoque coniugio felix, & prole nepotum
Caſſubios, ERNESTE, ſagittiferoſque Polonos,
Odera piſcoſo quà labitur amne, coerces.

FRIDERICVS VI.

Filius armorum patriam formidine ſoluit:
Feliceſque petens Solymos, & nobile buſtum,
Vicit iter durum pelagi, & Curetida terram,
Gortinam, Gnoſonq;, & in æquore Cycladas alto,
Phoebeamque Rhodon vidit, genteſque beatas
Phœnicum, Syriæq; hortos, quà Tigris, & ingens
Labitur Euphrates, cœlo gratiſsimus amnis.
Ille etiam dubijs, magno pro Cæſare, rebus,
Threicium Auſtriacis auertit mœnibus hoſtem,
Regnatorem Aſiæ, Thracaſq;, Getaſq; trahentem,
Et magnas Orientis opes: cùm Norica ſaxa,
Et tremerent latè Nymphæ Iſtrides, Iſtrides vndæ,
Illum Aponus vidit, celſæque Antenoris arces,
In ferrum ruere, & Pataui proſternere muros.

IOANNES.

Enſifer hinc, nec fratre minor pietate, nec armis,

IOAN-

IOANNES motus compeſcuit acer agreſtes:
Qualiter Arctois Boreas emiſſus ab antris,
Atra ſerenato depellit nubila cœlo.
Strenuus hinc per ſaxa ruens, per tela, per ignes,
Inſilijt primus Regalis mœnibus Albæ:
Inque expugnato clarus ſtetit aggere victor,
Sublimes tollens aquilas: auſisque potitus,
Muralem querna meruit de fronde coronam.
His ducibus cœlo caput extulit aurea, quæ nunc
Relligio totum ſincera perambulat orbem:
Quam probitas & ſancta fides comitatur euntem:
Et concors pietas ius omnibus vna miniſtrat.

IOANNES FRIDERICVS.

At nomen qua voce tuum, quoue inclyta facta
Carmine, Ioannes Friderice binominis, æquem?
Quæ tibi non laudes, qui non debentur honores?
Pectore magnanimo ſimilem tibi nulla tulerunt
Secula, nulla ferent: dulcem profundere vitam,
Et fortem, cara pro relligione, cruorem
Promptus eras: mortemq; Dei pro laude paciſci:
Commotus nunquàm præſentis imagine lethi,
Scilicet accenſum diuino pectus amore,
Nō vis vlla domat ferri, non fulminis ignes:
Qualiter ipſe pater vitæ, Sol lucis origo,
Sol oculus mundi, cæcâ ſub nocte laborat
Interdum, victis mox nubibus aureus exit.
Macte animo Germano, & macte ingētibus auſis:
Sic etiam dilecte Deo, quod mille probatum,
Tentatumq; modis, reducem fidiſsima coniux
Vidit, & in cara domini ceruice pependit
Ante obitus: dulcem nati vidêre parentem:
Et nunc in patria cineres tellure quieſcunt.
At veteres inter proauos, cœtuſque piorum,
Spiritus exultat liber, fruiturque perenni
Lætitia, æterniſque bonis diſcrimina penſat.
Salue magne pater patriæ: tua gloria viuet:
Donec in occaſum roſeo voluentur ab ortu
Sidera: donec erunt latices Aganippidos vndæ.

Inde ſatus, fauſto coniungit fœdere tædas
Sponſus: & illuſtres thalamos iam nubilis intrat
Dorotheæ, primoſq; parat coniungere ſomnos
Sponſus, in æſtiuo rapidus quem puluere Moſa,
Somiaque heroum multa inter millia vidit:
Dum fretus ſuperis, & equo ſublimis, & haſta
Fulminat; & magno ductor clamore triumphat:
Lætaque tranquillo circumſpicit agmina vultu,
Qualiter Auroræ formoſo præuius aſtro
Lucifer ardentes nitidiſsimus explicat ignes.

GEOR. FABRICII
CHEMNICENSIS
ANNALIVM VRBIS MISNÆ
LIBRI III.

MARTINVS SALBACHIVS.

FAbricio, Suadæ qui iure medulla vocatur,
Hactenus hæc varijs ſunt celebrata modis:
Numen homo, genij ſancti, clariq́; triumphi,
Fortia facta patrum, vera feraxq́; fides.
Imbuta eſt ab eo pietatis amore iuuentus,
Vt toto ſpiret pectore & ore Deum.
Fabricius thalamos ornauit, carmine planxit
Lugubri, tumulis oſſa relata ſuis.
Iam rude dignus erat: ſed enim conſiſtere mentem
Non ſinit, ætherea qui venit arce, vigor.
Ergo antiquam vrbem, trahit à qua Miſnia nomen,
Æterna dignum poſteritate, canit:
Saxoniæ iam fata Ducum, & pia facta canente,
Omnia Fabricio ſunt data, fama feret.

AD ANNALES VRBIS MISENÆ EDITOS A GEORGIO FABRICIO.

ANDREAS ELLINGERVS Medicus.

ANnales Fabricij polita charta
Lucem cernite aut bona: & placete
Miſenæ populoq́; patribusq́;
Vrbis: qui genuitq́; vos parenti
Veſtro dicite, dudùm vt inchoatum
Auguſtæ hiſtoriæ elaboret orſum,
Qua res Saxonicas ab inde magno
Sighardo repetit, bonisq́; ab vsq́;
Regibus Vitichindo Othonibusq́;.
Non neſcimus enim, quot ille luſtris,
Quot voluentibus immoretur annis
Huic felici operæ: incitate quæſo
Cunctantem, vt monumenta quæ pedeſtri
Iam perfecta ſtylo premit: labores
Maturos nimium, ſatisq́; cultos:
Diâs luminis afferat ſub auras,
Aſpirante fauore Principali.
Nam quæ deficimur vel hunc in vsq́;
Diem Teutones elegante rerum
Geſtarum hiſtoria atq́; copioſa,
Vnius labor & beata nobis
Hanc induſtria comparare poſſit:
Admiranda nepotibus relinquens
Arguta monumenta ſcriptionis.
At vos interea euolate, dulces
Magni progenies patris libelli,
O pura nitidi toga libelli:
Illuſtri patriamq́; claritate
Seclis acta prioribus docete,
Annales Fabricij erudita charta.

GEORG.

GEORG. FABRICIVS CHEMNICENSIS.

CONSVLIBVS ET SENATVI MISNENSI VIRIS PRVDENTISS.

S. P. D.

VIATOR FESSVS LOCVM EDITIOREM CONSCENDENS, INTERDVM RESPICIT: interdum oblata occaſione, aut vrgente neceſſitate etiã reſiſtit, vt poſt aliquantulum quietis iter ſuum perficiat celerius. Idem mihi accidit in rerum Saxonicarũ inueſtigatione verſanti, quæ ſunt ad illud argumentum neceſſaria colligenti: vt quædam ad hanc vrbem; vnde Principum origo vetus eſt, attinentia annotarim; quaſi reſpirans ab illa narratione continua; quæ multum diligentiæ & laboris requirit, cùm ipſe à labore aut moleſtia nunquam eſſe poſſim vacuus. Vtile ſine dubio eſt, ſcire rerũ humanarum variam & mutabilem conditionem, non ſolùm in imperiis & regnis, ſed in ſingulis etiam vrbibus, quæ bona ipſis, quæuè aduerſa contigerint. Certum enim eſt in regno Eccleſiæ caſum & fortunam nihil eſſe: nec eorum nomina piis nota ſunt: cùm magna paruaque, firma & infirma, priuata etiam non minus quàm publica, á Deo ipſo regantur: nec vlli loco, tempori, aut hominiad cuſtodiam & ad diuturnitatem deſit Dei præſentis & reſpicientis prouidentia. Hanc etſi ignorent homines prophani, & repræhendant quidam, vt pulchcrrimis Horatij verbis vtar, inſanientis ſapientiæ conſulti: tamen ratio loquitur in Sophocle, ἔτι μέγας ἐν οὐρανῷ Ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει. Diuinæ prouidentiæ teſtis eſt, Senatores, ciuitas veſtra, Henrici primi, optimi Imperatoris vrbs: quæ in ſuis initiis, ac primo veluti ortu eſt Vngaricis, Polonicis, Boëmicis bellis vexata: quæ in progreſſionibus & incremento oppugnata, capta, cremata; vidit ciuium cædes, & principum exilia: quæ ſæpe terræmotus, ſæpius inundationes, inediam, & (vt veterum Theologorum verbo, noſtro verò loquar idiomate) mortalitatem ſenſit: Dei tamen manu & benignitate ſeruata continenter eſt: & iam hoc ipſo tempore, lætatur potentia

Aaa 2 & felici-

& felicitate ſuorum principum, & gubernatione tranquilla ac ſalutari. Omitto commoda illa, quæ ante oculos ſunt, cœli temperiem, ſalubritatem aëris, agri vbertatem, copiam vinctorum, vallium amœnitatem, & ipſum flumen nauigabile: quæ in ſitu & ſolo ipſo munera Dei ſunt, cultuque & diligentia hominum indies fiunt fructuoſiora. Nam quid leges, quid ingenia, quid ſtudia, quid ſacra ipſa commemorem? quæ propria quodammodo loci huius ſunt, & ſi ante hac vnquam, noſtro nunc ſeculo maximè vigent. Hæc animo prudenter reputans, quis neget eſſe ſplendida & celebria? vt ſunt certè viris bonis & gratis hominibus. nam prophanis illis, de quibus modò dicebam, nullum Dei donum, nullum cœlorum beneficium ſatis amplum eſt aut habetur gratiarum actione dignum. Maiorum veſtrorum inſtitutum ſapiens eſt, qui vrbis ante annos plus quingentos à Polonis oppugnatæ, ad auorum vsque ætatem, retinuerunt ſolennem memoriam: quod aliqui veſtrûm meminerunt, & nos decet recordari ac repetere, quoties ab huius vrbis templis ac tectis, quoties à ciuium capite & ceruicibus, iniuria & calamitas ſit repulſa, in bellis, in penuria, in incendijs, in peſte, in alijs periculis: propugnante videlicet eo, qui dat ſalutem populo & regibus. Igitur quæcunque ſunt, quæ literis aut monumentis, quæue noſtris aliorumque ſcriptis cognóui, aut è parietinis ipſe erui, in hos libellos opera ſingulari ac ſtudio contuli: & adhibui alia, quæ viderentur habere aliquid ornamenti: & vt vberiores fierent, epitaphia Ducum, virorum memorabilium, amicorum etiam multorum inſerui: non quidem oſtentatione, ſed grato animo atque officio. Hos libros veſtrorum Annalium, amoris mei erga hanc ciuitatem teſtes, ad vos, Senatores prudentiſſimi, mitto, quos & mentibus benignis legere, & contra veſtros inuidos, atque maleuolos tueri debetis: ſi & amatis me, & veſtram vrbem dignam laude ipſi iudicatis.

Valete feliciter, III. Cal. Octob. A nato Chriſto
ſeruatore, anno M. D. LXIX. ab
vrbe veſtra condita anno
DCXXXIX.

IN AN-

IN ANNALES MISNENSES GEORGII FABRICII

CHRISTOPHORVS SCHELLENBERGIVS.

QVi non viſa prius fuit vrbs, neq; cognita ſcriptis,
De qua terra vetus Miſnica nomen habet:
Hac legat: inueniet quod proſit, quodq́; legentem
Delectet, curâ nec ſit inanis opus.
Tempora quæ fuerint, orta quis conditor vrbis,
Quæ creſcens vltra bis tria ſecla ſtetit:
Præſulibus quibus vſa, quibus regnata Dynaſtis,
Et quorum meritis amplificata Ducum:
Quo venerata Deum cultu, quibus inclyta rebus,
Experta & fato quas ſit agente vices:
Et quidquid decoris, quidquid laudabile Miſna
Vrbs habeat, pulchrum qui tibi ſcire putas:
Illuſtri velut in tabula breuitate diſerta,
Pagina te melius Fabriciana docet:
Quàm ſi pictura Zeuſis deſcriberet arte,
Aut fuſo præſtans fingeret ære Myro.
Formet hic in ſtatuis, illam ſi cerneret vrbem:
In tabulis pingens exprimat ille ſuis:
Iucundi formamq́; ſitus, ſpeciemq́; locorum,
Et pomis hortos, & iuga fœta mero:
Et magni fluctus Albis, Trebiſæq; rapacis
Torrentem, & Meiſæ parua fluenta breuis:
Et ſuper Albis aquas operoſorum arte fabrorum
Structum roborei penſile pontis opus:
Et turrim ad ſummum templum, quæ peruia nullis
Stat pluuijs, quamuis plena foraminibus:
Præſulis atq; domum celſam, & cum Principis arce
Magnifica, Afranæ ſplendida tecta ſcholæ:

Et quidquid pulchri ſiue intra mœnia, portas
Extra ſiue tuas, Miſnia celebris, habes:
Hæc vel picta iuuent oculos, vel ſculpta: ſed ipſa
Doctorum non ſunt æquiparanda libris:
In quibus ingenij plus eſt, cupidosq; legentum
Vberiore animos cognitione iuuant.
Delet Apelléos longæua ſenecta colores,
Inquinat informis Mentoris æra ſitus.
Ipſa operum ſolida moles abolentur ab annis,
Sponte ſua tandem ſaxea tecta ruunt.
At ſuus ingenijs honor omne perennat in æuum,
Doctaq; victurum dant monumenta decus.
Idquod in his præſtat modò digna annalibus vrbi
Fabricius Myſæ conditor hiſtoriæ,
Quo nemo antiquo felicius eruit æuo
Scitu digna, canens res, loca, facta, viros.
Felix vrbs tali laudum præcone tuarum,
Qui laudem ingenij nobilioris habet.
A quo de priſcis etiam inſtaurata ruinis
Spectatur cultu Roma recente vetus.
Romam Fabricij cupidè quicunq; reuoluit,
Nunc opus eiusdem te quoq; Miſna leget.
Quæ vati tantum debere fateberis iſti,
Quantum de te alium promeruiſſe nego.
Treueris & Narbo; atq; vrbes aliæ, ipſaq; quondam
Burdigale Decij Burdigalenſis opus:
Vrbs cantata tibi Celtes Pegneſis, & Heſſe:
Et Buſchi, atq; Gigas Lipſia dicta tibi:
Mons Annæ tibi Barthe, tibi Friberga Bocere
Carminis Heroo commemorata pede:
Magna ſuis meritò referunt accepta poëtis
Ornamenta, & ijs præmia digna ferunt.
Tu quoq; Fabricio debes hoc gratior eſſe,
Eſt decori magna quò magis ipſe tibi.
Ipſe tuam dignis laudat cum ciuibus vrbem
Miſnia, per hos magnum nomen adepta libros.

Ipſe

Ipſe colonorum viua quoq; voce tuorum
Pieria docilem format ab arte gregem:
Et quam præterea non vna terra iuuentam
Miſnis in illuſtrem mittit ab vrbe ſcholam.
In qua bis denos, & tres iam durat in annos:
Et gerit inuicta Theſpia ſceptra fide,
Commiſſam patrio complexus pectore pubem,
Hanc vt filiolos curat amatq; ſuos:
Totus in hoc, vt eos auctos pietate, boniſq;
Artibus, in patriam quemq; remittat humum.
Hoc agit, hoc vnum votis iterantibus optat,
Optantis nec ſunt irrita vota viri:
Sed dans auxilium, cœtus cum naue puſilli
Omnipotens ſanctum prouehit aura ducem:
Vt ſperata pij contingant littora nautæ,
Ingenua redeant merce grauesq; domum.
Haud plures Minyas decora Hellados, Æmonis Argo
Aurea ad Ææ vellera miſit ouis:
Nec plures Graiûm proceres in capta profudit
Pergama fallacis venter acernus equi:
Quàm ſchola Fabricij iuuenes emiſit in orbem,
Præſtantes ſtudijs ingenijq; bonis:
Quos paſſim externi fines, quos Teutonis ora,
Miſnia & inprimis angulus omnis habet:
Quorum alius diuina refert oracula plebi
Chriſtiadûm, curis inuigilatq; ſacris:
Membra alius morbo leuat ægra potentibus herbis:
Æqua alius cauſas iura profeſſus agit.
Eſt qui conſilij prudens, rerumq; peritus,
Cæſareum ſummo ſeruat honore latus.
Eſt qui præclara feliciter inſtruit artis,
Auguſta Auguſtos cognitione Duces.
Aut qui magnanimis comes eſt heroibus, aut qui
Publica curarum templa ſenator init.
Hunc profitentem audit, Muſarum inuenta, Lycæum,
Illum doctorem hæc, hunc habet illa ſchola.

 Sunt

Sunt quoq; non rari, qui docto carmine pollent,
Et ſcriptis fiunt nomina clara libris.
Dicere gymnaſij cunctos Miſnenſis alumnos,
Et quo quiſq; gerat munera quæq; loco:
Sit mora longa, & ſi cupiam, mihi pluribus horis,
Et mihi ſexcentis verſibus eſſet opus.
I nunc, & tali lingua improba detrahe ludo,
Et præceptores diſcipuloſq; preme.
I nunc Fabricij curas & carpe labores,
Ipſius & fructus pulpita ferre nega:
Et ſiue has cauſas affinge docentibus, illas
Siue: ſcholam pueros dic & habere malos.
Quis neget hoc? ſæpe eſt hæres patri vnus & alter,
Alter & ex illis eſt vel vterq; malus.
Aſſeclas tantùm bis ſenos Chriſtus habebat,
Et tamen ex illis proditor vnus erat,
Ædificante Deo ſibi puri altaria cultus,
Extruit impurus ponè ſacella Satan.
Hic idem ſua rus in idem zizania ſparſit,
In quod adoris erant ſemina iacta boni.
Sæpe fit hoc etiam, bene culta vt gleba colono
Prouentu ſemen diſpare reddat idem.
Ecquis agros adeò felices poſſidet, vt non
Inſit in his lolium, lappáue, ſiue rubus?
Non omnis fructum læto fert arbor in horto:
Mixta ſalutiferis naſcitur herba nocens.
Non tamen eſt agros ea culpa colentis & hortos,
Sed, ſiqui minus eſt ingenioſus, agri:
Sic quibus ingenium durum, & tractabile non eſt,
Si pueri nequam, ſi maneantq; rudes,
Non illud poſſunt ludi præſtare magiſtri,
Spectati ſanctis moribus, arte, fide.
Quantum operæ precium eſt prauam formare iuuentam?
Quàm graue fers morum ſancte magiſter onus!
Hoc ſed inexpertus, curæ ignaruſq; ſcholaris,
Dicere nemo poteſt, credere nemo ſolet.

Heu quàm difficile eſt alienam educere prolem,
Corrupta in patria quæ fuit antè domo.
Si pater & mater non indulgenter haberent
Progeniem, facerent officiumq; ſuum:
Atq; coërcerent virgis & fuſte ſuorum
Stulticiam puerùm nequitiamq; domi:
Nec genitor natis eſſet peccantibus auctor,
Exempla in ſeſe nec viticiſa daret:
Non ita difficiles formanda in plebe labores
Præceptorum eſſent, proficerentq; magis:
Nunc quandò non voce minax, non fronte ſeuerus,
Non durus dextra eſt verbera dante pater:
Et nimium ſtultæ leuis indulgentia matris
Filiolos teneros, quà libet, ire ſinit:
Cùm corui ſint oua mali mala, degener hæres
Atq; ipſis ſimilis, qui genuere, manet.
Sic fit vti pueros, nulli expugnanda magiſtro,
Huc illuc leuitas improbitatis agat:
In rectam vt nequeant nec voce monente reduci,
Nec ferula plagas increpitante viam.
Num minus eſt ergo bonus, & præceptor amandus,
Cui malus interdum eſt diſcipulusq; rudis?
Diſcipuli indoctos docti, ignarosq; ſcientes
Nempe docent, doceat quàm bene Fabricius.
Qui nil Fabricio diſcit doctore, docendus
Non erat, & doctum non fore dico virum.
Cumq; ſit indocilis, deſiſtat velle doceri
Hanc nequidquam, in qua proficit arte nihil.
Ergo vale dicto, quæ tradunt ardua, Muſis,
Artem humilem diſcat difficilemq; minus:
Et faber, aut piſtor, ſeu fiat linteo, ſiue
Vincla ſuas, corio de bouis, apta pedi.
Neſciat & Phœbi cùm carmina, carminet agni
Vellera, & ad veſtes lanea texta paret.
Qui verò ingenuas aliquid vult ſcire per artes,
Fabricio ſtudij præſide, doctus erit.

Phœbus

Phœbus vt Aonio fonti, ſic carmine Phœbum
Fabricius referens præſidet Albis aquis.
Ex quibus innumeri faciunt diuortia riui,
Hauriat vt plenis, qui ſitit, inde labris.
Fabricius ſtudys nullius defuit vnquam,
Si non diſcipulus defuit ipſe ſibi.
Fama ſcit, atq; æqui pariterq; fatentur iniqui,
Et malus hoc liuor diſsimulare nequit:
Quantum idem vates præcellat in arte docendi,
Diſcenti certus duxq;, bonusq; pater:
Qui ſi doctrinæ trāſfundere menſe vel vno
Poſsit in os & cor in puerile fauos:
Non detrectet onus, parcatue laboribus vllis,
Cuncta ſuæ ſectans emolumenta ſcholæ.
Hic niſi me puerum mores docuiſſet, & artes,
Haud ego nunc pueros iſta docere queam.
Tunc ego nauta tener petij, ceu Colchida, Miſnam,
Ducendus puer, & tyro docendus adhuc.
Tu, Fabrici, ductor mihi, tu doctorq;, Georgi,
Typhis in Aonia puppe fidelis, eras.
Præbebat facilem ludus mihi principis Argo:
Litterulæ aurati velleris inſtar erant:
Virtutesq;, tui quas in te cernere mores,
Ceu verax ſpecult leuis imago, dabant.
Tunc cœpi, præeunte tua mihi voce Thaliæ,
Verba poëtarum more Latina loqui.
Primus & auctor eras, vt ſe mea credere famæ
Pieris auſa, palàm ſcripta legenda daret.
Accipis ergo meos meritò tua munera verſus,
Et gratis dederas quod mihi, reddo tibi.
Hoc ego ni fatear de te, non vera profatus:
Hoc tibi ni præſtem, ſim malè gratus homo.
Sic niſi nutriſſet ſchola me Ducis alma benigni,
Cui das excelſum Miſna profunda locum:
Non eſſem, quod ſum fati bonitate, ſed illud
Quod duo erant fratres cum genitore meo.

Quos

Quos labor abſumpſit durus, plenusq́ pericli,
Terra rimatos antra metallifera.
Vos ô victuro Muſarum carmine digni,
Saxonici imperij lumina clara, Duces:
Gratia ſit vobis ludos condentibus illos,
Quos Sala, & Molda, flumen & Albis adit:
Quos non eſſe quidem ſcelerati dæmones optant,
Vt pereant artes cum pietate bona.
Qui velut in veſtra coniurant damna ſalutis,
Et vos ſæpe petunt inſidiante dolo.
Sic odio veſtri, qui Muſas vsq́ fouetis,
Sæpe locant iſtis retia cæca ſcholis.
Quæ niſi ſint, non læta diu Reſpublica ſtabit,
Doctorum numero deficiente virûm.
Sed quod hic in veſtris non deficit hactenus oris,
Floret & ingenijs Miſnia plena bonis:
Miſna & Grima facit cum Porta: copia vobis,
Et venit è ludis gloria tanta tribus.
Quorum Mauricius primam laudem inclytus auctor
Tollat, & à populo pectora grata ſuo:
Perpetuumq́ valens viuat, cœliq́ fruatur
Lætitia æternis exaturante bonis.
Altera laus Auguſte tua eſt tota, optime Princeps,
Marte potens, placidæ nec minor arte togæ.
Quo nemo Phœbi delubra auguſtius ornat,
Donaq́ dat docto ditiora choro.
Sint tua cum vita tibi ſalua ſuperſtite regna,
Illuſtres tecum ſint ſuper atq́ ſcholæ.
Aſſere conſtanter generoſa mente Camœnas:
Sis foris Alcides, Muſagetesq́ domi.
Inde canenda tibi ſument præconia vates,
Hæc erit in laudes area lata tuas.
Ad quas hoc etiam ſpectat, quod in vrbis honorem
Albinæ hiſtoricum prodit hic auctor opus.
Nam quisquis populos, florentes laudat & vrbes,
Felicis laudat Principis ille ſtatum.

Prin-

Principis eſt virtus eum ciuibus oppida quaeq,
Noſſe ſuis: vt eùm nouerit iſta bona;
His rectè vtatur, pulchra ditionis agatq,
Pro donis grates, qui dedit illa, Deo.
Ac amet, atq, aliqua mercede remuneret illos,
Qui ſcriptis ornant oppida, geſta, viros:
Qualis hic, annales hos qui modo publicat auctor,
Felici ingenij dexteritate ſui.
Qualis, eum Thule ſi Taprobanéue teneret,
Ex illo, aut ex hoc orbe petendus erat:
Et prece poſcendus, precio redimendus & auri,
Et primas inter charus habendus opes.
Qui paruos pueros doctrina, laudibus amplis
Ornat magnorum facta decora Ducum.
Et doctus cantus dat, ludibrioq, ſtrepentis
Phœbeus gerras anſeris oſcen habet:
Et ſupra inuidiam magnis cum vatibus omnem,
Exerit ornatum Daphnide fronde caput.
Atq, aliquid ſemper, non vnquam incude relicta,
Fabricius fabricat, docta quod ora legant.
Neſcio quid maius dabit his annalibus idem
In lucem, quod adhuc ſedula lima polit:
Saxoniæ ducibus gratum, gentiq, futurum
Miſniacæ: interea hos hæc legat ipſa libros.
Hanc & Miſnenſi quæ nomen cepit ab vrbe,
Vendicet hiſtoriam natio tota ſibi.
Cui ſi grata ſui modò origo eſt nominis, æqua
Cenſura hoc de te, Miſna, probabit opus.
Miſna decus gentis, felici ſidere nata,
Vſq, fortuna proſperiore rota:
In Thalminciaca terra cui conditor Auceps
Cæſareum nomen gloria prima fuit:
Veram Euangelij doctrinam, & ſacra profeſſa,
Fidum Eccleſiolæ Chriſtìdos hoſpitium:
Antiquis celebris ſtudijs, & tempore noſtro
Illuſtri multum nobilitata ſchola:

Miſna

Miſna Ducum natalis humus, tumulusq́, ſacrùq́,
Tempore præſulibus cara priore domus:
Cui cum priuatis ornata eſt curia tectis,
Cumq́, ſua laudem plebe ſenatus habet.
Ciuibus egregijs, & moribus aucta probatis,
Artibus vſa pijs, rebus amica bonis,
Nomen in his libris modò nacta perennius amni
Pro portis fluctus præter agente tuis:
Plaude tibi agnoſcens bona & ornamenta tot eſſe,
Pectore quod grator ſemper amante tui.
Te ſine Fabricij fit apud me mentio nulla,
Et ſine Fabricio mentio nulla tui.
Qui cùm me docuit, pater eſt mihi cultus vt alter,
Altera tu culta es patria Miſna mihi.
Diligo Montem Annæ, Miſnam colo: natus in illo,
Doctus in hac, grates debeo vtriq́, pares.
Vt tibi ſexennis mercedem ſoluere poſſem,
Hoſpitij, voti res foret illa mei.
Quid loquar antiquum meritum, quod Miſna dediſti
In patria ciues officioſa meæ?
Tunc Leonhardus vbi Montem Badehornus in Anna,
Vt regeret ludum, miſſus ab vrbe tua eſt.
Ipſe mihi primus præceſsit in Aona ductor,
Et primos flores ex Helicone dedit.
Et iuga me ducens ſecum ſuper alta, viamq́,
Virtutis monſtrans: hoc, ait, ibis iter.
Sed non plena viri potui veſtigia tanti
Aequare, huic nunquam parq́, ſequendo fui.
Qui me præterijt tantum, quantum ante volauit
Pegaſus, aut alios Cyllarus acer equos.
Quantus in vrbe Solon Cecropis, Spartæue Lycurgus,
Quantus in Auſonio Scæuola iure fuit:
Tantus Eliſtrinas hodie Badehornus ad vndas
Neſtoreo leges explicat ore fori.
Vt taceam reliquos, quorum natale fuiſti
Miſna ſolum, potes hoc eſſe ſuperba viro.

Per quem quando mihi, per Fabriciumq́; benignè
Feciſti, meriti quas tibi reddo vices?
Nil dare poſſum equidem, ſed quod pia numina pro me
Ambobus ſoluent, grande Mineruale erit.
Hoc animum verò gratum tibi carmine teſtor:
Hæc tui inoblita pignora mentis habe.
Inprimisq́; tuam cumulantia laudibus vrbem
Scripta feras grata Fabriciana manu.
Et complexa virum, Muſa venerabile nomen,
Et foueas doctis, & mihi dulce caput.
Auget vt ille tuum gratiſſimus hoſpes honorem,
Hoſpita præconem ſic cole grata tuum.
Omnia propitij tibi ſic ſub numinis vmbra
Sint cum priuatis publica ſalua bonis.
Perpetuatq́; velut fluctus tuus Albis euntes,
Sic tuus è iugi fonte perennet honor.

AVCTO-

AVCTORVM ET CHRONICORVM NOMINA, E QVIBVS ANNALES ISTI SVNT EXCERPTI.

AEneas Siluius.
Albertus Crancius.
Auctor de vita Henrici IIII.
Bilibaldus Pircheimerus.
Caſpar Bruſchius.
Caſpar Hedio.
Caſpar Peucerus.
Comeander.
Conradus Celtes.
Conſtantinus Phrygio.

CHRONICON.

Chemnicenſe
Erfurdianum
Geriſualdenſe
Goteſeceenſe
Iſenacenſe
Magdeburgium
Mersburgium
Miſnenſe
Neuſtatenſe
Oſchaeenſe
Peganum
Pirnenſe
Quedelnburgium
Salzenſe
Sangerhuſianum
Saxonicum
Veterocellenſe
Vinarienſe

Conradus Vrsbergenſis.
Conradus Presbyter Lauterbergius.
Coſmas Decanus Pragenſis.
Diplomata & literæ.
Ditericus Engelhuſius.
Ditmarus præſul Mersburgius.
Eraſmus Stella.
Erneſtus Broduſius.
Exequiarum liber.
Georgius Agricola.
Georgius Siffridus.
Georgius Spalatinus.
Henningus Hildeshemius.
Hieronymus Emſerus.
Iohannes Carion.
Iohannes Cuſpinianus.
Iohannes Dubrauius Olomucenſis.
Iohannes Naucleius.
Iohannes Riuius filius.
Iohannes Stumpfius.
Lambertus Schafnaburgius.
Lilius Gyraldus.
Matthæus Sarctorius.

MONVMENTA SEPVLCHORVM.

Cellenſia
Fribergia.
Lauterbergiana
Miſnenſia
Suſelicia
Vinarienſia.

Nicolaus Reuſnerus.
Petrus Appianus.
Philippus Melanchthon.
Plinius.
Ryrhmi antiqui.
Siffridus Presbyter Miſnenſis.
Sigebertus Gemblacenſis.
Strabo.
Supplementum Schafnaburgij:
Synodalia ſtatuta Miſnenſia.
Tacitus.
Valentinus Muncerus.
Viperti Groicenſis vita.
Vuetislarienſis.
Vuitichindus Corbeienſis.
Volfgangus Cruſius.
Volfgangus Lazius.

GEOR. FABRICII
CHEMNICENSIS
Annalium vrbis Miſnæ

LIBER I.

Miſnæ vrbis, regio, eiuſque nomina.

VRBS MISNA CONDITA IN EA REGIOne, quæ dicta olim eſt Dalemincia; vt apparet è literis Iohan. XIII. Pontificis: appellata à Boëmis Sirbia, vt ſcribit Coſmas Pragenſis: à Sclauis Lomacia, vt legitur in Ditmari præſulis Mersburgij Chronico. Antiquiſſimis nominibus terra Senonum & Soraborum; quam Sueui olim habitarunt. Romæ ante ædem Mineruæ, Nicolaus Schonbergius Cardinalis, natus ſcribitur è Sueuis Miſnenſibus, in lapide tumuli. Has terras ad Albim antiquitus coluiſſe Hermunduros, Sueuorum portionem, teſtatur Strabo libro ſeptimo; in cuius libris non rectè legi Eumunduri, è Plinio & Tacito conſtat. Sed & Daleminciorum nomen deprauatum eſt, quos Dalmanticos nominat Vuitichindus Corbeienſis: nomine verò magis alieno Dalmatas Gemblacenſis & Vrsbergius: eosque ſecuti Crancius, Cuſpinian9, Phrygio. In vrbis huius vicinia à Ditmaro duo fluuij commemorantur, Miſna & Iana; qui nomina vetera adhuc retinent: nomen etiam retinet vallis quædam, ſed literis tranſpoſitis, Mincidala, & pagus ei adiacens, & ſupereſt oppidum Lomacium. Conradus Pircheimerus & Petrus Appianus, viri clariſſimi, Lupfurdum dici in tabulis Ptolemæi Miſnam opinantur; conjectura fortaſſe non planè nulla aut infirma, quaſi dicas, traiectus Lupi; hoc verò nomen proprium eſt; non Lupum, vt aſſerit Brodufius, ſignificat. Fuiſſe traiectus circa has anguſtias, teſtimonio ſunt loca ſuburbana; qui ſuperior & inferior Traiectus appellantur. Quinetiam è ripa aduerſa duobus inde milliaribus, nobilis pagus eſt, Cottchenbroda; qui à traiectu ſimiliter denominatur; Id enim Broda lingua Vandalorum deſignat. Ab Oriente hæc vrbs alluitur fluuio Albi; qui à numero, vt Boëmi dicunt, fontium vndecim: vt Saxones, tot amnium influentium, dictus putatur; à meridie torrentem habet Trebiſam; ob occaſu, montes: verſus ſeptentriones, riuulum Miſnam; de quo ipſa vrbs appellationem, ſecundum Ditmarum, vt ab vrbe tota regio, creditur accepiſſe. Nec obſtat claritati paruitas. Tales enim in agro Veiente Cremeram, in Feſulano Munionem, hiſtoricorum & poëtarum literis nobilitatos, ipſe vidi. Fontes Albis ſic ſe habent. Oritur ſub monte à Gigantibus dicto, der Riſenberg. Riuulorum ſeu fontium nomina ſunt, In initio Krumſtifften, quæ duo ſtagna ſunt, ſed tum cùm primus adiungitur fluuiolus, dicitur Albis magnus. Secundus fons Grosſeifften: tertius Woſam: quartus Granitz: quintus Sperberſeiffen: qui duo inter ſe diuiſi. Sextus Haubritz: inde arcem Gendorfiam præterlabitur in loco edito ſitam; infra oppidum ſubiectum paruus Albis miſcetur magno: Paruus autem dictus, non procul à maioris paludibus oritur, montibus interiectis. Initium ſeptimi fontis dicitur der Hemmerlein: octauus Anteris nomine appel-

Populi veteres Miſniæ.

Fluuij Miſniæ.

Traiectus duo.

Situs Miſnæ vrbis.

Fontes Albis vndecim.

appellatur: nonus aquæ nouæ: decimus der Heidelbach: vndecimus das Kalchwaſſer. Tot fontes & fluuioli gignūt Albim paruum, qui ſe deinceps in maiorem exonerat. In Albim affluunt ex ripa meridionali hi fluuij E- gra, Billa, Gotleba, Muglicium, Katzbachium, Albula, Trebiſa, Aqua nigra, Milda, Sala, Hauelus. E ripa altera Penica, Chemnicium, Kitsbachium, Sebenitium, Veſenitium, Briſnicium, Eliſter niger, Hagela, Foſſa Lubecenſis. Situs vrbis Miſnæ cum montibus adiacentibus, vrbi Romæ, conferri quodammodo poteſt. Mons Capitolinus ſit, in quo nunc ludus illuſtris, & templum Afranum. Palatinus, in quo arx principis & baſilica: & ex eius regione Auentinus, in cuius aditu templum diui Martini. Redeundo ad arcem Principis, vineta in montibus oppoſitis, Cœlij, Eſquilini, Viminalis, Quirinalis, circuitus referant. Vltra fluuium mons Zeila, dictus der Steinberg/in quo Diui Georgij fanum, ſit Vaticanus, & campus, qui ei adiacet à latere, Ianicu[l]enſis. Extat ænigma vulgi apud nos, quænam illa vrbs ſit, quæ tribus cingatur fluminibus, tresq; habeat in vno mōte arces, in cuius foſſa iaceat pagus, & in qua pons ſit tēplo altior: cùm de Miſna videlicet interrogant. Miſnam ab ortu tangit Albis, à meridie Trebiſa, à Septentrione Miſna. Tres in vno monte arces ſunt, Principis, Præſulis, & Burggrauij. Pagus Miſna, ante vrbis introitum, in loco decliui eſt; & pons verſus arcem lapideus, per quem montes duo iunguntur, templi Iacobæi tecto & turre extat altior. Annales noſtri conditorem vrbis Miſnæ fuiſſe Henricum I. Imp. memoriæ prodiderunt, anno Chriſti ſupra noningenteſimum trigeſimo, imperij ipſius vndecimo; qui propter ſitus opportunitatem, præſidium militum Riparenſium hoc in loco contra Vngaros, qui tum plurimas Germaniæ inferebant calamitates, conſtituit. Talia præſidia ab alijs poſtea Impp. contra Luſatios, Milciehos, Boëmos, & Polonos ſunt extructa in montibus vicinis. Mons, in quo arx ſita, tanquam foſſis munitus eſt: idem cum monte Afrano ponte lapideo ingenti, ſupra vallem interiectam conſtructo, coniungitur: vt olim Capitolinum & Palatinum ponte marmoreo iunxit Caligula. Vrbs ipſa partim in valle, partim ad colles, quibus cingitur, ſita eſt: duoq; montes Palatinus ac Martinianus, anconem & ſinum efficiunt. Eſt itaq; vrbs Miſna, fluminis nauigabilis commoditate, collium circumfuſorum frequentia, hortorum amœnitate, aëris temperati ſalubritate, cultoribus opportuna. Ager frumento, colles vino fertiles ſunt, fortaſſe etiam metallis: id quod Scharffenbergi venæ argentariæ & plumbariæ, vno inde milliario verſus ortum ſitæ, teſtantur: aliæ itidem meridiem verſus, non longius diſtantes prioribus, in Dibesgrunda, Mincidala, & ad villam Mocritiam, quæ à triginta annis derelictæ iacuerunt, hoc tempore cœperunt recoli, auſpicio viri ornatiſſimi Valerij Craconis Illuſtriſſ. Electoris Secretarij. Charadræ ad occaſum quæ erant, diligentia hominum, pleræque ſunt in agros, hortos, aut in vineta mutatæ. In colle orientali, quem Palatinum ſæpiuſiam nominauimus, extructæ duæ arces nouæ; altera Principis ampla & ornata, quam condidit Albertus Dux Saxoniæ: altera Præſulis, quæ à Iohanne V. inchoata, needum perfecta eſt. Inter has interiacet Baſilica cathedralis, operis vetuſti, cui occaſum verſus adiunctum ſacellum, in quo Ducum Saxonicorum ſepulchra ſunt & monumenta. De arce & templo ita Conradus Celtes:

Fluuij Albim influentes.

Miſnæ cum Roma comparatio, quo ad ſitum.

Ænigma de vrbe Miſna.

Miſnæ tres arces.

Pagus Miſna pons lapideus.

Miſnæ conditor.

Elogium Miſnæ vrbis.

Arces quatuor. Baſilica.

Hic vbi Mìſnenſis celeberrima Regia ſurgit,
Arcem & quæ templum continet alta ſacrum.

Tertia arx Burggrauij, vna ruina eſt, de qua extat turris rotunda Pyramidalis, vetuſtum propugnaculum. Arx quarta in hac vrbe fuit, die Waſſerburg/Caſtrum Aquaticum: vt in monumentis dicitur: quia ad ripam Albis exſtructum. Eius nunc & fundamenta quidam exſtant: vicus nomen retinet, portis duabus clauſus. Ante templũ olim ſtetit turris, dicta rubeas prope quam iudicia exercebantur: eius nunc veſtigia etiam ſublata ſunt. In colle occidentali cœnobium Afranum, à Reinero Præſule fundatum: in quo ludus illuſtris ante annos ſeptem & viginti aperiebatur Ducis Mauricij ampliſſimo beneficio. Habuit & alia duo cœnobia: puellarum, quod in VVaſſerburgo ſitum, extra mœnia tranſlatum eſt: & Franciſcanum, in quo erectus iam ludus Senatorius. Pons ſuper Albim ligneus, tali arte factus, vt eius iuga ſint extremis tantùm partibus pilis impoſita, per medium ſine ſublicijs librata pendeant, artifice lignorum compagine: cuius in vniuerſa Germania non eſſe ſimilis perhibetur ligneus.

Inter ciues ſtudia ſunt: Cultus religionis, cui omnes homines nauare operam præcipuè debent, qui & in cœlis ſalui, & honeſti in terris eſſe & perhiberi volunt: Liberos curant educandos in ſtudijs literarum & Philoſophiæ: vnde tot viri nominabuntur: qui & patriæ, & populis externis profuerunt: & nunc in magnis Reip. negotijs verſantur: & paſſim cum fructu in templis ludisq; literarijs docent. Mercaturæ pauci dant operam: agros colunt diligentiùs & vberiùs: & ſunt tranquillitatis amantiſſimi. Exercent cum induſtria & peritè ea quoque opificia: quibus communis vita, & hæc ciuilis ſocietas carere non poteſt.

De hac vrbe, tale ſcripſit Epigramma, vir omni laude clariſſimus Philippus Melanchthon, cùm primùm huc acceſſiſſet hoſpes.

Χαῖρε πόλις, μυσῶν γενναίων κλίσμα, ἐν ὄχθαις
ἀλβίδος, ἣ ἔθνους τοὔνομα μούνη ἔχεις,
οὗ κλέος ἠδ' ἀρετὰς μάντεις ᾄδουσι παλαιοί,
οἵ τινες ἡρώων ἔργα λέγουσι καλά.
χεῖος ἀνὴρ ἔθνος μυσοὺς ἀπέφηνε δίκαιον:
καλλίστη δ' ἀρετῶν ἐστὶ δικαιοσύνη.
μαρτυρέοντε καὶ ἐμπείρους πολέμοιο γενέσθ,
ξὺν δὲ δικαιοσύνῃ καρτερία, ἀγαθόν,
κἂν δὲ βροτῶν φύσις ἐσθ' ἢ νῦν νωθρή τε σαθρή τε,
σπέρμαθ' ὅμως ἀρετῶν τοῦ το γένος κατέχει.
καὶ τάδε πρός: νῦν ἔζευξεν παιδεύματα μουσῶν,
καὶ περὶ ἀψευδῆ οἶδε θεοῦ διδαχήν.
σώζεσθ' οὖν λαὸν μυσῶν εὐχώμεθα πάντες,
ὅς μάλα σπουδαίως ἤθεα σέμν' ἀγαπᾷ.
νῦν δὲ φιλοξενίην ἀσκῆς', ἡμᾶς ἔτι δέξον,
οἶνον καὶ λιαρὸν πέμπε τάχιστα φίλοις.

IDEM EPIGRAMMA LATINE EX
Græco conuerſum.

Salue vrbs magnanimûm Myſorum, quæ prope ripam
Albiacam gentis nomina ſecla tenes:

Virtutes cuius priſci cecinere poëtæ:
Quos iuuat heroo dicere magna pede.
Chius homo Myſos cultores prodidit eſſe
Iuſtitiæ: quâ nil pulchrius orbis habet:
Teſtaturq́; acres homines, belliq́; peritos:
Quantum ornant fortes pectora iuſta viros!
Hæc gens Argoæ ductorem puppis amico
Accepit tractans comiter hoſpitio.
Ac licet in peius mutentur tempore mores:
Hæc virtutis habet ſemina priſca tamen.
Præterea adiunxit Muſarum dona: ſtudetq́;
Mandatis ſummi nunc ſine fraude Dei.
Myſam igitur gentem cœleſtia numina ſeruent:
Ingenuos mores quæ ſtudioſa colit.
Nunc etiam hoſpitibus quàm ſis, oſtende, benigna:
Et vino exhilara pectora amica bono.

ANNO A NATO CHRISTO SERVATORE.

DCCCLXXXVIII.

Imperante Carolo III. anno eius octauo, Suendepoldus Dux Moraniæ, Albis ripam infeſtat, & his terris damna infert: inter cuius facinora illud memoratur, quòd arboribus ne frugiferis quidem pepercerit. *Vaſtatio.*

DCCCXCI.

Imperante Arnolpho Arnus Præſul Vurceburgius ad Albim bello Danieo interficitur, vt annales Franeici: bello Boëmico, vt Ditmarus Præſul Merſburgius, qui videtur rectiora ſcribere. In caſtris eum hoſtili agmine circumuenrum, & dum rem diuínam faceret, oppreſſum, omnes conſentiunt. Eius mortem vindicantes Germani, prælio contra hoſtes fiunt ſuperiores, quod commiſſum 3. Cal. Iul. *Præſul inter ſacra cæſus.*

Imperante Conrado I. ita has terras depopularunt Vngari, vt incolæ domibus & agris relictis, cum liberis fugerent, & populis vicinis ad famem tolerandam pro annona ſeruirent. auctor Vuitechindus Corbeienſis. *Fames.*

DCCCCXXVIII.

Dalemincij, qui terras has habitarunt, cum Vngaris ſentire, & eis dare tranſitum coacti ſunt. Dalemincios populos, ait Ditmarus inter Albim & Chemnicium fluuios habitaſſe. *Dalemincij.*

In hac regione fons fuit nomine Glomaci, non longius ab Albi, quàm duobus milliaribus poſitus: qui de ſe paludem efficiens, mira, vt incolæ pro vero aſſerunt, oculisq́; approbatum eſt à multis, operatur. Cùm *Fons prodigioſus.*

bona pax eſt indigenis, lætos vicinorum confluentium, crebrò efficit animos: quandò autem ſæui belli tempeſtas ingruit, eam ſanguine & cinere, certum futuri exitij indicium, præmonſtrat. Huric incola ſanctius, quàm Eccleſias,ſpe quamuis dubia,veneratur & timet.Hæc Ditmari poenè verbis recitata ſunt. Tale aliquid de fonte Vngarico, apud ruptum Traiani pontem, qui ſanctæ crucis vulgò dicitur, ſcribit Cuſpinianus in oratione De bello aduerſus Turcam: is cruore fluit,cùm rex aliquis moritur,vel periculum ſubite cogitur.

Superſtitio.

DCCCCXXX.

De vrbe Miſna ab Henrico I. Imp. fundata his rurſus verbis idem, ſcribit Ditmarus.

Hic montem iuxta Albim poſitum,& arborum denſitate tunc occupatum, excoluit: ibiq; vrbem ſtatuens, eidem de riuo quodam, qui in parte ſeptentrionali fluit, nomen Miſna impoſuit, quam, vt hodie in vſu habetur,præſidijs & alijs impoſitionibus muniuit: & ex ea Milclenos ſuæ ſubactos ditionis cenſum perſoluere coëgit. Hæc ille. Ante paucos annos inter Grimam & Lauſigam, pago Bardo minore,nummi argentei reperti ſub terra ſunt, qui effigiem Henrici, manu dextera aquam tenentis, repræſentarunt.

Miſna riuus.

DCCCCLVIII.

Dicata Eccleſia Miſnenſis, proximo die dominico,ante diui Martini feſtum, iubente Othone I. Imp. qui patris teſtamento eam perfecit. Hic Otho I Princeps feliciſſimus & Eccleſiarum patronus nominatur à Ditmaro: qui populis externis deuictis,præter Eccleſiam Miſnenſem,fundauit etiam Magdeburgiam ad Albim, Brandeburgiam ad Hauelum, Merſburgiam ad Salam, Citienſem ad Eliſtrum, quas partim bonis ſuis, partim gentium deuictarum agris fundiſq; conſtituit atq; ditauit. Inter has Miſnenſis dicta Ingenua, quòd videlicet libera ſit, & nulli antiſtiti aut metropolitano, ſed vni Pont.Romano ſubiecta.Fundationem Othonis Ioannes XIII. Pontifex confirmauit, anno ſuæ ſeſſionis tertio, & poſt victos ab Othone Imp. in Lyci campo Vngaros, itidem tertio, ſubſcripſerunt Præſules vndequadraginta. Præfuit ei primo loco Burchardus,Othoni Imperatori à ſacris,qui auctoritate Hildeberti antiſtitis Moguntini, è cœnobio Ratisbonenſe curator miſſus,nomine ac titulo paſtoris,annos circiter viginti eam rexit.Exemplum confirmationis pontificiæ,ſic habet ab initio.

Baſilica Miſnenſis.

Ingenua Eccleſia Miſnenſis.

Iohannes Epiſcopus,ſeruus ſeruorum Dei. Si ſemper ſunt concedenda,quæ pijs deſiderijs congruunt: quantò potiſſimum ea, qui diuini cultus prærogatiua noſcuntur, non ſunt omnino abneganda: quæ ſunt à largitoribus nō ſolùm poſcenda, ſed vi charitatis procul dubio exigenda. Habita igitur Synodo, & multorum venerabilium fratrum coëpiſcoporumq; noſtrorum conuentu Romæ, in Eccleſia beati Petri principis Apoſtolorum, aſſidentibus auguſtiſſimis Imperatorib. Othonibus vtriſq; anno ſcilicet Imperij maioris ſexto, minoris primo, ijdem glorioſiſſimi Imperatores poſtularunt à nobis, quatenus monaſterium, quod pro remedio animarum ſuarum primitus conſtrui, & in honorem beati Iohannis Euangeliſtæ conſecrari fecerunt, ſuper ripam fluminis, cui nomen eſt Albea, in ciuitate Miſna ſita, videlicet in prouincia, quæ dicitur Dalemincia, cui etiam monaſterio virum venerabilem, nomine Burchar-

Burchardum honorificè præfecerunt, priuilegijs ſedis Apoſtolicæ decorati: vt ſub iuriſdictione ſanctæ Eccleſiæ noſtræ, cui auctoritate Dei præſidemus, conſtitutus, nullius alterius Eccleſiæ ditionibus ſubmittatur. Pro qua te pijs deſiderijs fauentes, hac noſtra auctoritate, id quod expoſcitur, effectui mancipamus: Interponentes tamen ea, quæ & ipſi Principes, in noſtris priuilegijs cupiunt exponi, & cunctis in Chriſto fidelibus manifeſta fieri, more antiquorum Imperatorum. Hi duo Imperatores pater & filius nobis aſſidentes, Miſnenſi Epiſcopatui terminum impoſuerunt: nominando etiam determinationes locorum, ſicut infrà continetur. Vbi caput & fons eſt aquæ, quæ dicitur Odera, inde quaſi recta via vſque ad caput Albeæ. Inde deorſum ad occidentalem partem, vbi diuiſio duarum regionum eſt, Behem & Niſen: Ibidem vltra Albeam, & per ſiluam in occidentalem partem vſque ad caput Mildæ, & ſic deorſum per ambas plagas eiuſdem fluminis, vſque dum Milda intrat in Albeam, & ſic ſurſum vltra prouinciam Niſici, ad ipſum terminum: nec non in altera parte Luzyci & Selpoli, & ſic vſq; ad ciuitatem Sulpize, illam videlicet infra eundem ſurſum vſque ad caput eius. Homines verò, quemadmodum hi præſentes Imperatores ſtatuiſſe fatentur, qui infra terminum iſtum habitant, in omni fertilitate terræ, frugum & pecudum, in argento, & veſtimento: nec non quod Teutonici dicunt, Ouatcapunca & calunga familiarum: inſuper tota vtilitate, & in omnibus rebus, quibus mortales vtuntur in diuerſis modis decimationes, quas Deo cuncta gubernanti debent, ad Miſnenſem Eccleſiam, primùm Deo, deinde ſancto Iohanni Euangeliſtæ vniuerſa dubietate procul remota, perſoluant, referant, & reddant Et ideo in Chriſto ſanximus, firmiterque conceſſimus, vt nullus metropolitanus, nullus Epiſcopus, nulla etiam magna vel parua alterius ordinis & gradus perſona, præter ſedis Apoſtolicæ antiſtitem infra terminos Miſnenſis Eccleſiæ, cui venerabilis Epiſcopus Burchardus præeſſe dignoſcitur, quemque ordinare, dijudicare, excommunicare, vel aliquid temerè exercere vllo modo, præſumat. & quæ ſequuntur.

Terminus Eccleſiæ Miſnenſis.

DCCCCLXVIII.

Publicata hoc anno eſt templi Miſnenſis fundatio, ab ipſo Imp. cuius tale exemplum inuenimus.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Otho diuina fauente clementia Imp. Auguſtus. Nouerint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet & futuri, qualiter nos interuentu dilectiſſimi filij noſtri Imperatoris Auguſti, ſimul & Adelheidæ cariſſimæ coniugis noſtræ, nec non pro memoria ac remedio animæ patris noſtri Henrici, more antiquorum Imperatorum & Regum, noſtra Regali poteſtate Miſnenſi epiſcopatui terminum poſuimus: nominando fines & determinationes locorum, ſicut nominati ſunt ſupra in literis Iohannis XIII. Pontificis. Omnes qui infra terminum iſtum habitant, in omni felicitate terræ, frugum, & pecudum, in argento, veſtimento, nec non quod Teutonici Ouercoupunga dicunt, & talunga familiarum: inſuper tota vtilitate, & in omnibus rebus, quibus mortales vtuntur diuerſis modis, decimationes quas Deo cuncta gubernanti debent, ad Miſnenſem Eccleſiam, primò Deo, deinde ſancto Iohanni Euãgeliſtæ, beatoq; Donato, Matri Dei, vniuerſa dubietate procul remota, perſoluant, referant, & reddant. Et ſi quis hoc præceptum, in re-

muneratiónem Deo conſtitutum, diſuertere & diſrumpere tentauerit, odium Dei, ſanctorumq; omnium inceſſanter habeat. Et vt hæc noſtræ Regiæ poteſtatis donatio & conſtitutio nunc & in futuro firma & inconuulſa permanendo conſiſtat, hoc præceptum inde conſcriptum, ſigilli noſtri impreſſione ſignare iuſſimus, manuq; propria, vt infrà tenetur, corroborauimus. Rudbertus Cancellarius ad vicem vacationis Archicapellani recognoui. Data XIIII. Cal. Nouemb. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXVIII. Romæ in eccleſia ſancti Petri, Indict. XI. feliciter. Anno II. Othonis magni Imp. Auguſti, regni XXXII, Imperij VI. Eandem fundationem confirmat Otho III. Regni ſui anno XIII. nati Chriſti DCCCCXC. quæ literæ ſcriptæ Francofurti. Eandem publicat Henricus Marchio Miſnenſium, & primus Landgrauius Turingorum MCCLII. XI. Cal. Iun. in vrbe Miſna,

DCCCCLXX.

Burchardus præſul.

Burchardus prou..or Eccleſiæ Miſnenſis, vt Ditmarus eum nominat, ab Alberto antiſtite Treuirenſe, in præſulem conſecratur XV. Calend. Nouembris vnà cum Boſone Mersburgio, Hugone Citienſe, Vdone Hauuburgio.

DCCCCLXXII.

Mors ſubita. Volchuldus pr.

Præſul in ſuo pontificatu nihil egit, quàm quod confirmationem Pontificiam, & Cæſaream donationem plebi publicauit. In itinere, lapſus de equo, ceruices fregit, XVIII. Cal. Iulij. Succedit ei Volchuldus, ſeu (vt Lambertus) Volcradus, Vuilligiſij Moguntini antiſtitis familiaris. Hîc tempora lectionum & orationis, & munerum Eccleſiaſticorum diſtribuit: cibum cum Canonicis ſumpſit, qui temporibus melioribus in his terris, non proprias rexerunt familias, ſed familia fuerunt præſulis: neq; adminiſtris vicarijs vſi ſunt, ſed miniſtri Eccleſiæ ipſi fuerunt. Prima enim iſtorum collegiorum inſtitutio, diſciplinæ monaſticæ erat ſimillima: & hæc Eccleſia in literis pontificijs monaſterium appellatur, vt modò relatum eſt.

DCCCCLXXVIII.

Miſna vrbs capta à Boemis.

Vrbs Miſna à Vuagione, Boleſlai II. Boëmiæ Ducis præfecto, capitur per inſidias, nam cùm loci præfectum, abſente Marchione colloquij cauſa, ad ſe euocaſſet: occupatis poſt eum portis, ad templum quoddam iuxta torrentem Trebiſam, incautum occidit, & firmum vrbi præſidium imponit. Præſulem Volchuldum agit in exilium, qui primùm fugit Moguntiam, deinde Erfurdiam conceſſit, donec Imperatoris auctoritate reſtitueretur.

DCCCCXC.

Boemi pelluntur.

Echardus Marchio, ex vrbe Miſna Boëmos eijcit, Volchuldum reducit: præſuli Boëmus pro illata iniuria ſatisfacit, eumq; recipit in fidem & amicitiam.

DCCCCXCIIII.

Mors repentina.

Volchuldus Pragam euocatus, dum ſolenni Paraſceues die, ſacra celebrat, in ſtuporem mentis atque artuum ante aram incidit, paucis horis ſuperſtes. Sedit annos tres & viginti, moritur X. Cal. Sept. Tempore ſuo difficilimo, cùm ſumptus ſuperuacaneos detrahendo, tum neceſſarios moderatè faciendo, vt res Eccleſiaſtica plurimùm augeretur, effecerat. Nam comitis Eſiconis bona comparauit Vurcinam, Bicham, Bauchum,

chum, Lubenitium, anno ſeſſionis duodecimo. Hic Vualtardo & Geroni Magdeburgijs infulas impoſuit, & pedum tradidit. Oculis propter ſtudia lippis & caligantibus fuiſſe ſcribitur: familiam ſuam regebat, non tam imperio, quàm exemplo. Plura de eo Ditmarus, qui fuit eius familiaris. Volcbuldo ſuccedit vir generoſus & eruditus Ido, Comes Rochlicius, è collegio Merſburgio, quem Giſelerus antiſtes Magdeburgius eo honore dignum cenſuit. Hic in munerib. Eccleſiaſticis, baptizando, concionando, ſacra adminiſtrando, diligens fuit: neque ſuæ modò Eccleſiæ fructum illum tulit, ſed & Vandalis Tranſalbinis concionatus eſt, quod Præſules tum feciſſe etiam conſtat ex Ditmaro, qui in ſua confeſſione his verbis conqueritur: *Poſtquam paſtor effectus ſum, docui ſubiectos, ſed verbis tantùm, non exemplis*: Emptionem bonorum Eſiconis confirmat Otho III. Imp. Hauelnburgi, Prid. Non. Octobr. Ipſe autem ſine hærede fuerat mortuus, fratres eius cæſi erant in Sueuia ad Lycum, prælio Vngarico.

Incrementum Eccleſiæ. *Eſico comes Vurcenſis.* *Ido præſul.* *Præſules concionatores.*

DCCCCXCV.

Otho III Imperator poſt reditum ex Italia, Miſnam diuertens, ab Idone Præſule, & à Marchione Echardo honorificè excipitur. Anno præcedente hiems à die III. Non. Nouemb. durauit vſque ad III. Non. Maij. Secuta ſiccitas, fames, & peſtis. *Peſtis.*

DCCCCXCVII.

Loca ad Albim terræmotu ingenti concuſſa ſunt vſque ad vrbem Magdeburgam. *Terræmotus.*

DCCCCXCIX.

Aluei fluuiorum ſiccati, vt ex putredine piſcium mortuorum, peſtis oriretur. *Peſtis.*

MVII.

Ido Præſul ad Synodum Tremonianam vocatur ab Henrico II. Imp. in qua de malis moribus & negligentia ſacerdotum eſt actum: ſed ſæpe fruſtra tentata eiuſmodi emendatio. Tum Canonici tantum obœdiebant Præſulibus in ſacris & ceremonijs: extra eas, ſua libertate vtebantur, vix Imperatoribus ipſis parentes, cùm de eorum vita & actionibus ageretur.

Synodus Tremoniana. *Canonici contumaces.*

MX.

Arci Miſnenſi dux Boëmiæ, impoſuerat præſidium, cui præerat gener eius, Hermanus Marchio Miſnenſis: nam vrbem tenebat Guncelinus, Hermani patruus, qui cum fratris filio capitaliter diſſentiebat: Ciues Miſnenſes iniuria laceſſiti, abſente vtroque Marchione, expugnant arcem, & Boëmos expellunt. Dux Boëmus re cognita exules reſtituit, ciues ſibi cogit ſatisfacere, & ex vrbe Miſna ad Eliſtrum vſque fluuium prædabundus excurrit.

Contentio inter Marchiones. *Vaſtatio.*

MXI.

Vilhelmus comes Rochlicius, ditionem paternam beneficio Imp. recipit. Marchio Guncelinus, qui vrbem Rochlicium cremauerat, Lebuſiam in Slauos ire in exiliũ iubetur, & vinctus eius loci præfecto traditur. *Marchio in exilium miſſus.*

MXIII.

Theadagus Præſul Pragenſis, à Bretiſlao duce Boëmo, è diœceſi ſua eijcitur: qui Miſnam ad Marchionem Echardum II. diuertens, hoſpitio

benigno

benigno excipitur. Huius Echardi ſago & pallio veſtiti, extat adhuc ſtatua Numburgi in baſilica. Vixit Echardus ille vltra annum octuageſimum. Circa hoc tempus præſules Citienſes cœperunt dici Numburgani.

Echardi ſtatua.

MXV.

Corpus Geronis, Marchionis Luſatij, ab Vlrico rege Boëmiæ in prælio interfecti, deportare in hanc vrbem Ido præſul facit. Hinc mittitur in cœnobium Munchneuburgum à patre ipſius Ditmaro conditum, in ditione Bernburgia, proſequentibus funus Gerone antiſtite Magdeburgio, patruo ipſius, & tribus Marchionibus Miſnenſibus. Fuit Gero è familia antiqua Viburgia, quæ poſt Sclauos eiectos, poſſedit Luſatiam. Auia ipſius Hidda poſt obitum mariti Chriſtiani, Ieroſolymam proficiſcitur, néue placeret regi Aegyptio, vulneribus ipſa ſibi fœdauit faciem: teſte Lamberto Schafnaburgio, & Conrado Lauterbergio. Mater Geronis Suanhildis Luneburgia poſt prioris mariti obitum, nubit Echardo Turingiæ & Miſniæ Marchioni, qui factus eſt rebellis Henrico II. Imp.

Gero Luſatiæ Marchio.

Exemplum pudicitiæ.

Echardus rebellis Imp.

Anno eodem vrbs Miſna obſidetur à Meſicone, ducis Poloniæ Boliſlai filio, Idib. Sept. cùm Marchiones Miſnenſes Guntherus & Echardus II. abeſſent in caſtris Imperatoris, & Hermannus eorum frater, eodem die vrbem intraſſet, quo hoſtis cremauit ſuburbia. Oppugnatio acriter cœpta in vico Vuaſſerburgo, & iniectus in tabulata duarum turrium ignis eſt, quæ propter inopiam aquarum, ſunt hydromeli reſtinctæ à fœminis. Meſico, qui ſuos ſterni, & ciues pugnare fortiter de colle propinquo proſpiciebat, ſuos reuocat. Ea nocte imbre repentino Albis incrementum cepit: verùm Poloni, ne ſarcinas vltra ripam amitterent, & iter illis auctu fluminis intercluderetur, re infecta diſcedunt: eumq́; in vicinia eſſe audirent Imperatoris præſidia, fugam celeriter capeſſunt. Hæc ex Ditmaro Huius beneficij memoria ne intercideret, dies natiuitatis Mariæ ſolennis fuit habitus, vſque ad patrum memoriam, ciuibus omnibus collectis ad curiam, mulieribus ad conſulis domum, vt templum in foro frequentes pariter adirent, & Deo animis coniunctis gratias agerent, & mala porrò inſtantia deprecarentur.

Vrbs Miſna oppugnata à Polonis.

Memoria conſeruatæ vrbis.

Eodem anno Ido præſul è legatione Polonica rediens, quam Imp. iuſſu obierat, dum in Franciam properat, vbi tum agebat Imperator, incidit in morbum Lipſiæ, è quo non conualuit: diem obiturus ſui amicis prædixit. In vrbe Miſna, quod vaſtationem ei loco imminere diuinaret, ſepeliri ſe prohibuit. Moritur XIII. Calend. Ian. anno ſeſſionis vno & vigeſimo. Hiluardus Citienſis præſul, & Vilhelmus comes Rochlicius Miſnam vſque funus proſecuti ſunt: inde vt petiuerat, paucos poſt annos ab Hermano comite Rochlicio, corpus eius Colditium eſt tranſlatum, & loco humili conditum in templo diui Magni. In eius locum ab Imperatore mittitur Eiluardus, qui Ditmaro Marchioni Luſatio antea à ſacris fuerat.

Præſul fatidicus.

Eiluardus præſul.

MXVI.

Cùm ruſticus quidam familiæ panem diuideret; aliquoties ex eo ſanguis effluxit. Eo prodigio bellum portendi exiſtimatur.

Sanguis è pane.

MXVII.

Fridericus Ileburgi comes, primus Burggrauius Miſnæ conſtitutus, grandi ætate moritur, die profeſto Epiphaniæ.

Primus Burggrauius Miſnenſis.

Dux

Dux Boëmiæ Boliſlaus agmen quadripertitum immittit in Miſniam, vt vrbem hanc circumuentam Gunzelino Marchioni iam reſtituto, vi & fraude eriperet: ſed proditus eius conſilijs, cum multo ſuorum damno cogitur diſcedere. Mogellani tria Boëmorum millia occidunt, reliquos ad oppidum Strelam in Albim impellunt: Lomatium oppidum, & villa Zerena in aditu Chelebofcij cremantur. Copioſius hæc in libro III. Originum Saxonicarum commemorabimus. *Boemus victus.*

MXVIII.

Poſt Cometam viſum peſtis ſequitur. Fuit tempus annuum multis religioſis fatale, Ditmaro Præſuli Mersburgio, Balderico Leodienſi, Arnoldo Rauennati, Aidigero præpoſito Halberſtadio, Othoni presbytero Magdeburgio. Hi omnes in Chronico Quedelnburgio memorantur. Item Henrico Vurciburgio, Gundegaro Eiſtadenſi, Popponi abbati Fuldano, qui in Chronicis recenſentur alijs. Hoc eodem anno Chronicon Ditmari, Præſulis Mersburgij, viri boni & diligentis, finit. *Cometa. Annus fatalis.*

MXIX.

Pagi inter Albim & Mildam exercitu Boëmico vaſtantur, abductis vltra mille agricolis. Bruno Marchio Miſnenſis exul apud Boëmos, Hermanum Echardi fratris ſui filium, in itinere, cùm Miſnam à regio præfecto duceretur, voluit intercipere, ſed inſidijs patefactis, ſpe ſua eluditur. *Vaſtitas.*

MXX.

Voluntate Diterici Marchionis Miſnenſis, & Diterici Præſulis, arx Churina diruitur: neue auſu temerario instauretur, Præſul interdicit pœna excommunicationis: Marchio periculo amiſſionis fortunarum inhibet: XII. Calend. Aprilis decretum Dresdæ factum eſt. *Arx Churina diruta.*

Albim & Viſurgim fluuios, in parte ſeptentrionali tribus diebus totidemq; noctibus, arſiſſe vaporibus flammeis, & fundotenus extra alueum incredibiliter elatos, in Chronico Quedelnburgio ſcribitur. Aquis decreſcentibus, corpora infinita hominum inuenta ſunt: quæ cùm pium quorundam ſtudium terræ mandare vellet, ſpiris ſerpentum ita implicata inter ſe fuerunt, vt nulla vi, nulloq; ferro diuelli poſſent. Itaque vt pet aceruos aggeſta iacuerunt, obruti terra aut harenis ſunt. Secuta aëris corruptio, & peſtis violenta. *Fluminum ardor prodigioſus. Serpentes. Peſtis ex putredine.*

MXXI.

Eiluardus Præſul interfuit dedicationi baſilicæ Quedelnburgiæ, & aram quartam ad Aquilonem ipſe ſacrauit, præſentibus Henrico II. Imp. & eius vxore Cunegundi, item patruele Adelheidi, antiſtita Quedelnburgia, & Sophia ſorore, ſacerdote Paderbornia. Quo dictum agnatis ſuis antehac celebriorem Imp. non habuerat. Hoc anno deſinit cum vita Henrici II. Imp. Chronicum Quedelnburgium.

MXXIII.

Idem Præſul, moritur XVI. Calend. April. cùm ſediſſet annos octo. Hic vir adeò frugalis fuit, vt legem in alios nullam ſanciret, quam ipſe non obſeruaret diligentiſſimè. *Exemplum diſciplinæ.*

MXXIIII.

Vmbertus Præſul.

Vmbertus Præſul obit Non. Aprilis, conſecratus ab Hunefrido Magdeburgio.

MXXV.

Ditericus I. Præſul. Synodus Francofurdiana.

Ditericus I. Præſul obijt VI. April. Interfuit Synodo Francofurdianæ, cui Imperator Conradus II. cum duobus & viginti Germaniæ præſulibus ipſe præfuit propter Aribonem Moguntinum, & Gothardum Hildeshemium.

MXLVI.

Reinerus Præſul.

Poſt mortem Diterici ſecutum ſchiſma. In electione Henricus III. Imperator ſuam auctoritatem interponit, & Reinerum Præſulem Miſnenſibus mittit, qui conſecratur ab Engelhardo Magdeburgio.

MLX.

Reinerus Præſul perficit, & dicat diuæ Afræ monaſterium, Nicolai II. Romani Pontificis anno ſecundo: Henrici Imp. IIII. anno quarto. Obijt XVII. Cal. Maij. In Hildeshemio & Chemnicenſe Chronicis, ſcribitur eius nomen Rotmanus.

Craſtus Præſul ſtrangulatus à dæmone.

Eodem anno Craſtus Præpoſitus Goſlarienſis, deſignatur Præſul à Vuetnero Antiſtite Magdeburgio, voluntate Imp. Hic à diabolo ſtrangulatur: nam cùm ditiſſimus eſſet, & theſaurorum ſuorum, quàm ſacrorum ſtudioſior, in conclaue ad numerandam pecuniam ſæpiuſe incluſit. Quod cùm more conſueto faceret, quodam die horrendum in modum exclamat in cubiculo. Eius miniſtri cùm territi accurrent, pecuniæ incubantem, colore tetro & fractis ceruicibus inueniunt. Teſtis Lambertus Schafnaburgius, id factum XIIII. Calendas Iulij.

MLXI.

Marchio interfectus.

Dedo Marchio Miſnenſis rebellis Imperatori, Beichlingo arce Turingorum vetere, quam tuebatur, expugnata, interficitur à miniſtro proprio, & permiſſu Imperatoris Miſnam transfertur, ad ſepulchra maiorum; quæ in medio baſilicæ templi cathedralis tum fuerunt.

MLXVI.

Meinuardus Præſul. Benno Præſul. Præſules conſpirant contra Imp.

Meinardus Præſul in Craſti locum è Goslaria miſſus, annos ſedet quinque & menſes aliquot, moritur III. Non. Maij. Huic Benno ſuccedit, è nobili familia Saxonica, Comitum Vuoldenburgiorum, qui fuit antea Goſlarienſis Præpoſitus, & Abbas Hildeshemius, & ab Henrico IIII. declaratus præſul Miſnenſis. Incidit in tempora turbulenta, nam contra Imp. conſpirare cum principibus & præſulibus cogitur: homo (vt Lambertus ſcribit) Eccleſiaſticæ paupertatis, & nihil aut parum habens pompæ militaris. Vota (inquit idem) forſitan contra Imperatorem facere, arma ferre non poterat: nec magnum vel his vel illis partibus momentum, amicus ſiue inimicus extitiſſet. Recentiores nonnulli Sclauum fuiſſe dicunt, & ei pagum Gædam patriam aſſignant, quo in loco concionatum, & ſacellum ſtruxiſſe fama eſt: ſed vulgi ſermoni hanc fabulam relinquimus.

MLXVII.

Miſna traditur Boëmis.

Henricus IIII. Imperator milite Boëmico & Francico in Miſnlam venit, cui ciues Miſnenſes vrbem defenſorib. vacuam dedunt. Bona præſulis dantur diripienda. Vrbs Vratiſlao duci Boëmiæ traditur.

In to-

M L X I X.

In tota Miſnia frumenti maxima inopia è bello, & iniquo frugum prouentu. *Inopia.*

M L X X I.

Henricus III. Imperator conuentu Miſnæ indicto, Boleſlaum, & Vratiſlaum illum Poloniæ, hunc Boëmiæ ducem diſſentientes, à mutuo odio & maleficio iubet deſiſtere, eiq; ſe ſocium contra alterum profitetur, qui primus arma ſumpturus eſſet, cuius compoſitionis forma publicè eſt in templo Miſnenſe recitata, præſentibus Imperatoris conſiliarijs, Vuezelone antiſtite Magdeburgio, Annone Colonienſe, Alberto Bremenſe: Præſulibus, Burchardo Halberſtadio, Eppone Citienſe, Vuernero Mersburgio: Ducibus, Othone Bauariæ, Magno Saxoniæ: Marchionibus, Ecberto Turingiæ, Dedone Miſniæ, Vdone Luſatiæ: Comitibus, Gerone & Thimone Vuitinis, Burchardo Miſnenſe præfecto, eiusque filijs Euone & Burchardo. Eodem tempore ijſdemq; præſentibus, quidam nobilis Slauus Borus nomine, conſenſu Vuichardi & Ludgeri filiorum, in diœceſi Niſſana villas decem, templo Miſnenſi obtulit, ea conditione, vt pater ipſe dum viueret, ijs frueretur, poſt mortem filij eaſdem æqualiter diuiderent: ſi alter obiret, hæreditas illius ad alium non veniret: ſi eſſet mortuus vterque, hæreditate illâ Præſul integrè poti-retur. *Conciliatio.*

M L X X V.

Dedonem Marchionem, Dedonis interfecti fillum, Imp. Henricus ditione exuit, Bennonem præſulem vinctum abducit, oppidanis abſque omni alia iniuria præfectum conſtituit.

M L X X V I.

Imperator auxilijs Boëmicis prouinciam Miſniam igne ferroque iam tertiùm depopulatur, & vrbi præſidium firmius imponit. Saxones ne opem vicinis ferrent, Mildæ fluuij inundatione prohibentur. Ecbertus II. Turingiæ Marchio, Imperatoris patruelis, vt primùm aquæ decreſcentes præbuerunt militi tranſitum, & ducem Boëmum, & præſidia eius eijcit: cui Comites Brenenſes fuerunt auxilio, Dietricus & Vilhelmus, iuuenes fortiſſimi, qui exules tum temporis conatibus Imperatoris plurimùm oberant. *Miſnia recepta.* *Comites Brenenſes exules.*

M L X X X V I I I.

Bennonem præſulem Clementi III. Pont. ſupplicem, Henricus Imperator in priſtinam dignitatis ſedem reſtituit, & liberaliter tractat, vt poſt id tempus reſtantur priuilegia ſcripta Rochlicij, Aiſteti, Goſlariæ, Mantuæ, Spiræ, Moguntiæ, Bernæ. De hac Bennonis pœnitentia, auctor, qui huius temporis hiſtoriam pro Imperatore ſcripſit, non nominatus, quem in æde diui Hemerani Auentinus Ratisbonæ: in Fuldana bibliotheca Huttenus inuenit, ita ſcribit: Ex his omnibus (inquit) Epiſcopis, qui vel damnati fuerant, vel depoſiti, vnus Benno Miſnenſis, venit ad ſedem Apoſtolicam, pro errore ſuo veniam petiturus, quam impetrat. Clemens etiam Papa III. antea Vipertus, Epiſcopus Rauennas (quem Gregorio Septimo ſucceſſorem dederat Imperator) pœniten- *Benno præſul reſtitutus.*

tem benignè ſuſcepit, & tractauit honorificè: abeuntem quoque cum literis ad Imperatorem miſit, quem & ipſe correctum, libenter accipiens, liberè in Epiſcopium ſuum abire permiſit. Sed illa ſatisfactio (inquit idem auctor) vtinam fuerit pura, ſincera, atque catholica! nam certum eſt eundem Epiſcopum nihil deinceps viriliter egiſſe, cum comprouincialibus Pſeudoëpiſcopis, vel cum Saxoniæ principibus, pro reparatione & ſtudio pacis Eccleſiaſticæ: quales dicuntur à Domino per Iſaiam Prophetam, ſpeculatores cœci, canes muti, non valentes latrare; quoniam, ſicut Gelaſius Papa ſcribit, præuaricatoribus vtique conſentiens, quiſquis ſuggeſtione, qua poteſt, non reſiſtit: & qui alios ab errore non reuocat, errare ſeipſum demonſtrat. Hæc ille.

MLXXXVIII.

Guozedecum arx iuxta Miſnam.

[illegible] Vratiſlaus I. Rex Boëmiæ anno ſuperiore deſignatus, ditionem Miſnenſem, ab Imperatore dono datam, armis ſibi vendicat, & ad vrbem Miſnam caſtrum Guozedecum (vt Coſmas nominat) intra breue ſpacium extruit, præſidijsq; firmat. Hodie huius caſtri & locus & nomen planè ignoratur.

MXCVIII.

Benedæ Boemi facinus.

Caſtrum modò dictum Rex in locum munitiorem transfert. Interea Beneda exul, vir illuſtris, quem rex oderat, ad Bennonem Præſulem confugit: Hunc rex ſpecie colloquij circumueniens, ei perſuadet, vt gladium deponat: quod cùm feciſſet, ipſum comprehendi mandat. Vir animoſus alio gladio, de femore regij cubicularij rapto, ipſum cubicularium primo ictu proſternit: Regi pugnanti tria vulnera infligit: demum à turba è caſtris aduolante opprimitur. Mortui corpus equo tractum, & ante fores templi Miſnenſis conditum v. Idus Iulij. Idem Coſmas, de cuius hiſtoria hæc tranſtulimus, Benedam virum iuſtum & Dei martyrem nominat.

MCVII.

Benno Præſul obit, anno ætatis ſuæ ſexto & nonageſimo, ſeſſionis ſeptimo & quadrageſimo, XVI. Cal. Iulij. In numerum diuorum quando relatus ſit, & quibus auctoribus, libro tertio exponetur.

Heruigus Præſul.

Eodem anno, qui fuit Henrici V. Imp. electi primus, eligitur Præſul Heruigus, qui templum Vurcinenſe ad Muldam fundauit intra mœnia, inque eo fuit ſepultus. Tumulum eius clatris circundatum diruit Eraſmus Spigelius noſtro tempore.

MCVIII.

Donatio.

Donatio facta ab Henrico V. templo Miſnenſi, quam confirmarunt Antiſtites Fridericus Colonienſis, Bruno Treuirenſis, Adelgodus Magdeburgius. Præſules, Albinus Merſburgius, Otho Bauenbergius, Burchardus Monaſterienſis.

MCXVIII.

Gramberus Præſul. Eluuio.

Heruigus Præſul obit v. Calend. Iulij, cui Gramborus ſuccedit.

Eodem anno aquarum magnitudine agris villisq; illata vaſtitas eſt, menſe Septembri.

Præſu-

M C X X.

Præſules Miſnenſis & Hauelburgius, Magdeburgi erant, vt Norbertum antiſtitem Heriberti domini Sandinij filium conuenirent. In ea vrbe prid. Iulij, tumultus à plebe excitatur, quòd antiſtes maiorem Eccleſiam violatam noctu clam dedicaſſet. Obſeſſus ipſe cum duobus ſocijs Præſulibus, & conuicijs ciuium tanquam ſacrilegus agitatus, pacem à ciuibus conſequitur, amborum Præſulum rogatu, vt ſcribit Conradus presbyter Lauterbergius. Huius temporibus Ditericus præſul Citienſis, in colle Boſenam monaſterium extruit, qui cùm religionis ac diſciplinæ eſſet obſeruans, adoleſcentem quendam Sclauum, quem multis beneficijs affecerat, ſed admodum contumacem, ſæpe obiurgans, officij ſui admonebat. Verùm ſceleratus homo non de emendatione, ſed de vltione cogitans, oblato tempore, quo in monaſterio ſacra præſul faceret, cum ante aram ſica traijcit, & quia meditatò facinus commiſerat, impunis euadit. *Præſul Citienſis cæditur.*

M C X X I I I.

Henricus v Imp. morte Dedonis Marchionis cognita, eius ditionem regis Vratiſlai genero, comiti Oſtrolandiæ Viperto, militiæ exactæ præmium, tradit poſſidendam, ſed eam vltra triennium non tenuit: Henricus enim Henrici nepos, Dedonis filius, qui pro patre obſes fuerat, & è cuſtodia præfecti imperatorij effugerat, auxilio Electoris Saxoniæ Lotharij, qui paulò pòſt imperauit, expellit Vipertum, & paternam prouinciam recipit. Hoſtes eiecti, agrum Miſnenſem vaſtant, vt Coſmas tempora notat, ſole morante in decimaquinta parte ſagittarij: vt nos loqui ſolemus, die XXIIII. Nouembris: vt Romanorum ratio habet, VIII. Calend. Decemb. *Miſna data comiti Viperto.*

M C X X V I.

Vetere Marchionum gente, de ſtirpe atque familia Brunonis Vuernechini filij, extincta, prouinciam Miſnenſem Imperator Lotharius, Conrado Vuetini Comiti, Thimonis filio, affini ſuo concedit: cuius poſteritas rerum adhuc potitur feliciter, & à Vuitichindo Magno, Brunonis fratre, auſpicatam ducit originem. *Conradus I. Marchio Miſnenſis.*

M C X X I X.

Gramborus præſul obit prid. Calend. Iun. cui ſuccedit Godeuoldus, vel (vt Sarctorius illum vocat) Gotholdus. *Godeuoldus præſul.*

M C X X X.

Anno Lotharij Saxonis Imp. quarto, Godeuoldus ſynodum conuocat in vrbem Miſnam, omnium ſacerdotum ſuæ diœceſis. In ea congregatione diſciplinam laxatam reſtituere, & licentiam ſacerdotum coercere voluit: ſed ita ab omnibus ei repugnatum eſt, vt deſiſtere à propoſito cogeretur. Ei ſynodo Marchio, cum filijs Othone, Diterico, Henrico, Dedone, Friderico interfuit. Abfuit Hermanus præſul Bauenbergius, qui in omnibus Annalib. Miſnenſibus omittitur. *Synodus Miſnenſis.*

Funus Viperti Comitis Oſtrolandiæ, cum vicinis aliquot præſulibus in Pega monaſterio præſul Miſnenſis procurat.

MCXXXV.

Finit Chronicum Goteſeccium, anno Lotharij Imp. nono.

Menſe Decembri tanta vis ventorum, vt multas domos in agris vrbibusq; deſtrueret.

MCXXXIIII.

Ecclipſis ſolis. Eclipſis Solis tanta, IIII. Non. Auguſti, vt mane hora diei octaua, ſtellæ in cœlo apparerent, cuius mentio fit in ſupplemento Lamberti Schafnaburgij, quod Monachus quidam Erfurdianus collegit.

MCXXXIX.

Præſul acceſſionem ad reditus à Vuighardo & Luthero duobus nobilibus Slauis accipit pagum, vino nunc nobilem, Cotisbrodam, anno ſeſſionis XI. quam illi confirmauit Innocentius II. Pontifex.

MCXL.

Reinuardus Præſul. Godeuoldus obit Calend. Septemb. cui Reinuardus præpoſitus, ſucceſſor datus eſt. Hoc ſedente quatuor caſtella diruuntur, Groninga, Anhaltum, Gabelentia, Vuitega, vt ait Conradus Presbyter. Eiuſdem temporibus Bruno Comes Pleiſenſis, Vuillæ vxoris inſtinctu, cœnobium Smollenſe ad Salam tranſtulit, & Portam appellari fecit: quod antea ad Sprottam fluuium fuit ſitum. Smolla autem incrementum ſumpſit, ex æde beatæ virginis, ad quam concurſus non minor fuit, quàm ad Aquisgranenſem, vt ait Sarctorius.

MCXLII.

Hiems aſpera & diuturna & niuoſa. Hoc anno Hermanus Burggrauius Miſnenſis, Henricus Leiſnicius ſubſcripſerunt diplomati Conradi II. Imperatoris, quo confirmauit fundationem Lotharij, de cœnobio Chemnicenſe extra mœnia.

MCXLIIII.

Lis inter Præſulem & Marchionem. Inter Reinuradum Præſulem, & Conradum Marchionem Miſnenſem, ob villas aliquot in diœceſi Niſana, circa vrbem Budiſſinam ſitas, contentio oritur: quam Conradus II. Imperator æquis conditionibus dirimit, iure partibus ambabus præſcripto. Cùm Marchio eſſet alieniore erga Præſulem animo, Eugenius III. Romanus Pontifex, literis eum Principi commendat, & reconciliat, vt eſt in Annalibus Lauterbergi.

MCXLVI.

Bertholdus Præſul. Reinuardus Præſul obit IX. Cal. Aug. in cuius locum Bertholdus ſuccedit, de quo nihil inuenimus, præter obitus diem XIIII. Cal. Sept.

MCLI.

Fames & lues. Fames & peſtilentia, quæ ſecuta ſunt hiemem, adeò aſperam, vt apes & volucres frigoribus perirent.

MCLII.

Albertus Præſul à Conrado Imp. euocatur Aldeburgum, ad Pleiſam amnem, à quo propter eruditionem & prudentiam legatus in Græciam

ciam mittitur ad Immanuelem Imp. Conſtantinopolitanum. Huius Præſulis nomen in catalogis communibus ideo fortaſſe omiſſum, quia procul à patria in itinere perijt. In Chronico Saxonum nominatum inueni, quod deſinit circa annum M C C L. *Legatio in Græciam.*

M C L I I I I.

Bruno I. Præſul, obit I I I I. Idus Iunij: nec vltra biennium ſedit. Ei ſuccedit Gerungus, abbas Boſanus, decimus ordine, qui à Friderico Imp. in demortui Alberti (vt Chronicum Saxonicum) vel (vt catalogus Miſnenſis) in Brunonis locum miſſus eſt: vir opinione integritatis clarus. Anno ſuæ ſeſſionis primo, x. Cal. Decemb. exulibus Flandrenſibus, Coronam villam prope Vurcinam habitandam conceſſit. Adinſtaurandum montis diui Viti templum in Vodlandia, rei igne iniecto abſumptum, Olſnicenſibus impenſas miſit. Primus bibliothecam inſtituit, quam poſtea ſub Iohanne V I I. auxit libris, & ædificio ornauit Melchior Meca Cardinalis, Præſul Brixinenſis, & Miſnenſis præpoſitus. Inter viros laudatos celebratur Gerungus in Annalibus Lauterbergi. In hac bibliotheca inuenti nuper ſunt ſermones quatuor de patientia Iob, & decem de pœnitentia, quos vertit Lilius Tiſernas, quas Cochlæus curauit excudendas primùm Lipſiæ per Nicolaum Vuolrabum M. D. XXXVIII. *Gerungus Præſul.* *Templum diui Viti.* *Bibliotheca.*

M C L V.

Conradus Marchio Miſnenſis, quem Magnum vocat cognomento Sarctorius, Pium alij: ſuaſu Vuigmani Antiſtitis Magdeburgij, & Gerungi Præſulis, dedicat templum Lauterbergianum, ſitum non procul ab Hali Saxonica, in monte. *Mons Sereni, ſeu diui Petri.*

M C L V I.

Idem Marchio præſente Vuigmano ſuæ ſororis filio, Antiſtite Magdeburgio: præpoſitis Conrado Hallenſe, Erneſto Numburgano, Friderico Kettelingo, præterea genero ſuo Alberto Marchione Brandeburgio: Comitib. Holero Manſueldio, Vualthero Arnſtadio, Burchardo Falchenſteinio: plurimis item nobilibus, arma equeſtria vltro exuit, & in baſilica Miſnenſe ſuſpendit. Inde pridie Cal. Decembris in Lauterbergum concedit, habitumque religioſi aſſumit, poſt duos menſes, ac dies quinque obit ibidem: liberorum tredecim parens, è quibus Hermanus filius, Præſul Bauenbergius, in noſtris Annalibus non memoratur. Eius filia Gertrudis Hermani Palatini Rheni vxor, perperam in monumentis Cellenſibus eius ſoror dicitur, cùm ſororem habuerit Mathildim, Geroni comiti Bauariæ nuptam. *Marchio fit canonicus regularis.* *Error annalium.*

M C L V I I.

Vladiſlaus Rex Boëmiæ I I. Miſniam regionem armis & rapinis inuadit: ſed mox ductus facti violenti pœnitentia, pro damnis illatis, Præſuli Gerungo ſatisfacit. *Boemus vaſtat Miſniam.*

Eodem anno naulum, quod de traiectu Albis, ponte ſublicio nondum facto, peculiariter pendebatur familiæ Præſulis, Gerungus reditibus templi aſſignat. *Naulum.*

Circa hoc tempus, Hermani Burggrauij vrbis Miſnæ, & Prebeſlai eiuſdem vrbis aduocati, quos nunc Præfectos nominant, fit mentio in Chronico Lauterbergio. *Burggrauius Miſnæ.*

MCLX.

Comitia Erfurdiana. Comitia Erfurdiæ celebrantur, mandato Imp. Friderici 1. quibus bellum decretum eſt in Inſubriam contra Mediolanenſes. Interfuerunt antiſtites, Treuirenſis, Colonienſis, Magdeburgius: præſules, Eberhardus Bauenbergius, Eberhardus Mersburgius, Bertholdus Citienſis, Gerungus Miſnenſis. Duces, Henricus Saxonum, Fridericus Sueuorum, Ludouicus Turingorum, Conradus Palatinus Saxonum, Albertus & Otho Marchiones Miſnenſes.

Eodem anno VVenceſlaus rex Boëmiæ, quod diœcæſi Miſnenſi incendijs vaſtationem intulerat, pro ſe fratribusq́; ſuis Henrico & Debaldo, & pro filio Friderico ſuo iterum ſatisfacit: & damna recompenſat præſuli Gerungo. Literæ ſcriptæ à Geruaſio Præpoſito VViſegradenſe, regni Cancellario.

MCLXIII.

Eluuio. Albis fluuius ripam tranſgreditur, cum infinita agrorum ſtrage.

MCLXIIII.

Pluuia ferri. Circa feſtum Pentecoſtes in magno typhone pluiſſe ferro, annotauit Sarctorius.

MCLXV.

Vuigmannus Antiſtes Magdeburgius oppidum Lubnicium permutauit: & pro eo accepit Pretinum: quod diœceſis Miſnenſis iunc erat. Factum Magdeburgi Prid. Calen. Febtuarij, præſentibus quinq; tum præſulibus: inter quos Gerungus Miſnenſis fuit: ad quem actio pertinuit præcipuè.

MCLXVI.

Frumenti omnis generis magna vbique copia.

MCLXX.

Gerungus eum cœnobium Lauterbergianum viſitandi gratia adiret, in morbum incidit, & ibidem mortuus x i i i. Calend: Decemb. Miſnam ad ſepulchra præſulum refertur. Datur ei ſucceſſor ex eodem cœnobio *Martinus præſul.* Martinus, qui cum principibus & ſacerdotibus, ſumma vixit concordia, vir moderatus & ſimplex. Eius in priuilegijs Lauterbergi fit mentio, & in ſupplemento Lamberti.

MCLXXIIII.

Sterilitas. Ventorum fuit tanta vehementia, tota æſtate, vt inopia ſequeretur frugum: toto verò autumno, tantæ pluuiæ, vt inde non modica inundatio.

MCLXXV.

Incendia. Aeſtas admodum ſicca, & tempeſtates fulminum, quibus excitata multis in locis ædificiorum incendia.

Otho Marchio Miſnenſis Conradi filius, ad fluuium Muldam fundat in ſiluoſis vallibus cœnobium Veterocellenſe, ante quod tribus annis à Friderico Imperatore fundatum fuit Aldenburgium.

MCLXXVIII.

Saxoniæ

Saxoniæ Palatinatus à Comitibus Goteſeccijs ad Landgrauium Turingiæ, & Miſniæ Marchionem Ludouicum III. munere Friderici I. Imperaroris: inde ad Henricum I. Marchionem Miſneniem hæreditate peruenit.

Palatinatus Saxoniæ.

MCLXXX.

Otho & Ditericus fratres, Marchiones Miſnenſes, interfuerunt Comitijs Vurciburgijs, in quibus Imp. ducarum Bauariæ & Saxoniæ ademit Hentico Bruuſuigio, cognomento Leoni, Henrici Nigri filio.

Comitia Vurciburgia.

MCLXXXIIII.

A Dedone diuæ Elizabethæ proauo materno, Comite Rochlicio, conditum eſt Cillenenſe cœnobium ad Muldam, in quo nobilium tantùm liberos educari voluit: ſed breui & religionis forma, & Principis inſtitutum mutatum eſt. Illi enim non pietatis ſtudijs, ſed odijs inter ſe & inuidia certantes, cancellos legum ac diſciplinæ rumpunt, ſuumque præpoſitum in coërcenda petulantia acriorem, armis inuadunt, & pede mutilant, & in profluentem conijciunt: vnde is locus nomen ſeruauit, vt Præpoſiti gurges appelletur. Secundum à Præpoſito, Priorem vocant, in collo & capite lethaliter vulnerant. Poſt illud facinus, cœnobium cum redditibus Hardemano Comiti Heldrungio ordinis Teutonici magiſtro aſſignatur, & nobilitas contumax iuſſa fuit ire in exilium. Cillena noſtro tempore mutauit nomen, & appellatur nunc Vuechſelburgum. Iiſdem temporibus à Marchionibus Miſnenſibus fundata Dobraluçha ad Eliſtrum nigrum, in Luſatia à Diterico: Bucha ad Zſcopæ fluminis oſtium, in Oſterlandia, à Friderico: Brena prope Halim Saxonicam, à Friderici filijs Othone & altero patri cognomini, qui in locis tranſmarinis cum Barbaroſſa Imp. perijt in vrbe Ptolemaide.

Nobilitas diſciplinæ impatiens. Probſt tumpel.

MCXC.

Martinus Præſul vitam finit, Id. Iul. qui in conuentu Moguntino conſenſerat in expeditionem & bellum ſacrum in Palæſtinam: eidem ſufficitur Præpoſitus Miſnenſis Ditericus II. Hic cœnobij Afrani reditus & libertatem auxit: Canonicis deligendi Præpoſiti, quod ius penes Præſulem fuerat, poteſtatem concedit, ita tamen, vt electus auctoritate ipſius confirmaretur.

Comitia Moguntina. Ditericus II Præſul. Libertas conceſſa.

MCXC.

Dedo Rochlicius, Conradi Marchionis Miſnenſis filius, dictus propter obeſitatem Craſſus, obit XVII. Calendas Sept. Hic aruinam corporis ſecandam medico præbuit, antequam cum Henrico VI. iret militatum in Apuliam, vt ſcribit Conradus Lauterbergius. Filiam habuit Agnetem, quæ Bertholdo Duci Meraniæ erat collocata: hæc in filiabus duabus mater extitit infelix. nam primam ſibi cognominem (non Mariam dictam, vt Aemilius ſcriptor Gallicus) inſtinctu Innocentij tertij Pont. maritus Galliæ rex Philippus repudiat, & Pontiacum relegat. Alteram Gertrudim duxit Andreas rex Vngariæ, qui eam interfici iubet, neſcio cuius adulterij conſciam. Hæc peperit Elizabetham, vxorem Ludouici VI. Turingiæ Landgrauij: quæ itidem infelix. nam matrem amiſit gladij ſupplicio, maritum in locis externis propter nauigationem nauſea, filiū domi veneno, ipſa præterea à leuiro ſuo poſſeſſione expulſa

 eſt:

MCLX.

Comitia Erfurdiana. Comitia Erfurdiæ celebrantur, mandato Imp. Friderici 1. quibus bellum decretum eſt in Inſubriam contra Mediolanenſes. Interfuerunt antiſtites, Treuirenſis, Colonienſis, Magdeburgius: præſules, Eberhardus Bauenbergius, Eberhardus Merſburgius, Bertholdus Citienſis, Gerungus Miſnenſis. Duces, Henricus Saxonum, Fridericus Sueuorum, Ludouicus Turingorum, Conradus Palatinus Saxonum, Albertus & Otho Marchiones Miſnenſes.

Eodem anno VVenceſlaus rex Boëmiæ, quod diœceſi Miſnenſi incendijs vaſtationem intulerat, pro ſe fratribusq; ſuis Henrico & Debaldo, & pro filio Friderico ſuo iterum ſatisfacit: & damna recompenſat præſuli Gerungo. Literæ ſcriptæ à Geruaſio Præpoſito VViſegradenſe, regni Cancellario.

MCLXIII.

Eluuio. Albis fluuius ripam tranſgreditur, cum infinita agrorum ſtrage.

MCLXIIII.

Pluuia ferri. Circa feſtum Pentecoſtes in magno typhone pluiſſe ferro, annotauit Sarctorius.

MCLXV.

Vuigmanus Antiſtes Magdeburgius oppidum Lubnicium permutauit: & pro eo accepit Pretinum: quod diœceſis Miſnenſis tunc erat. Factum Magdeburgi Prid. Calen. Februarij, præſentibus quinq; rum præſulibus: inter quos Gerungus Miſnenſis fuit: ad quem actio pertinuit præcipuè.

MCLXVI.

Frumenti omnis generis magna vbique copia.

MCLXX.

Gerungus cum cœnobium Lauterbergianum viſitandi gratia adiret, in morbum incidit, & ibidem mortuus XIII. Calend: Decemb. Miſnam ad ſepulchra præſulum refertur. Datur ei ſucceſſor ex eodem cœnobio Martinus, qui cum principibus & ſacerdotibus, ſumma vixit concordia, vir moderatus & ſimplex Eius in priuilegijs Lauterbergi fit mentio, & in ſupplemento Lamberti. *Martinus præſul.*

MCLXXIIII.

Sterilitas. Ventorum fuit tanta vehementia, tota æſtate, vt inopia ſequeretur frugum: toto verò autumno, tantæ pluuiæ, vt inde non modica inundatio.

MCLXXV.

Incendia. Aeſtas admodum ſicca, & tempeſtates fulminum, quibus excitata multis in locis ædificiorum incendia.

Otho Marchio Miſnenſis Conradi filius, ad fluuium Muldam fundat in ſiluoſis vallibus cœnobium Veterocellenſe, ante quod tribus annis à Friderico Imperatore fundatum fuit Aldenburgium.

MCLXXVIII.

Saxoniæ

Saxoniæ Palatinatus à Comitibus Goteſcecijs ad Landgrauium Turingiæ,& Miſniæ Marchionem Ludouicum III. munere Friderici I. Imperatoris: inde ad Henricum I. Marchionem Miſnenſem hæreditate peruenit. *Palatinatus Saxoniæ.*

MCLXXX.

Otho & Ditericus fratres, Marchiones Miſnenſes, interfuerunt Comitijs Vurciburgijs, in quibus Imp. ducatum Bauariæ & Saxoniæ ademit Henrico Brunſuigio, cognomento Leoni, Henrici Nigri filio. *Comitia Vurciburgia.*

MCLXXXIIII.

A Dedone diuæ Elizabethæ proauo materno, Comite Rochlicio, conditum eſt Cillenenſe cœnobium ad Muldam, in quo nobilium tantùm liberos educari voluit: ſed breui & religionis forma, & Principis inſtitutum mutatum eſt. Illi enim non pietatis ſtudijs, ſed odijs inter ſe & inuidia certantes, cancellos legum ac diſciplinæ rumpunt, ſuumque præpoſitum in coërcenda petulantia acriorem, armis inuadunt, & pede mutilant, & in profluentem conijciunt: vnde is locus nomen ſeruauit, vt Præpoſiti gurges appelletur. Secundum à Præpoſito, Priorem vocant, in collo & capite lethaliter vulnerant. Poſt illud facinus, cœnobium cum reditibus Hardemano Comiti Heldrungio ordinis Teutonici magiſtro aſſignatur, & nobilitas contumax iuſſa fuit ire in exilium. Cillena noſtro tempore mutauit nomen, & appellatur nunc Vuechſelburgum. Iiſdem temporibus à Marchionibus Miſnenſibus fundata Dobraluçha ad Eliſtrum nigrum, in Luſatia à Diterico: Bucha ad Zſcopæ fluminis oſtium, in Oſterlandia, à Friderico: Brena prope Halim Saxonicam, à Friderici filijs Othone & altero patri cognomini, qui in locis transmarinis cum Barbaroſſa Imp. perijt in vrbe Ptolemaide. *Nobilitas diſciplinæ impatiens. Probiſt tum pel.*

MCXC.

Martinus Præſul vitam finit, Id. Iul. qui in conuentu Moguntino conſenſerat in expeditionem & bellum ſacrum in Palæſtinam: eidem ſufficitur Præpoſitus Miſnenſis Ditericus II. Hic cœnobij Afrani reditus & libertatem auxit: Canonicis deligendi Præpoſiti, quod ius penes Præſulem fuerat, poteſtatem concedit, ita tamen, vt electus auctoritate ipſius confirmaretur. *Comitia Moguntina. Ditericus II Præſul. Libertas conceſſa.*

MCXC.

Dedo Rochlicius, Conradi Marchionis Miſnenſis filius, dictus propter obeſitatem Craſſus, obit XVII. Calendas Sept. Hic aruinam corporis ſecandam medico præbuit, antequam cum Henrico VI. iret militatum in Apuliam, vt ſcribit Conradus Lauterbergius. Filiam habuit Agnetem, quæ Bertholdo Duci Meraniæ erat collocata: hæc in filiabus duabus mater extitit infelix. nam primam ſibi cognominem (non Mariam dictam, vt Aemilius ſcriptor Gallicus) inſtinctu Innocentij tertij Pont. maritus Galliæ rex Philippus repudiat, & Pontiacum relegat. Alteram Gertrudim duxit Andreas rex Vngariæ, qui eam interfici iubet, neſcio cuius adulterij conſciam. Hæc peperit Elizabetham, vxorem Ludouici VI. Turingiæ Landgrauij: quæ itidem infelix. nam matrem amiſit gladij ſupplicio, maritum in locis externis propter nauigationem nauſea, filiū domi veneno, ipſa præterea à leuiro ſuo poſſeſſione expulſa

eſt; iſta tamen omnia fœmina præclara ſuperauit virtute & patientia. In numerum diuarum poſt obitum aſcripta, tumbam habet Marpurgi in Haſſia.

MCXCIII.

Incurſio. In agrum Miſnenſem Boëmus Sobiſlaus facit incurſiones, & ex eo locisq; vicinis prædam agit.

MCXCV.

Miſna vrbs capta. Miſna capitur ab Henrico VI. Imp. qui Alberto Marchione, Othonis Diuitis filio fugato, eam triennium regit per vicarios. Diſcordia principum de imperio certantium efficit, vt Dietericus Marchio eiuſdem Othonis filius paternam atque auitam prouinciam, ſine armis atque tumultu recuperaret.

MCXCVI.

Ditericus Præſul, qui erat ad Cœleſtinum Pontificem grauiter accuſatus à ſuis Canonicis: etiam à Vurcinenſe Præpoſito defertur: tanquã non iuſtis ſuffragijs dignitatem accepiſſet, Põtifex ad cauſam cognoſcendam conſtituens certos homines, eum propter innocentiam abſoluit: & eius aduerſarijs mandat vt ſint ſui Præſulis exemplo modeſtiores.

MCCVI.

Ludus Afranus. Ditericus Præſul puerorum duodecim ludum inſtituit, in cœnobio Afrano, qui ipſius eleemoſynis viuerent, & in literis ac Muſicis erudirentur: cuius inſtitutum ad noſtra vſque durauit tempora: & eius ludi vltimus magiſter fuit Volfgangus Pfendnerus, poſtea doctor Theologiæ, & paſtor Annebergius, vir ſingulari doctrina & grauitate.

Ordines mendicantium. Litem quæ inter Præſulem, & Burggrauium Donenſem interceſſerat, Ditericus Marchio Miſnenſis eodem anno componit. Circa hæc tempora duo mendicantium ordines capiunt initium, Dominicani & Franciſcani: ille in Aemilia, hic in Vmbria Italiæ regionibus. Erant tum & de imperio, & de pontificatu contentiones tantæ, vt omnis religio & diſciplina neglectui haberetur: vnde poſtea ſuperſtitioni & erroribus plenæ feneſtræ aperiebantur. Sacerdotes enim de dignitatibus prælia ſuſcipiebant, & munus docendi concedebant alijs, quod in clauſtra ad monachos receſſit.

MCCVII.

Schiſma. Ditericus Præſul cùm ſediſſet annos ſeptendecim, III. Cal. Sept. obit, fautor modeſtiæ & ſtudiorum. Durauit ſchiſma ſupra anni ſpacium, antequam alius eligeretur. Siffridi presbyteri Miſnenſis Chronicum hîc terminatur, anno Alberti I. Imperatoris nono, Clementis V. ſecundo: vt ipſe in præfatione teſtatur.

Fulmen. Hoc anno de cœlo tacta baſilica Miſnenſis: ſed Magdeburgia diui Mauricij tacta eſt & cremata.

MCCIX.

Bruno II. Præſul. Tribus competitoribus remotis, Bruno II. antea præpoſitus Miſnenſis, pronunciatur Præſul. Fratres Mildenſtenij Arnoldus, Henricus, Richardus, à quibus ipſe decimas exigebat, in diœceſi Francobergia ad Tſchopam fluuium, ditionem Præſulis ferro & igne violant, & tempore lo-

re locoq́; captato, Præſulem capiunt, & comitem eius ſacerdotem mutilant. Quod factum, cùm inſtigante Honorio pontifice, animo iniquiſſimo ferret, Ludouicus VI. Turingiæ Landgrauius, Henrici Marchionis Miſnenſis, ſororis ſuæ filij, tutor, nobiles cogit, vt præſulem incolumem dimittant, eumq́; ſibi, quaſi ſacro parricidio commiſſo, reconcilient. Illi ad ſatisfactionem compulſi, primùm cenſura Eccleſiaſtica, vt vniuerſi cum triginta alijs nobilibus, habitu ſupplicantium, faſcesq́; virgarum manibus omnes tenentes, à præſule Merſburgio veniam delicti in publico conuentu peterent: Arnoldus deinde ſolus, qui ſacerdotem vulnerauerat, cum alijs quinquaginta nobilibus, templum Miſnenſe ſupplex ac ſordidatus, nudis pedibus intraret, & ſe præſulis iudicio ſubmitteret. Placata ſacerdotum ira, iuſſi ſunt à tutore principe decimas dare præſuli, de ſuis bonis omnibus, & tria pondo argenti annua numerare: tum ſolum patrium vertere ad biennium. Terrore aduerſarijs tanto exemplo incuſſo, adminiſtrationem minimè turbulentam in poſterum habuit. *Pœna in nobiles qui ſacerdotem læſerant.*

MCCX.

Tanta hiemis intolerantia, vt homines multi frigore perirent, arbores vſque ad radices imas gelu exareſcerent. *Hiemis aſperitas.*

MCCXI.

Adela Othonis, cognomento Diuitis, Marchionis Miſnenſis filia, non ſoror eius, vt Crancius, repudiatur à Premiſlao rege Boëmiæ. Cauſa repudij ponitur in monumentis Cellenſibus, propinquitas: à Dubrauio, ſterilitas: ſed neutra vera eſt. Nam coniunctionem eorum nemo impedijt, & ipſa parens quatuor liberorum fuit. Habere autem eam vxorem Boëmus recuſauit, odio fratris eius, affinis ſui Diterici Marchionis, ideo quòd partes regis Romani Philippi foueret, contra factionem Othonianam, cui Boëmus erat addictiſſimus: vndè Othogarus, quaſi Ottiſch gar nominabatur, vt idem Dubrauius ſcribit. Cauſa Adelæ à Pont. Innocentio III. demandata eſt arbitris Alberto II. Antiſtite Magdeburgio, & præpoſito Seburgenſi: vt teſtatur conſtitutio decretalis lib. 2. titulo De teſtibus & atteſtationibus 20. cap. 46. Cuius conſtitutionis verba ſubſcribam, quæ ex hac annotatione noſtra fient apertiora. *Repudium filiæ Marchionis.*

ANTISTITI MAGDEBVRGENSI, ET PRAEPOSITO SEBVRGENSI.

Conſtitutis in præſentia noſtra, procuratore ſororis nobilis viri Diterici Marchionis Miſnenſium, & nuncio illuſtris Principis Boëmorum, ipſa volente ad ipſum accedere, vt ſuas coram eo proponeret actiones: ſed à ſatellitibus eiuſdem prohibita, qui eam bis vel tertio prohibuerunt ingreſſu, poſt appellationem ad nos interpoſitam, diuortij ſententiam promulgauit, à qua ipſa fecit ad noſtram præſentiam prouocari, &c. Mandamus, quatenus partibus ad locum idoneum conuocatis, recipiatis teſtes, quos vel nobilis ipſa pro ſe, vel princeps pro parte ſua (cum nondum teſtificata didicerint) ſuper proceſſu Pragenſium Epiſcopi, vel poſteriorum iudicum duxerint producendos: & nobilis ipſa pro ſe, vel teſtes, quos induxit Epiſcopus, vel alios ſi voluerit inducere, non vetetur, cum non renunciauerit teſtibus producendis.

Cauſa

Cauſa tranſacta non eſt, ſed Adela ad mortem vſque exulauit. Cui frater Marchio de eius ſententia ex ipſius dote cœnobium condidit in Vuaſſerburgio, quod poſt paucos annos ex vrbe tranſlatum ad ripam Albis eſt, in qua vitam tranſegit vidua, obijt Calend. Febr. Boëmus dux x Conſtantiam, Belæ I I I. regis Vngariæ filiam.

MCCXIII.

Paſtores mali. Bruno I I. Præſul, templum diuæ Mariæ in oppido, monachis Afranis regendum tradit. Paſtores improbi ſunt, qui munus docendi egentibus mercenarijs committunt. Idem templum Budiſſinenſe ad Sueuum fluuium fundauit, & cum Premiſlao rege Boëmiæ negotium de finibus inter Budiſſinam & Zogaſtam tranſigit.

MCCXVIII.

Erat Mocco quidam primæ inter Vandalos nobilitatis, à quo oppidum Iocherinum & arx Stolpena poſſidebantur: qui cùm ſuorum animos iniurijs alienaſſet, inclinare ad Præſulem Miſnenſem cœperunt: qui primùm præfecturam Stolpenenſem à Moccone redemit, poſtea totam eius ditionem comparauit.

MCCXIX.

Mors miſera. Vilhelmus patria Torgânus, abbas Veterocellenſis, Albim nauicula traiecturus, cum aliquot monachis & miniſtris mergitur.

MCCXXII.

Princeps infelix. Obit Ditericus Marchio Miſnenſis filiorum quinque & trium filiarum parens: ſed vnus filius tantùm ſuperſtes manſit Henricus, primus Landgrauius Turingiæ. Infelix propter fratrem, qui illum in exilium egit: & propter Henricum V I. Imp. qui ei propter metalla inſidiatus eſt. Filiorum mortuorum nomina ſunt Ditericus, Otho, Conradus, Henricus I. Præpoſitus Miſnenſis, & Henricus I I. Landgrauius · filiarum, Iutta, Heduigis, Sophia, quæ puellæ moriuntur. Primæ nomen exprimitur in monumentis Miſnenſibus, vltimæ in Lauterbergijs, mediæ in Originibus, Iutta obit I I I. Idus Iunij. Sophia X V I. Calendas Aprilis: tempora annorum non ſunt annotata.

Incendium. Vrbs Miſna x. Cal. Sept. igne tota conſumitur, vt eſt in Annalibus Lauterbergi.

MCCXXIIII.

Bruno Præſul & Ludgerus abbas Cellenſis de agris contendunt: arbitri ſunt, Ludouicus Turingiæ Landgrauius, Engelhardus Numburgenus, Conradus Hildeshemius præſules.

MCCXXV.

Scharfenbergum metallum. Venæ metalli Scharfenbergi inuentæ atque effoſſæ ſunt, argenti & plumbi feraces, ſupra Miſnam vno ad ortum milliario. Coluntur adhuc noſtris temporibus, eſtque locus ſub ditione familiæ Milticiæ. Hoc anno definit Chronicum Conradi presbyteri Lauterbergij ſeu montis Sereni, anno Friderici I I Imperatoris decimo quarto.

MCCXXIX.

Bruno I I. auctis Eccleſiæ bonis, & ditione propagata prid. Non. Decemb. obijt, anno seſſionis vigeſimo.

Idem

Idem Bruno cum ætate eſſet decrepitas de eo ab officio amouendo apud Gregorium Pontificem actum eſt: arbitris Antiſtite Magdeburgio, & Brandeburgio Præſule: qui eius dignitatem defenderunt acerrimè.

MCCXXX.

Henricus declaratur præſul. Hic quaſdam donationes ab Othone Henrici Burggrauij Donenſis filio, capite punito accepit, permiſſu Hippolyti cancellarii Vladiſlai, regis Boëmiæ. Idem ius obtinuit in metalla, quæcunque in fundo Eccleſiaſtico foderentur: diploma Friderici II. Imp. ſcriptum ad portum Naonis in Carnia. *Henricus præſul.*

Circa hæc tempora iniuria ſacerdotum & negligentia in docendo excitauit alios duos mendicantium ordines Eremitarum & Seruorum Mariæ.

MCCXXXIII.

Imp. Fridericus II. quicquid auri argentiue vel cuiuſuis metalli, aut è terris foderetur: aut in aquarum decurſibus reperiretur: dicauit templo Miſnenſi. Subſcripſit præter alios Bertholdus Patriarcha Aquileienſis, conſanguineus Comitum Rochliciorum.

MCCXXXV.

Decano Miſnenſi & præpoſito Magdeburgio committitur cauſa inter Præſulem Merſburgium Fridericum, & abbatem Peganum, quæ ab Innocentio III. deuoluta ad Gregorium IX. quòd præſul fundos ſpoliaret, & immunitates Abbati adimeret. Cuius controuerſiæ mentio in Decretalib. lib. I. cap. 5. Tit. 43. & lib. 2. cap. 15. Tit. 19. vbi monaſterij nomen deprauatè ſcriptum eſt. Vtraque conſtitutio ſic habet.

GREGORIVS IX. PRÆPOSITO SANCTAE M. MAGDEburgen. & Decano Miſnen.

Cùm bonæ memoriæ: & infrà. Cùm acta originalia dicantur apud priores iudices remanſiſſe, mandamus quatenus ea cum omni diligentia requirentes, ipſa ſi potuerint inueniri, & ſi quæ partes duxerint legitimè proponenda, in ſcriptis redacta ad noſtram præſentiã remittatis. Alioqui cùm non reuocetur in dubium de conteſtatione litis, ſuper ſtatu Pegauienſis monaſterij. & quibuſdam ſpoliationibus contra Abbatem eius factis, à Merſburgenſe Epiſcopo, recipiatis partium probationes de nouo, audientes, ſi partes audire voluerint de compoſitione tractatum, tam quod ſuper hoc inueneritis, quàm cauſam ſufficienter inſtructam, ad nos remittere procuretis.

Eandem controuerſiam multos ante annos agitatam è libro I. apparet Tit. XLIII. De arbitris cap. V. vt declarant hæc verba.

INNOCENTIVS III. ABBATI ET CONVENTVI de Pegauia.

Super controuerſijs, quæ inter te, & Merſburgenſem Epiſcopum, & quoſdam tuos monachos vertebantur, te promiſiſti arbitrum Magdeburgenſis

genſis Archiepiſcopi ſeruaturum: & infra. Quia legitimè conſtitit, quod fide hinc inde data, compromiſſum eſt in Archiepiſcopum memoratum, nos arbitrium ab ipſo prolatum; decernimus obſeruandum à illis duntaxat capitulis exceptis, quæ contra libertatem ipſius monaſterij, & duarum capellarum, eiusdem in arbitrio ſunt expreſſa: Cùm etſi ſponte volueris, de iure tamen nequiueris ſine licentia Romani Pontificis renunciare priuilegijs vel indulgentijs libertatis, quæ monaſterium illud indicant ad ius & proprietatem Rom. Eccleſiæ pertinere.

M C C X X X V I.

Hiems infucta. Definit Chronicum cœnobij Pegaui anno Friderici II. Imp. 25. Hiems calida, quæ vltra ſedecim dies glaciales non habuit. Tonitrua audita VI. Cal. Febr. & VI. Id. Martij. Meminit eiusdem ſupplementum Lamberti.

M C C X X X I X.

Conradus I. præſul. Obit Henricus Præſul, V. Cal. Iunij & in magna factionum dimicatione Præſul proclamatur Conradus I. Hic de limitibus Vurcinæ, deque decimis in Luſatia & vrbe Miſna contendit cum Henrico Marchione: *Controuerſia.* ſed concordia inter ipſos ſancita ſemel, violata poſtea non eſt. Huius præſulis & Henrici Miſnenſis Marchionis voluntate ampliatum eſt pomerium Afranum. Eiusdem arbitrio inter præpoſitum, & canonicos Lauterbergios, iurgia ſunt compoſita. Confirmationem priuilegij de finibus ditionis Budiſſinenſis à rege Vuenceſlao impetrauit.

M C C X L.

Dicatum Lipſiæ cœnobium Paulinum, præſentibus Antiſtite Magdeburgio, item Præſulibus Rodolpho Merſburgio, Engilhardo Numburgano, Conrado Miſnenſe. Hoc cœnobium noſtris temporibus dux illuſtriſſ. Saxoniæ Mauricius ad Academiam adiunxit.

Venceslaus rex Boëmiæ & Cunegundis eius vxor, ſacerdoti ſibi à ſacris ex vrbe Miſna nato ſumptus conſtituunt annuos: cui donationi Vladislaus regis filius conſenſit.

M C C X L I.

Limites terræ Zagoſtæ & Budiſſinenſis conſtituuntur à rege Vuenceslao, & Brunone præſule, propter quos multæ contentiones fuerant; & graues controuerſiæ. Subſcripſerunt præter alios Albertus dux Saxoniæ, & Ditericus Comes Brenenſis. Non. Maij.

M C C X L I.

Eclipſis ſolis, pridie Nonas Octob.

M C C X L V I.

Innocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Magdeburgenſi Epiſcopo, & dilecto filio præpoſito Seburgenſi.

Dilecti filij, Miſnenſes ſuam nobis tranſmiſere querelam, quòd Burggrauius de Donin, ipſos quadam poſſeſſione ad ſuam Eccleſiam pertinente, ſpoliarit iniuſtè, caſtrum ibidem ædificare præſumens. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatum Burggrauium, vt ablata reſtituat, conquerentibus, vel exhibeat iuſticiam coram vobis, monitione præmiſſa per cenſuram Eccleſiaſticam, appella-

appellatione remota, cogatis. Teſtes autem qui nominati fuerint, ſi ſe gratia, vel odio, vel timore ſubtraxerint, per eandem diſtrictionem, appellatione poſtpoſita compellatis veritati teſtimonium perhibere. Nullis literis veritati & iuſticiæ præiudicantibus, ſi quæ apparuerint à ſede apoſtolica impetratæ. Quòd ſi ambo his exequendis nequiueritis intereſſe, tu frater Archiepiſcope, ea nihilominus exequaris. Datæ Lateran. 4. Non. Iunij, anno Pontificatus noſtri IIII.

MCCXLVII.

Caſtrum Leſnam VVenceslaus Boëmiæ rex dedicat Eccleſiæ Miſnenſi, nomine Ottocari patris, Vuladiſlai filij, Agnetis ſororis. X. Cal. Octobr.

MCCXLVIII.

E viuis excedit Conradus I. Præſul, pridie Epiphaniæ ſeu (vt alij vocant) Theophaniæ. In eius ſedem aſciſcitur Albertus II. Vurcinenſis Præpoſitus, Theologiæ doctor, genere Motzanus, ætate atque moribus maturus, qui à quinque tantùm Canonicis Non. Febr. eligitur, cùm alij concordare nullo modo poſſent. *Albertus II. Præsul.*

MCCXLIX.

Accuſantur Canonici, quòd in ſuo munere incurij & negligentes, non reſiderent in locis ſolitis: ea de cauſa has literas dedit ad Præſulem Legatus pontificius:

Venerabili in Chriſto patri Conrado, epiſcopo Miſnenſi, Frater Hugo diuæ Sabinæ presbyter Card. apoſtolicæ ſedis legatus. Salutem & ſinceram in Domino caritatem. Ad audientiam noſtram peruenit, quòd nonnulli canonici Eccleſiæ Miſnenſis, & aliarum Eccleſiarum, noſtræ diœceſis præbendarum ſuarum prouentus percipientes, non curant in eccleſijs, in quibus illas obtinent, reſidere, propter quod eccleſiæ ipſæ debitis ſeruitijs defraudantur. Nolentes itaque, vt in eccleſijs diminuatur diuini numinis cultus, ſed potius augeatur, noſtra qua fungimur auctoritate mandamus, ſi eſt ita, dictos canonicos, ad faciendam debitam in Eccleſijs ſuis reſidentiam, ſecundum antiquam & approbatam Eccleſiarum ipſarum conſuetudinem, monitione præmiſſa, vt auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam compellatis, contra eos ad priuationem præbendarum ſuarum, ſi rebellio ipſorum meruerit, nihilominus proceſſuri Datum Hildeshemi VII. Id. Martij, pontificatus domini Innocentij IIII. anno IX.

MCCLII.

Henricus Marchio, eiuſque compater Conradus Præſul, ita inter ſe conueniunt, vt nulla amplius lis inter ipſos fuerit. Arbitri erant Ericus antiſtes Magdeburgius, Ludolphus Numburganus, Henricus Merſburgius.

MCCLX.

Peragrabant Miſniam homines quidam famelici, quos Iſidorus appellat Circumcelliones, qui religionis cauſa ipſi ſe flagellis lacerabant, hos è ſua omni diœceſi Præſul hic expulit. Incedebant ſeminudi, iniecta veſte rubea, fortaſſe ſimili illi, quæ voce Hiſpanica dicebatur olim *armilauſa*, non ignota Paulino Nolano ad Sulpitium. *Flagelliferi*

Ddd 2 Idem

MCCLXI.

Succentor datus Eccl. Idem Præſul ſcholæ cathedrali primus Succentorem, vt vocant, dedit, qui ſtudio Muſico & ritibus Eccleſiaſticis pueros inſtitueret. Idem arcem Mogellanam, dictam Rugeralam ædificat, quam collapſam vetuſtate, nunc inſtituit reparare Iohannes IX.

MCCLXII.

Obit Conſtantia Leopoldi Auſtriæ ducis filia, Nonis Iulij, vxor Henrici Marchionis, in Cella ſepulta.

Hugo Vuolckenbergius conſanguineus Henrici Præſulis Mersburgij, mouit controuerſiam Alberto Miſnenſi: Arbitri dati Mersburglus Præſul, & Albertus Burggrauius Aldenburgius.

MCCLXIII.

Præpoſitus Afranus, vocato ad ſe ſuæ ſocietatis Canonico, iuuene erudito & bono, eum rogauit, vt ſibi tres res gratas faceret, ſi fortaſſe contingeret, vt in agone ſibi adeſſet: quod cùm ſubmiſſe polliceretur ſe facturum: Primum eſt, inquit, vt me admoneas ſudoris Chriſti, quem in anguſtia ſui pectoris copioſè effudit, ne videlicet peccatorum multitudine in meo angore obruar. Alterum, vt omnium dolorum & acerbitatum me admoneas, quas Chriſtus in cruce ſuſtinuit, ne rigorem & pœnas delictorum in mea infirmitate ſentiam. Vltimum, vt verborum mea dmoneas, quæ locutus Chriſtus eſt, quibus pro crucifigentibus ſe orauit, & latroni promiſit paradiſum, ne ipſe extremo ſpiritu deficiam: ſed vt Chriſtus ſua caritate me recipere in manum, & cœlos aperire mihi dignetur: qui meis meritis ſeruari nequeo, ac cœleſte regnum obtinere. Hæc Canonicus ille iuuenis multis hominibus retulit, quia cum alacritate mori ſuum præceptorem vidit; & in pluribus poſtea locis inoleuit, vt is conſolandi modus apud morientes ſeruaretur.

MCCLXIIII.

Cometa. Cometa viſus in orientali plaga, ante ortum diei, curſu veloci tendens verſus meridiem, durauit vltra dies quadraginta. Eodem anno in Decembri, diebus Iduum pluuiæ ingentes, & inundationes aquarum.

Burggrauij. Meinherus Burggrauius, vxor Dobriga: amborum filij Meinherus, Iohannes, Boſlaus, Bernhardus, hoc tempore referuntur.

MCCLXV.

Henricus Marchio cognomento Munificus, poſtea etiam Landgrauius Turingiæ, ludos equeſtres in hac vrbe apparatu ſplendido facit: in certamine viri quidam nobiles haſtis traijciuntur: è vulgò homines aliquot calore ac pulueribus extinguuntur, vt Chronica Saxonum memorant. *Ludi equeſtres.* Idem leges promulgat eodem anno, quibus in ditione Miſnenſe Iudæi vterentur, quos ad finem huius libri addere, non viſum eſt incommodum.

NOS HENRICVS DEI GRATIA MISNENSIS ET Orientalis Marchio.

Voluerſis

Vniuerſis præſentem literam inſpecturis, propter diuerſos quæſtionum articulos, qui ſuper iure Iudęorum ſæpius proponuntur, nos iura ipſorum, quibus eos in terra noſtra vti volumus, pariter & gaudere, præſenti litera duximus exprimenda. *Leges Iudæis tradita.*

Si Iudæus conteſtari voluerit ſuper Chriſtiano de debito, vel de alia cauſa, conteſtari debet cum duobus Chriſtianis, & vno Iudæo veracibus & bonę famæ, Chriſtianis iurantibus ſuo more, & Iudæo iurante in ſuo libro. *Debita.*

Si Chriſtianus conteſtari voluerit ſuper Iudæo, de debito, vel de alia cauſa, conteſtari debet cum duobus Iudæis, & vno Chriſtiano veracibus & bonæ famæ.

Nullus Iudæus tenetur reſpondere coram alio, quàm ſuo iudice; quem nos dederimus eiſdem.

Omne pignus, quodcunque fuerit, poteſt Iudæus accipere, ſine adductione teſtium, exceptis præparamentis, & alijs rebus Eccleſiarum, quas ſemper debent accipere cum adhibitione teſtium, duorum Chriſtianorum, & vnius Iudæi, qui ſint bonæ famæ. *Pignora.*

Omne pignus quod Iudæus acceperit, ſi de eo tanquam de furto Chriſtianus aliquis impetierit, Iudæus potius obtinebit cum iuramento, quod in pignore acceperat, quàm Chriſtianus id auferat cum iuramento. Sin Iudæus ſuper hac re teſtes habere poterit, non erit neceſſarium quod iuret, propter præparamenta, ornatus, & res Eccleſiarum; de quibus ſi Iudæus conuentus fuerit, Vuarandatores ſuos abducere debet, vel teſtes duos Chriſtianos, & vnum Iudæum, veraces & bonæ famæ: ſin minus, perdet pignus, & denarios accommodatos. *Vuarandator.*

Si Iudæus de rebus Eccleſiarum conuentus, ſe habere negauerit, & poſtea ſub eo inuentæ fuerint, perdet res ipſas, & denarios accommodatos, & iudicio ſuo vadiabit: aliud incommodum, aut aliam pœnam non ſuſtinebit.

Si Chriſtianus equum Iudęo in pignore poſuerit, & poſtmodùm extra ſuam vuarandiam alius ſub eo reperit, eundem equum, ſi Iudęus vuarandiam habere poterit, vel conteſtatores poſitis pignoribus, equum retinebit: ſin minus, equum perdet, & aliud damnum non ſuſtinebit. Si infra vuarandiam non repetitus fuerit, nec impetitus, Iudęus obtinebit cum iuramento, vel teſtibus, quod idem equus ſit ſibi impignoratus.

Si Chriſtianus cum nuncio iudicis Iudæorum de re ſibi ablata interrogauerit ſcholis & Iudæorum communitatibus, ſi aliquis habuerit, & non recognouerit, & poſtea ſub eo inuenta fuerit; rem ipſam perdet, & denarios accommodatos, & iudici ſuo vadiabit, aliud damnum non ſuſtinebit.

Si Iudæus pignus poſitum perdiderit cum alijs rebus ſuis per ignem vel per furtum, vel per violentam rapinam, & hoc conteſtatus fuerit cum iuramento in libro, vel veracibus hominibus, pignus perditum ſoluere non tenetur. Sed ſi Chriſtianus, qui pignus poſuerat, veniens ad Iudæum argentum ſuum tulerit, & ponderatum exhibuerit, repetens pignus, quod poſuerat à Iudæo: ſuper hoc teſtes videlicet duos Iudęos, & vnum Chriſtianum, veraces addens, & Iudęus non reddiderit: ab ea die vſura non accreſcit, & ſi poſtea Iudęus idem pignus perdiderit, igne,

 vel

vel furto, vel quocunque modo, tenetur Chriſtiano ſoluere ad iuſticiam ſub iuramento, reſtituturus illud, in quo pignus erat melius, quàm ſumma accommodata, & vſuta.

Si autem Iudæus ſequenti die, vel quocunque die poſtea venerit ad Chriſtianum, & pignus idem exhibuerit ad redimendum, ſub teſtimonio duorum Chriſtianorum & vnius Iudæi, & ille non redemerit, & ſi poſtmodum Iudæus perdiderit eidem pignus, igne vel furto, vel violenta rapina cum alijs rebus ſuis, non tenebitur ſoluere Chriſtiano.

Si conqueſtus fuerit Chriſtianus de Iudæo coram Imperatore, & ſi Iudæus tenetur vadiare, vadiabit marcam auri.

Item ſi coram nobis conqueſtus fuerit Chriſtianus de Iudæo, & ſi Iudæus vadiare tenetur, vadiabit ſimiliter marcam auri.

Si coram Camerario noſtro iudice erit conuentus, & ſi vadiare tenetur, vadiabit marcam denariorum.

Coram quocunque alio inferiore iudice, ſi conuentus vadiare tenetur, vadiabit libram piperis.

Item quicunque contra Iudæum habet aliquid quæſtionis, debet coram ſuo iudice, qui pro tempore fuerit, ipſum, & apud ſcholas, vbi ipſorum cauſæ tractantur, conuenire, & iuſticiam accipere applicatam.

Cæterùm ſi qua difficultas quæſtionum orta fuerit, contra Iudæum aliquem, quæ ſuperius non eſt expreſſa, illam ſpecialiter noſtræ definitioni duximus reſeruandam. Ne autem ſuper ijs vnquam dubium oriatur, præſentes literas conſcribi fecimus, & ſigilli noſtri patrocinio roborari. Teſtes huius ſunt, nobiliſſimus vir

Hermanus de Lobdeburg.
Iohannes Burggrauius de Vuetin.
Vuitigo Præpoſitus.
Albertus Dapifer de Brene.
Henricus Camerarius de Gnaneſtein.
Vlricus de Maltitz, & alij quàm plures

Has leges Iudæis latas, mihi ex antiquo codice deſcribendas dedit optimus & ornatiſſimus vir Valentinus Grauius, Senator & Decumanus Fribergius, ſumma fide officij & beneuolentiæ preditus.

GEOR-

GEORG. FABRICII CHEMNICENSIS

ANNALIVM VRBIS MISNÆ

LIBER II.

ANNO A NATO CHRI-ſto Seruatore.

MCCLXVI.

PRÆSVLE Alberto ad VII. Cal. Maij defuncto, & Budiſſinæ ſepulto, ſuccedit præpoſitus Vurcinenſis, & (vt Lamberti ſupplementum) Northuſanus, & Erfurdianus Canonicus, nomine Vuitigo, de generoſa Camenitiorum familia, caſtris aptior, quàm quieti. Primus enim à maiorum ſuorum moderatione diſceſſit. Cum Henrico Marchione Miſnenſe de metalli Scharffenbergij decimis litigat, quam cauſam rex Boëmiæ Vueneeslaus, Henrici affinis, componit. *Vuitigo I. Præſul.*

MCCLXVII.

Arcem VVaſſerburgiam Henricus Landgrauius Turingiæ & Marchionis Miſniæ cum templo Divi Iacobi donat Præſuli: probant Dietericus & Albertus filij.

MCCLXVIII.

Agnes Boëmica Henrici Marchionis Miſnenſis prima vxor, cùm ægrotaret morbo graui, vidit in ſomnis Angelum, de poculo aureo ſibi propinantem: quod cùm de manu eius accepiſſet, atque guſtaſſet, Heu quàm amara, inquit, potio. Cui angelus: Amara quidem certè, ſed mox ingens dulcedo conſequetur, quia mitigabit illam amariciem Dominus. Hoc ſomnium, cùm Principi ſuo retuliſſet, paulò pòſt obijt, Idib. Sept. in cœnobio Veterocellenſe ſepulta. Hæc è Chronico Iſenaçenſe. *Viſio Angeli*

MCCLXXI.

Fames durauit per triennium, cuius & Siffridus meminit, & Lamberti ſupplementum. *Fames trienny.*

MCCLXXII.

Conuentus indictus Budiſſinam, in quo Brandeburgij Iohannes, Otho, Conradus, fratres Marchiones, per arbitros litem diremerunt cum præſule Miſnenſe, propter eas villas, quas rex Boëmiæ Præſuli ademerat, & maioribus Marchionum dederat, eſtque ſatisfactum voluntati Præſulis.

MCCLXXVI.

Fluminum inundatio paſſim agros & villas perdidit, & (vt nonnulli ſcribunt) montes deſtruxit, ipſo menſe Augusto. Meminit eius eluuionis Ditericus Engelhuſius, & pontes maximos fractos recenſet Traiectinum, Francofordianum, Heidelbergium. *Inundatio.*

Canonici ſatisfecerunt Hebręis, & fœnore ſumptam pecuniam, tempore caritatis, ſoluerunt pro ciuibus, nempe mille quingentos & ſexaginta florenos.

Liberalitas

Eodem anno Ditericus Marchio Miſnenſis graſſatores è nobilitate & vulgo, quatuor & triginta, capitis pœna affici imperat.

Supplicium graſſatorum.

MCCLXXXIII.

Hic annus inſignis obitu aliquot virorum generoſorum Diterici Marchionis Lansbergij, Alberti Comitis Orlemundani, Othonis Vinarienſis, Henrici Suarceburgij, Alberti Glichenſis.

MCCLXXXIIII.

Violatam concordiam inter Ericum Magdeburgium Antiſtitem & Pręſulem Miſnenſem Otho & Conradus Marchiones Brandeburgij reſarciunt, Nonis Iunij.

MCCLXXXV.

Meinherus Burggrauius Miſnę pomœrium ampliat, & mœnibus Afranum includit cœnobium, permiſſu Leonis Prępoſiti.

MCCLXXXVI.

Bruno Pręſul Numburganus, cum Vuitigone Miſnenſe & Henrico Mersburgio agit conuentum: in quo decretum Honorij v. Pontificis promulgatur, contra eos, qui bona Eccleſiaſtica alienarent aut diriperent. Brunonis valuit pręalijs auctoritas, quia è Comitibus Quernfurdi natus fuit, & prudentia atque eruditione plus potuit.

Synodus Numburgia.

Erat ſeruorum genus, qui ſermone vulgari Gaſti vocabantur: qui ad Eccleſię arbitratum cogebantur quodvis pręſtare obſequium, ſine recuſatione: poterant precio ſe redimere: quod ex hoc liquet diplomate.

Bernardus Præpoſitus, & Siffridus Decanus, totumque Miſnenſis Eccl. Capitulum, vniuerſis & ſingulis præſentem paginam intuentibus, ſalutem. Omnium habere memoriam, & in nullo dubitare, diuinitatis cuiusdam potius, quàm humanitatis exiſtit: & ideo ne ea, quæ in tempore geruntur, lapſu temporis obliuione tradantur, ſolent ſcripti teſtimonio perennari. Cùm Martinus de Canyn, & Hermanus frater eius, & filij Iohannis fratris prædictorum, videlicet Martinus, Hermanus, & Petrus, dicti de Pitſuitz, in noſtra prouincia conſtituti, recognouiſſent, & cognatos ſuos eſſe ſeruos, qui vulgariter Gaſti nuncupantur, Eccleſiæ & Capituli noſtri: aſſumpto nobili viro Domino Meinhero Burggrauio Miſnenſi, ac alijs amicis ſuis, inſtanter petiuerunt, vt recepta certa ſumma pecuniæ, eos è ſeruitute emanciparemus, & cum paruulis ſuis, linea directa deſcendentibus, libertati donaremus. Nos verò nobilis viri domini Meinheri Burggrauij Miſnenſis, & aliorum ipſorum amicorum precibus inclinati, Martinum & Hermanum fratrem eius, & filios Iohannis fratris prædictorum, ſcilicet Martinum, Hermanum, & Petrum de Pitſuitz antè dictos, receptis decem marchis argenti, cum liberis ſuis directè tantummodo deſcendentibus, emancipamus, & libertati donamus: omnibus alijs conſanguineis & cognatis eorum in ſeruos Eccleſiæ Miſnenſis, & noſtro Capitulo reſeruatis. In cuius rei teſtimonium, ſigillis Capituli noſtri, & nobilis viri domini Meinheri Burggrauij Miſnenſis,

nenſis, iuſſimus & petiuimus præſentem literam colorari. Actum & datum anno Domini MCCLXXXVI. Cal. Febr. præſentibus teſtibus infrà ſcriptis,

D. Leone Præpoſito ſanctæ Afræ.

D. Iohanne de Vuildenhan, Canonico, regulari ibidem.

MCCLXXXVIII.

Henricus Marchio Miſnenſis, primus Turingię Landgrauius, Princeps magnanimitate, gloria, diuitijs potens, obit Dreſdæ XV. Febr, inde Miſna ſiſtitur, donec ſacra ſolita fierent: poſtea in cœnobio Veterocellenſe tumulatur. Fuit hic Princeps trigamus: vxores enim habuit Conſtantiam Auſtriacā, Agnetem Boëmam, & Elizabetham Miſnenſem: in liberis infelix, propter Albertum, cognominatum Degenerem: qui & fratrem odio proſecutus eſt, & erga filios proprios animum exuit paternū.

Cùm factio quædam latrocinantium moleſta eſſet his terris, poſt mortem Landgrauij, fœdus publicum inter ſe fecerunt, Fridericus Turingiæ Langrauius, & Saxoniæ Palatinus, Dicemanus Marchio Pleiſenſis, Otho Comes Brenenſis, Albertus Anhaltinus: item Vuitigo Miſnenſis, Bruno Numburganus, Henricus Merſburgius Præſules. Executores iniuriarum delecti, generoſi viri, Otho Comes Arniſhugius, Meinherus & Albero Burggrauij Miſnenſis & Leiſnicenſis, Vodus Plauenſis, Apargus Vualdeburgius, Henricus Colditius. Hæc actio confecta eſt conuentu Grimæ inſtituto, tempore brumali.

MCCXC.

Comitijs Erfurdianis, quæ Rudolphus rex Romanorum indixerat, harum terrarum Præſules interfuerunt: item Albertus Landgrauius cum Friderico & Dicemano filijs, & Fridericus Marchio Miſnenſis. In ijsdem Comitijs trabibus cuiuſdam domus fractis, Fridericus Comes Auenbergenſis, Henricus Suarceburgius, Germarus Zigenhanius, Bellingerus Mellingus, Burchardus Præfectus Vuartbergius, morte miſerabili interierunt. *Comitia Erfurdiana.*

Eodem anno Præſul Vuitigo ſera ductus pœnitentia, quòd diœceſim ſuam bello exhauſerat in Luſatia, cœnobium Mariæſtellam, duobus à Budiſſina milliaribus condit, cuius procurationem, ob formam religionis, committit Abbati Veterocellenſi.

Hoc tempore, eiuſmodi Inſcriptionem legimus: Vuenceslaus Dei gratia rex Boëmię, dux Cracouiæ & Sandomeriæ, Marchio Morauiæ, S. Ro. Imperij per terras Miſnenſem, Orientalē & Pleiſenſem vicarius generalis.

MCCXCI.

Vuitigo Pręſul cum Friderico Diterici Marchionis cognomento Sapientis filio bellum inauſpicatum gerit: quem cùm ab obſidione oppidi Pirnæ Præſul primùm repelleret, adoleſcens Princeps factus irritatior, copias inſtaurat, Pirnam expugnat, Dreſdam capit, Scharfenbergum occupat. Pręſul cùm, quò ſe tutò reciperet, pręſidium non haberet, ad Vuerneram Antiſtitem Moguntinum confugit. Interea & arx Stolpena illi eripitur. Tandem Henrici Merſburgij, & Brunonis Numburgani patrocinijs vix efficit, vt in ſedem priſtinam reſtituatur. *Præſul b. Lauer.*

Eodem anno idem Marchio, qui tum Suſelicij habitabat, delectatus venationibus, cùm forte laſſus Hirſeſteinam, arcem ad Albim ſitam, veniſſet, toxico in ceraſis dato, de vita tollitur, Suſelitij conditus iuxta patrē. *Marchio ſublatus veneno.*

MCCXCII.

Bellum. Inter fratres Marchiones Miſnenſes Fridericum & Diecmanum, & inter Iohannem Brandeburgium, qui ter victus prælio, conditiones pacis quærebat, controuerſia in hoc oppido componitur. Eberhardus Anhaltinus è vinculis dimittitur.

MCCXCIII.

Bernhardus Præſul. Vuitigo poſt damna multa collegio illata, anno ſeſſionis ſeptimo & vigeſimo moritur, 11. Non. Martij. Ei ſuccedit Bernardus Miſnenſis Præpoſitus, ex eadem Cameniciorum gente, vt quidam annorarunt. Hic ſenex admodum, cùm viro inquieto & ad egeſtatem redacto ſuccederet, difficiliorem & magis oneroſam habuit functionem. In initio controuerſia inter ipſum & Fridericum Marchionem ac Palatinum Saxoniæ fuit, quæ bonis conditionibus ſedata.

MCCXCIIII.

Frigus. Magna frigorum vis extitit, & in exercitu Adolphi, qui Fribergi hiemabat, plurimi tabe & inedia confecti extinguuntur.

MCCXCV.

Marchionem Fridericum, integerrimum & valde afflictum Principem, Engelhuſius ſcribit expuliſſe Præſulem Miſnenſem & canonicos, & è templo cathedrali feciſſe horreum: quam calumniam ortam arbitror ex aula Adolphi regis Romani, qui maximè hoſtili in Miſnenſes animo fuit, & ſuæ cupiditatis ac violentiæ voluit extare prætextus aliquot in vulgus, cur patris Friderici iniuſti & inhumani Principis voluntatem exequeretur. Vndè fortaſſe talia per eius militem ſparſa ſunt figmenta: nec reticuiſſent illam prophanitatem annales cæteri: cùm ne minima quidem contumelia in ſacerdotes ſint ſilentio prætermiſſa, quales ipſius fuerunt Adolphi, de quo iſta tradita:

Mactauit cleros flentes, templiq; clientes,
Virgineum violans cœtum, quod non fuit æquum,
Aras deſtruxit, plebs ergo plurima luxit.
Traxit ab Eccleſiis mulieres, dans ſceleratis,
Veſtibus exutas, & miſit currere nudas,

& alia indigniora, quæ in Chronico Lipſienſe legimus.

MCCXCVI.

Adolpho regi Romanorum arx & vrbs Miſna, poſt captum Fribergum tradita deditione ſunt, vt ſcribit Siffridus Miſnenſis presbyter, qui Miſnia ſub Adolpho rege. hac ipſa tempeſtate vixit. Præfectus vrbi datur Siffridus Comes Anhaltinus. In prouincia Miſnenſe & Orientali vicarium regis agit Henricus Comes Naſſäenſis, vt monumenta diplomatum Miſnenſium teſtantur.

MCCXCIX.

BernardusPræſul obit v. Idus Octob. qui ad inſtaurandas ſeruandasque ſuæ diœceſis reliquias, oppidum Pirnam regi Vuenceslao, Dresdam Henrico Marchioni vendidit. Literæ Alberti 1. Regis venditionem comprobantes, Noribergæ ſunt ſcriptæ. In locum demortui Præſulis declaratur Albertus III. Præpoſitus Miſnenſis, è generoſa Comitum Leiſniciorum familia. Albertus III. Præſul. Arcem Stolpenam hic recuperauit. Obit eodem anno Henricus Marchio Alberti Landgrauij filius, qui Aldenburgi habitauit: ſepelitur in Veterocella, & ibidem Fridericus eius filius reconditus.

Oſter-

MCCC.

Oſterhildis ſacerdos S. Crucis, quæ exemplum appellatur ſanctitatis, vii. Cal. April. obit. Hoc anno primùm celebratio Iubilæi Romę inſtituta fuit. *Oſterhildis.*

MCCCII.

Adolpho rege occiſo, ſuccedit Albertus, ad quem Papa ſcribit: *Occidiſti & poſſediſti*: & quia erat Coeles, addidit, Imperatorem oportere Argum eſſe. Hic bella Adolphi in Miſnia acriter continuauit. De quo extant hi rithmi: *Adolphus rex occiſus.*

Poſt annos Domini duo ſunt & mille trecenti,
Albertus Dux Auſtralis, proſtrauit Adolphum,
Regem Romanum, regno ſucceſſit eidem.

MCCCIII.

Litteræ ſequentes, mandato Principis, & præſulis permiſſu, ad valuam baſilicæ appenſæ ſunt, de puero in Turingia à Iudæis miſerabiliter occiſo.

Nos Fridericus, Dei gratia Miſnenſis & Orientalis Marchio, tenore præſentium recognoſcimus, publicè proteſtando, quòd dum à cariſſimo parente noſtro D. Alberto, Turingiæ Landgrauio, de arce Vuartberg, in celebre oppidulum noſtrum Vuiſenſeham mitteremur, ea quæ de paſſione boni & innocui pueri Conradi, iam paſſim diuulgabantur perſcrutaturi: inuenimus beatum ephebum, in vinearum cuſtodiario iacentem, aſpectu quidem non nimis horribilem, ſed amœnum & iucundum. Quędam enim maculæ albæ, & rufulæ in facie eius, & pectore tenerrimo apparebant. Ad hæc omnia corporis membra, tam maiora quàm minora, adeò flexibilia, ac ſi viueret, exiſtebant. Præterea ſub ſingulis vnguibus digitorum, & manuum, & pedum cicatrices vulnerum videbantur: quæ farina paſta, obturata & oblita erant: vt oculi intuentium facilius fraudarentur. Cæterum cùm corpuſculum ipſum ad ædem beati Petri, oppidi modò dicti, honorificè delatum eſſet: vidimus claudum quendam, greſſum, interceſſione feliciſſimi adoleſcentis, recipere. Inſuper relatione multorum prudentum ac diſcretorum variuſque ſtatus virorum didicimus, plurima ſigna & miracula ibidem per felicis pueri oſſa, diuina clementia perpetrata. Hæc bona fide contigiſſe omnia proteſtamur. Ad quę quidem ad vnguem exploranda, mandato & iuſſu parentis noſtri pientiſſimi præſcripti, obſtricti, & inducti ſumus. In quorum omnium teſtimonium & munimentum ſigillum noſtrum præſentibus eſt appreſſum, xii. Calend. Sept. Anno à natali Chriſti M. CCC. III. Simile quiddam legitur de puero Bacheracenſi & Tridentino. *De puero à Iudæis occiſo.*

MCCCVI.

VVenceslaus rex Boëmię nomine Alberti Imp. rexit terram Miſnenſem: quibus temporibus Miſnia ſuis dominis ferè erepta, & calamitatibus multis afflicta eſt.

MCCCVIII.

Hermanus & Henricus comites Orlemundani, Friderici Turingiæ Landgrauij ſororij nominantur.

Fridericus Landgrauius Turingiæ auget reditus Miſnenſes, teſtibus Gunthero & Henrico Suatceburgijs, Gunthero Kefernbergio, Henrico Stolbergio.

MCCCXI.

Pluuiæ corruperunt gramina, ſegetes, vineta: ſecuta fames & peſtis.

MCCCXII.

Mala publica. Albertus III. præſul obit v. Non. Martij. Eius pontificatus, intra annos tredecim, publicis calamitatibus multis extitit inſignis. Adolphus Romanorum rex ferro necatur: filiuseius capitur. Vuenceſlaus Boëmorum rex extinguitur veneno. Sueui cęduntur ad oppidum Luccam in Oſterlandia: Boliſlaus rex Boëmiæ à Iohanne Botelſtenio dormiens interficitur. Albertus Imp. occiditur à patruele in naui, Rhenum tranſiturus. Dicemanus Marchio Miſnenſis Lipſiæ in templo obtruncatur. Philippus Naſſaënſis Romanorum regis frater transfigitur in prælio; Fridericus Turingię Landgrauius ad Hanam capitur. Tempeſtate imbrium pereunt ſegetes: lue peſtis intereunt homines: bellis multæ vaſtantur regiones. Alberto defuncto præſul Vilhelmus ſuccedit, à quibusdam omiſſus: fortaſſe quia deſignatus tantùm fuit, aut munus alterius obiuir vicarium, aut bellorum tumultu non potuit frui poſſeſſione libera. In libellis duarum donationum nomen ipſius inueni, quod in vulgaribus Catalogis non legitur. Vilhelmum ſequitur Vuitigo II. Othonis Burggrauij Leiſnicij frater, Decanus Miſnenſis.

Vilhelmus præſul.

Vitigo II. præſul.

VVitigonem alij ſcribunt Henrici Colditij filium: cuius item filij ſunt Henricus & Thymo, huius Præſulis fratris ſui patroni eximij: quorum avunculi Hermanus, Richardus, Henticus, Vlricus, Burggravij Golſinenſes, ſæpe ipſum ſublcuarunt pecunia: quia tempore vixit difficilimo.

MCCCXIII.

Hermanus Burggrauius Miſnenſis memoratur: cius filij Meinherus & Albertus, & Vuitigo Decanus Miſnenſis, amborum adoleſcentum auunculus.

MCCCXIIII.

De hoc anno rithmus ait antiquus,

Cruciferi. *Ibant cruciferi clypeis habituq; ſeueri.* Erant homines vagi, cruces portantes manibus, & clypeos de humeris, & induti loricis ferreis. Viuebant cleëmoſynis, & deſidiam monachorum carpebant.

MCCCXV.

Marchio in bello occiditur. Fridericus Marchio cognomento Claudus, Friderici Fortis Landgrauij filius, in oppugnatione arcis Zuencanæ prope Lipſiam ſagitta traijcitur, & in cœnobio Vetcrocellenſe conditur Idibus Ianuarij. Hic Ruſpam oppidum Abbati dedit.

Fames triennis. Aquarum eluuionem & duos Cometas vnius anni fames triennis conſequitur, qua multi mortales perierunt. Hic tamen annus poſtremus, difficilimus fuit, de quo extant rithmi eiusmodi,

Albani feſta denarrant triſtia geſta,
Terram portentis tetigit manus omnipotentis,
Imbribus

Imbribus innumeris merguntur gramina quæuis,
Brutaq́, cum ſtabulis pereunt, atque oppida villis.

Eſt & vnicus verſus apud Ditericum Engelhuſium, cuius extrema vox, anni numerum literis continet, nempe, eiuſmodi,

Vt lateat nullum tempus famis, Ecce CVCVLLVM.

Anno eodem poſt mortem Henrici VII. Imperatoris ambitus ingens fuit, & comitia turbulenta. Ludouico Bauaro ſtudebant Petrus Moguntinus, Balduinus Treuirenſis, & rex Boemiæ. Friderico Auſtriaco Henricus Colonienſis, Albertus Dux Saxoniæ, & Rodolphus Palatinus. Ad comitia illa Vualdemarus Brandeburgius non venit, & vtrunque Principem lactauit modò literis, modò nuncijs: ipſe autem conabatur Henricum patruum efferre, vt in ſupplemento Lamberti legitur: cui non modò ditionem Brandeburgiam orientalem obtulit, ſed etiam Miſniæ ciuitates, quas hactenus tenuerat, ei poſſidendas tradere voluit. Deſerto à principibus Vualdemaro, Miſnenſis Marchio Fridericus armis ſumptis maiorum ſuorum bona recuperat, in Turingia, Iſenacum: in terra orientali, Lipſiam, Grimam, Torgam: in Pleiſenſe, Aldeburgum in Miſnia, Fribergum, Miſnam, Hanam, Oſchacium: tum duas vrbes imperij, Zuiccam, quam condidit aut inſtaurauit Fridericus Barbaroſſa: Chemnicium, quam Lotharius Imperator, quas ei confirmauit ſocer Ludouicus Bauarus Imperator. *Schiſma in imperio.* *Fridericus fortis.*

M CCC XVI.

Fridericus Marchio, Henrici I. Landgrauij filius, ex Elizabetha Malticia, obit Dreſdæ VII. Cal. Maij, qui per vrbem Miſnam in Veterocellam deportatur, ad patria monumenta. Hic cognomine appellatus à vehementia Clemme, quaſi rigoroſus.

M CCC XIX.

Burchardus comes Mauſueldius, miniſter ordinis Aſſiſiatis in Saxonia, numero vigeſimus hâc tranſijt, propter doctrinam & nobilitatem in magno precio habitus. *Franciſcanorum generalis.*

M CCC XX.

Vuitigo præſul Vltico abbati Chemnicenſi, auunculo ſuo, dignitatem archipresbyteri donat, eiq́ ius parochiæ Chemnicenſis aſsignat.

M CCC XXIII.

Fridericus Grauis & Elizabetha mater eius parochiam Mirbedenſem ſubijciunt præſuli Miſnenſi.

M CCC XXIX.

Naſcitur Friderici Grauis Turingiæ Landgrauij, primus filius Fridericus, Rochlicij, in partu matris periculoſo atque difficili: moritur albatus Non. Decemb. tumulatur Miſnæ.

M CCC XXX.

Naſcitur in hac vrbe Sigiſmundus, Friderici eiuſdem filius ſecundus, qui poſtea ſucceſſit Gebhardo Præſuli Merſburgio, vt in fragmento Chronici Oſchacenſis legi. Erneſtus hunc confundit cum altero Sigiſmundo primi Electoris filio, Præſule Vuirceburgio, de quo infrà dicetur.

MCCCXXXIIII.

Nifrangit bores. In die Lucæ Euangeliſtæ, vt ait Rythmologus Erfurdianus,

Arboribus magnam dat nix inopina ruinam.

MCCCXXXVI.

Vuitigo emit arcem Libetalam ſupra Pirnam oppidum, conſenſu Ioannis Regis Boëmiæ, & Comitis Luzelburgij Interfuerunt Iohannes Præſul Olomucenſis, & Rodolphus Dux Saxoniæ, Iofredus Comes Liningius.

MCCCXXXVII.

Copia frugum. Copioſus prouentus frugum, vini, leguminum, fructuum. Obijt Hermanus Burggrauius Miſnenſis v I. Calend. Nouemb. deportatus in Veterocellam, cùm ante ſex dies obijſſet Vilburgis eiuſdem vxor.

MCCCXXXVIII.

Rurſus ſecundum eundem Rythmologum,

Viſæ perculſa locuſtæ,

Et veluti nubes, vmbram fecere volantes

Quas niue mox truce, proſtrauit lux altera luce.

MCCCXL.

Enthuſiaſtæ. Erant inter Franciſcanos quidam Enthuſiaſtæ, qui de extremo die vaticinarentur, auctore Iohanne quodam de Rupeſciſſa: ſed hi in carcere detenti, vſque ad diem, quem præſtituerat, ſenſiſſent dæmone ſe deluſum, & eius aſſeclæ ad mentem redierunt. Is terror ad vſque Ludouici Imp. aulam penuaſit.

MCCCXLII.

Eluuio. Albis exundans x I I. Cal. Aug. multos hinc inde pontes rupit, & in his Miſnenſem.

Lutholdus & Iohannes comites Torgani memorantur, in quadam cauſa præſulis. Ipſis adempta vrbis poteſtas erat ab Adolpho Rege, ante annos triginta ſeptem.

MCCCXLIII.

Inundatio. Albis rurſus exundans I I I I. Id. Martij, ſuſtulit etiam pontem Dreſdenſem. Rythmologus,

Praxedis feſto, rogo te non immemor eſto,

Diluuium rumpit fontes, & tres quoque pontes,

Poſthæc Gregorij ſub feſto nobiliori,

Vndoſa glacie Dreſdenſis pons ruit, eu, væ.

Eodem anno Vilhelmus, dictus poſtea Coeles, Friderici Grauis filius, in hac vrbe naſcitur x I I. Cal. Ian. poſt in hac idem vrbe ſepelitur, vt infrà referendum erit.

MCCCXLV.

Adelheidis Schleinicia moritur, ſepulta ad latus Cunemani mariti, iuxta baptiſterium in æde Afrana.

Mathil-

Mathildis Friderici Grauis vxor, VII. Idus Augusti Annam & Claram gemellas in arce Miſnenſe parit, quas filiæ Beatrici Suſelicenſi ſacerdoti tradit educandas. De alio partu gemino vnius principis in hac familia non legi. *Gemellæ partus Duciſſæ.*

MCCCXLVI.

Eadem Mathildis obit VI. Non. Iulij, in cœnobio Veterocellenſe ſepulta. Rurſus id notatur ryrhmis huiuſmodi.

Poſt M. poſt tria C. poſt XL: bis tribus aucta,
Senſit Salza ignem, & Miſnenſis Principis enſem, *Vrbs cremata.*
Inclita Mathildis moritur, quæ Principis vxor.

MCCCXLVII.

Vuitigo II. Præſul, obit VIII. Calend. Auguſt. anno ſeſſionis quinto & vigeſimo, ſepultus in cœnobio Crucis ad Albim. Eius pater, vxore conſentiente, mutat habitum, & fit monachus Veterocellenſis: vxor eum ſecuta, etiam velamen ſumit. Hic Præſul Eccleſiam Miſnenſem, anteceſſorum negligentia, bellorumq; in his regionibus inter Reges Romanorum & Marchiones Miſnenſes diuturnitate admodum labefactatam, in aliquem dignitatis ſtatum reponit, ac eius auget terminos. Oppidum Noſſam ad Muldam, inter Miſnam & Henicham ſitum: Liberalam ad Albim inter Pirnam & Stolpenam ære ſuo comparat. Arcem Mogellanam inſtaurat, Pirnam ad certum tempus redimit. Decretum antiquum Gregorij IIII. contra aduerſarios Eccleſiæ promulgat. Succeſſor ei datur Iohannes I. Iſenbergius. *Iohannes I. Præſul.*

MCCCXLIX.

Hic annus aliquot calamitatibus fuit memorabilis: Friderici Grauis Marchionis obitu, terræmotu, peſte, Iudæorum exeidio, luporum rabie, flagellantium exilio, de quibus ryrhmis his perſcriptum eſt: *Calamitoſus annus.*

Peſtis regnauit, plebis quoque millia ſtrauit,
Inſolitus populus flagellat ſe ſeminudus,
Contremuit tellus, populusq; crematur Ebræus,
Inclitus atque pius Princeps obijt Fridericus.
Fit terræ dominus Fridericus filius eius.

Iſti plagipatidæ aut plagiferi pileos geſtabant rubra inſignitos cruce, incedebant rota fere facie velata, ſcapulis & tergo, quibus plagas acciperent, nudati. Flagra erant ferro acuminata, aut cathenis rigentia. Cùm in ſe vim exercerēt, ad terram proſtrati, canebant lingua vernacula, & alios alliciebant, quadam ſimulata ſanctimoniæ ſpecie. Ex eorum numero Conſtantinus quidam, qui ſe filium Dei affirmabat, ſeq; moriturum & reſurrectnrum dicebat, ante gradus templi Mariani, in focum inceſum fuit, in hac vrbe viuens conijcitur. *Flagelliferi.* *Conſtantinus impoſtor.*

MCCCL.

Iubilæi celebratio à Gregorio XI. permiſſa eſt præſuli Miſnenſi, quæ ante id tempus in hac vrbe audita non fuerat. E concurſu exterorum magnæ opes acquiſitæ ſunt, & aucti Canonicorum reditus ſunt in poſterum. *Iubilæi celebratio.*

 Eodem

Præſul in chorea mortuus. Eodem anno Iohannes Præſul Numburganus è Meldingia familia, ſuum natalem agitans, in media chorea, cum inter duas ſaltaret mulieres, mortuus concidit. Huius fit mentio in Chronicis Magdeburgijs, & ſupplemento Lamberti. Definit id ipſum ſupplementum in hoc anno, quod continuauit monachus Erfurdianus, vſque ad Caroli IIII. Imp. annum nonum.

Ante feſtum Paſchatis inſolitæ fluminum inundationes.

MCCCLIIII.

Meinherus & Bertholdus fratres, & Burggrauij Miſnenſes, comites Hartenſteinij vixerunt. Ienichinus & Erenfridus Schleinicij in Afrano ſepeliuntur. Peſtis graſſatur in cœnobijs ſanctæ crucis & Mulbergi.

MCCCLV.

Duo Veſpillones capite truncati.

MCCCLVIII.

Peſtis. Peſtilentia in hac vrbe graſſata eſt.

Bertholdus Burggrauius vitam finit menſe Octobri, relicto Bertholdo filio.

MCCCLX.

Deciditur controuerſia inter Præſulem Iohannem & Iohannem abbatem Chemnicenſem, de viſitatione monaſterij: abbas cauſa cecidit, iudicio Innocentij VI.

MCCCLXII.

Fames. Fuit inopia frumenti, ſiligo duobus florenis empta, per hanc ditionem, & vicinam.

Eodem anno Fridericus, Baldaſar, Vilhelmus fratres Landgrauij Turingiæ, à Ludouico Romano Brandeburgio, Marchione Palatino Rheni, & duce Bauariæ auunculo, ius patronatus acceperunt in Lubena, Archidiaconatus in Luſatia, idq; obtulerunt Eccleſiæ Miſnenſi.

MCCCLXIII.

Peſtis. Denuo vehementi peſte laboratur. Obit VI. Cal. Ian. Iohannes Stoius præpoſitus, qui propter ædificia inſtaurata ſecundus fundator Afrani cœnobij, appellatus eſt.

MCCCLXVII.

Bolco dux Sileſiæ, dominus in Furſtenberg & Sueidnitz, & Marchio Luſatiæ parochiam Lubenenſem reſignat Eccleſiæ Miſnenſi.

MCCCLXX.

Dietericus III. Præſul. Moritur Iohannes I. Præſul, Non. Ian. in ſede eius ponitur Dietericus III. de Goccha familia, Miſnenſis Decanus, & Budiſſinenſis præpoſitus: qui cùm pro confirmatione ſua, Romam ipſe contenderet, morte præuentus in via, ad poſſeſſionem non venit.

MCCCLXXI.

Nicolaus Becherer conſul Miſnenſis ſedat controuerſiam inter Canonicos & ciues.

Amauis

Amanit eo tempore adoleſcens puellam vicini, filiam ſed ab ea contemnitur,& cum ludibrio repudiatur. Amor eius in iram verſus & furorem, cùm eam diebus Bacchanalibus à choreis redeuntem obuiam habuiſſet, ferro eius faciem fœdat,& idem mox in pectus adigit. Id cùm in crepuſculo factum eſſet, fuga euaſit. *Amator furioſus.*

MCCCLXXIII.

Conradus II. Præſul fit, de nobili familia Kirchbergia, quod in monumentis inueni: nam catalogi inter ſe non conſentiunt, & alias du- as familias ponunt. Hic Corſchenbrodanos & Mogellanos vineta plantare docuit,& eadem tranſtulit in Vuartam ſuperiorem & Goſliciam pagos. Eius ſuffraganeus,vt vocant, fuit Franco,Præſul Zcrofienſis. Ante hunc Franconem in Eccleſia Miſnenſe fuiſſe ſuffraganeum non legi:vn-dè circa hæc tempora motem iſtum inſtitutum conijcio. *Conradus II. Præſul.* *Suffraganei Præſulum inſtituti.*

Burggrauij Miſnæ Meinherus & Bertholdus, nominantur in quodam diplomate: & fuerunt hi duo patrueles ſub tutela Meinheri.

Conuentus Franciſcanorum Miſnæ habetur;ſæuit peſtilentiæ contagio.

MCCCLXXV.

Impetrat ab Vrbano Pontifice Carolus IIII. Imperator, vt antiſtiti Pragenſi, tanquam legato apoſtolico ſubijcerentur, Ratisbonenſis, Bauenbergius,& Miſnenſis Præſules: ſed pro ſua quiſque parte,ne fieret, propugnauit fortiter: cumq; poſt biennium moreretur Carolus, libertatem eorum priſtinam amplius nemo mutare cogitauit.

MCCCLXXVIII.

Conradus Præſul obit VIII. Calend. Iunij. Hunc virum diſciplinæ ſtudioſum fuiſſe,inde cō ſtat, quòd inſtituere cœperit cùm collegij emendationem,tum Eccleſiarum omnium inſpectionem: ſed in bono & ſalutari conatu, non ſine ſuſpicione, morte præripitur. Poſt cuius obitum certatum in collegio eſt:cumq; ſtudia factionum magna eſſent, ne qua pars alteri honorem deferret, ad homines exteros ſpectarunt: alij cenſuerunt Pragenſem, ſedis apoſtolicæ legatum, alij Antiſtitem Lubecenſem euocandum. Iohannes Pragenſis, de Genzenſtenia familia, Pauli filius, vir munificus,& magna grauitatis opinione, primas tulit,ſed Miſnæ tamen nunquam reſedit: labores fugiens, honore contentus, & titulo. *Schiſma.* *Iohannes II. Præſul.*

MCCCLXXIX.

Iohannes Præſul, miſit Chemnicenſibus ſubſidium, quorum vrbs tota, die VII. Auguſt. noctis tempore, fuerat cremata.

MCCCLXXX.

Fridericus Strenuus Marchio obit VII. Calend. Iun. vltimus in Veterocella ſepultus.

Præſul Miſnenſis moritur Pragæ III. Calend. Dec. & ibidem ſepelitur. Fuit per totam Germaniam maxima peſtilitas. *Peſtis.*

MCCCLXXXI

Contentio in collegio ſacerdotum de ſummo gradu dignitatis, quæ aliquot annos inter nobilitatem ambitioſam durauerat, ſedari nondum potuit. Id cùm delatum ad Vrbanum V I. eſſet, ad tollendum ſchiſma, dedit ipſis, quem & antea deſtinauerat Lubecenſem, cui Pragenſis *Nicolaus I. pr.* fuerat præiatus, Nicolaum videlicet primum. Erat is Monachus Dominicanus, Prior & lector conuentus Paulini Lipſienſis, vt ſcribit Crancius: tum Decanus factus Miſnenſis eſt, & poſtea antiſtes Lubecenſis, pontificis (vt dictum eſt) autoritate. Ipſe autem literis aſſuetus & quieti, gubernationem illam difficilem propter negocia ciuilia ſuſtinere non potuit, & ſe Præſulatu Saxonico abdicauit. In Miſnenſem miſſus Eccleſiam, nihilo tranquilliorem habuit adminiſtrationem. nam cùm Ludouicus antiſtes Magdeburgius, neſcio quibus iniurijs laceſſitus, pagos in ditione Mogellana & Vurcinenſe vaſtaret, quod in hunc diem deſertæ aliquot villæ reſtantur: Præſul hic ſimplex exarſit, armaq; ſumens neceſſaria, an- *Præſul militaris.* tiſtitem ſe longè potentiorem, duobus leuibus prælijs victum, ab iniuria compellit deſiſtere, & diui Victoris diem x I I I I. Cal. Octob. in rei memoriam ſtatuit poſteris ſolennem. Captiuos Saxones antiſtiti remittit ſine precio: qua modeſtia, & ipſum antiſtitem, & Fridericum Landgrauium Turingiæ eius fratrem, ſibi placatos reddidit & amicos. Tempore eius adminiſtrationis, Ludouicus eius aduerſarius, qui erat Moguntinus & Magdeburgius Antiſtes, item Halberſtadius & Bauenbergius adminiſtrator, *Præſul cadens in choreas moritur.* cùm in oppido Calba ad Salam fluuium, Bacchanalia ageret, & choreas duceret in loco publico, orto incendio inopinato, cùm per ſcalas è curia euadere properaret, impeditus veſte mulieris, quam manu ducebat, gradib. ligneis ruptis, & circiter trecentis hominibus vnà cadentibus, eo caſu colliſus, ſolus expirat, vt prolixè ſcribit lib. 10. Metropolis ſuæ Crancius.

MCCCLXXXII.

Præſul Miſnenſis Venceſlao Romanorum Regi exactiones pendit per biennium, cauſa literis non expreſſa. Idem Venceſlaus Iohannem quendam doctorem Theologiæ, patria Germanum, in flumen Multaham iubet cōijci, qui coram Rege dixerat, eum regio nomine indignum, qui regnum non didiciſſet aut ſciret adminiſtrare: id autem feciſſe ſuaſu obſcuri hominis Buchniconis Præſulis. Eum Buchniconem cùm auarum eſſe rex ſciret, iuſſit ex ærario ſuo tantum auri ſumere, quantum ef- *Auarus ſacerdos.* ferre poſſet. Lætatus ille regia munificentia, non ſolum tunicam amplam impleuit, ſed etiam perones ruſticis vſitatos induit, quos cum ſimili modò referſiſſet, progreſſurus loco, ſe mouere non potuit. Rex illius ſtultitiam irridens exui iubet, & onere illo ſpoliatum, à ſuo conſpectu eijci.

Obijt Henricus Schleinicius, qui tale habet in pauimento epitaphium. M C C C L X X X I I. obijt ſtrenuus famulus Henricus de Schleinitz. Illo tempore non amplior virorum nobilium fuit titulus, quàm vt ſtrenui famuli nominarentur, quod & monumento hoc, & literis multis probari poteſt. Equites vero aurati, vt dicerentur, milites. Cùm *Titulorum arrogantia.* decreſcit virtus, titulorum creſcit arrogantia.

MCCCLXXXIII.

Burchar-

Burchardus abbas Veterocellenſis, propter inopiam bona quædam vendere Præſuli Miſnenſi maluit, quàm ab vſuratijs exhauriri.

MCCCLXXXV.

Præſul Nicolaus obit I I I. Idus Febr. conditus in cœnobio ſanctæ Crucis ad ripam Albis: in ſedem eius locatur è nobilitate Iohannes I I I. de gente Kittelitia, dominus Barutl. Huius temporibus Antonius, Veterocellenſis abbas, chymiæ deditus, & rerum ſacrarum negligens, à ſuo munere depoſitus, redigitur in ordinem. *Iohannes III. Præſul.*

Vuenceslaus Imp. petiuit, vt Pragenſis antiſtes Eccleſiæ Miſnenſis aliarumq; fieret Metropolitanus: eam flagitationem iniuſtam iudicauit Innocentius Pontifex.

MCCCXC.

Obijt X I I I. Calend. Ian. Hencelinus Schleiniclus, Canonicus Afranus, in templo ibidem ſepultus.

MCCCXCII.

Erenfridus de eadem familia in Afrano fuit præpoſitus, Vlricus de Maltitz ab illo ſecundus.

MCCCXCIII.

Decretum à Præſule eſt, vt rector ſcholæ ab ipſo Parocho, non à Parochialibus eligatur: neq; eligatur (vt diplomatis vtar verbis) ſecundum ſortem, ſed ſecundum artem. *Rector ſcholæ ex eruditione iudicandus.*

Philippus quidam Alencorius Germaniam peragrat, Pontificis legatus, vt inuitaret homines ad celebrandum Iubilæum.

MCCCXCIIII.

Incendiarij, ab Erfurdianis immiſſi, rogo imponuntur. Albertus Burggrauius Leiſnicenſis, dominus in Penica, & Fridericus Shonburgius, dominus in Glaucha, inter ſe diſſident, quibus arbiter inter Eccleſiaſticos datus Præſul Miſnenſis.

MCCCXCVII.

Illuſtris domina Catharina, Friderici cognomento Strenui vxor, Henrici comitis Hennebergij filia, obit Idibus Iulij: ex hac vrbe traducta Veterocellam, & ad latus mariti vltima condita. Vidua vixit annos decem & ſeptem.

Hac Catharina cubat tumba, quæ gloria matrum,
Illuſtriſq; fuit quæ ſtudioſa viri.
Oderat hæc luxum, nec pulchra monilia geſſit,
Indelibatæ ſimplicitatis amans.
Prima dedit partu, primum Electoris honorem,
Qui tulit, eximio præmia digna viro.

MCCCXCIX.

Vilhelmus I. Marchio, cognomento Cocles, Iubilæum agitat permittente Bonifacio I X. Pontifice, Iohanne I I I. Præſule. Aucti reditus templi acceſſione viginti millium aureorum. *Vilhelmus Cocles.*

MCCCC.

Vilhelmi Marchionis vxor Elizabetha, Iuſti Ducis Morauiæ filia, obit XIII. Calend. Decemb. in choro baſilicæ hîc ſepulta. Hæc in noſtris Stemmatibus & Annalibus Ludomilla nominatur, patriæ ſuæ fortaſſe nomine: ſed lapis ſepulchro impoſitus Elizabethæ nomen habet. ſic enim eſt inſcriptus. Anno Domini MCCCC. craſtino Elizabethæ, obijt illuſtris domina Elizabeth, filia Marchionis Morauiæ, Landgrauia Turingiæ, vxor Vilhelmi Marchionis Miſnenſis.

Lupi. Hieme in agricolas & peregrinatores lupi ſæuierunt, præter ſolitum.

MCCCCI.

Viſus cometa eſt, in fine Februarij. Inter præfectum vrbis Zuiccauiæ & Senatum, quibus de cauſis ignotum eſt, orta ſimultas, & conſecuta contentio: quam animo adeò iniquo & iracundo tulit Dux Fridericus, vt euocatis quatuor ſenatoribus, Petro Mergentalio, Iohanne Ditmaro, Iohanne & Stephano Guldenijs, eos capite plecti iuberet: ſepulti ſunt in Afrano, ſub vno lapide. Burggrauij eius temporis fuerunt Henricus & Meinherus fratres. Præfectus vrbi Chriſtianus Vuicelebius, cuius inſignia cernuntur in fornice templi Afrani.

Senatores quatuor puniti capite.

MCCCCIIII.

Menſe Februario Albis ita inundauit: vt ſublicas pontis frangeret, & per tres portas vrbem intraret.

MCCCCV.

Thimo Præſul. Iohannes III. ætate confectus, conſenſu Collegij, dignitatem reſignat cognato ſuo Decano Miſnenſi Thimoni, de generoſa Colditiorum familia, cuius propinquus Otho gratioſus apud Duces Saxoniæ fuit. Cum collegio ſuo Thimo raró conſenſit, & canonicis in omnia vicia prolapſis, grauem ſe cenſorem exhibuit, quos tamen nec monendo, nec obiurgando compellere ad vitæ incorruptæ & modeſtæ officia valuit.

Prodigalitas Præſulis. Ipſe factus legatus Ruperti Ducis Palatini, Romanorum Regis, vaſa aurea argenteaq́ue aut oppignerat, aut vendit: & à latronibus in via ſpoliatus, vim pecuniarum magnam amittit. Suffraganeum habuit Nicolaum Cathoſienſem.

Rupertus Rex Romanorum. Hic Rupertus Rex, non dictus eſt Paruus, vt multi ſcribunt, & in his Cuſpinianus: ſed (vt Pirnenſe Chronicum habet) Hertzog Klem/ quaſi dicas, Rigoroſus, eò quòd fortiter hoſtes Reip. preſſit, quæ ibidem ratio additur. Clemma autem preſſuram ſeu θλίψιν, noſtrate lingua ſignificat.

Augmentum tituli. Thimone Præſule ad titulum facta adiectio eſt, vt ſcriberetur, Thimo Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, cùm antea ſedis apoſtolicæ nomen fuiſſet prætermiſſum.

MCCCCVII.

Vilhelmus Marchio è viuis eripitur IIII. Idus Feb. ad latus vxoris ſepultus in templo cathedrali, cum eiuſmodi inſcriptione. Anno Domini MCCCCVII. die Cinerum obijt illuſtris Princeps Vilhelmus, Marchio Miſnenſis, Turingiæ Landgrauius, Palatinus Saxoniæ. C. A. I. P. Dies Cinerum vocatur, proximus ab extremo die Bacchanalium, cùm ſolenni ceremonia cineres in capita hominum ſpargerentur.

Ioan-

MCCCCVIII.

Ioannes Præſul tertio poſt reſignationem anno obijt Budiſſinæ x. Calend. Martij, conditus in Franciſcano. Eodem anno Albertus Princeps Anhaltinus fidem dat Thimoni Præſuli, & Geſnitij oppidi poſſeſſionem ab eo accipit.

MCCCCX.

Ventus vehemens multa deſtruxit ædificia x. Cal. Feb. die Felicis, qui cùm ſit à ſuis diſcipulis interfectus ſtilis & ſubulis: ideo de pincis appellatum eſt ab Italis eius templum. Obit I I I I. Non Decemb. Thimo Præſul, cupidior aulæ quàm Eccleſiæ.

Iacobus Miſnenſis profeſſor Pragæ. Eodem anno Iacobus quidam, ex hoc oppido natus, Pragæ in pauperum collegio profeſſor, & ad diuum Michëlem vrbis antiquæ concionator fuit: hunc ſcholæ vicinæ moderator, Petrus Dreſdenſis (quem Nauclerus non rectè Trecenſem nominat) aggreſſus, è diui Pauli ſcriptis, & ex Dionyſij ac Cypria. libris edocet, Teſtamentû Chriſti in pane vinoq; vtraq; (vt nunc loquuntur) ſpecie, populo eſſe diſtribuendum: eumq; ritum, vt alios, veræ & veteris eccleſiæ, eſſe à Romanis pontificibus, impietate & flagitio corruptum, & calicis vſum populo ereptum, ſine cauſa. *Vſus ſacramenti ſub vtraque ſpecie.* Id cùm Iacobo, ipſius Chriſti verbis perſuaſiſſet: primus plebi Boëmicæ, iuxta Chriſti inſtitutum, ſpeciem vtranque, in diui Martini templo porrexit atque diuiſit: nam ex altero templo, cùm id facere tentaſſet, expulſus fuerat. Huic omnes heretici (ait Aeneas Siluius) conſenſerunt, quòd articulum inueniſſet in lege Euangelica fundatum, per quem ſedis Romanæ vel ignorantia vel nequitia argui poſſet. Hæc Siluius. Hæreticos autem qua fronte dicat eos, qui ipſius Chriſti inſtitutum, & legem Euangelicam fundamentum habeant, ipſe rationem reddet filio Dei, iudici iuſto. Huius Iacobi non in noſtris ſolùm Annalibus: ſed etiam in ſcriptoribus Boëmicis, Polonicis, Vngaricis, Anglicis, Gallicis, Italicis fit mentio: ab exteris tamen Iacobellus per contemptum appellatur. Fuerunt tum temporis hi duo viri, Iacobus & Petrus, Iohannis Huſſi ſocij: quib. annumerantur Hieronymus Pragenſis, Iohannes Ieſnitius, Stephanus Paletius, Matthias Engeranus, Petrus Lunenſis. Petrus ille rediit in Miſniam, & ludi moderator fuit primùm in patria, deinde Chemnicij & Zuiccauiæ. Hymnos Eccleſiaſticos (tum introitus vocabant) de quibuſdam diebus feſtis, item de natali Chriſti, in quibus Germanica Latinis mixta ſunt, ipſe magna ex parte compoſuit, qui vſq; ad noſtra tempora in vſu fuerunt.

MCCCCXI.

Rodolphus de Plaunitz Præſul eligitur v I. Idus Ianu. Miſnæ, *Rodolphus Pr.* conſecratur Numburgi. Anteceſſoris æs alienum magna ex parte ſoluit, & Reinersdorfium ad Eccleſiam adiungit. Præfectos & quæſtores ſine collegij conſenſu non recepit, nec ſine eius ſcitu dimiſit: & ſingulari fide reditus adminiſtrauit. Eius ſuffraganeus fuit Henricus Carhoſienſis. Aulas perpetuò ſectatus fuerat, antequàm factus præſul eſt, vtque muneri ſuo vacaret præſens, perſuaderi non potuit. Ideo cùm & abſentia Præſulis, & vicarij imperium graue collegio eſſet: dignitas à nobilitate rurſus ad virum humilem, poſt mortem Rodolphi deuoluitur. *Prodigalitatis effectus.*

Pœnæ ſcelerum. Iudæi propter varias impoſturas, & ſtellionatum, in hac tota principum ditione, mulctantur pecunia ingenti. Veneficæ aliquot mulieres rogo imponuntur: ſacrificuli earum vſi conſuetudine, in ordinem rediguntur, & ſacerdotali priuantur officio.

MCCCCXII.

Fridericus Placidus Friderici Bellicoſi, primi poſtea Electoris, filius, In hac vrbe naſcitur, I X. Cal. Sept. In hac etiam vrbe tumulatus, vt ſuo loco dicetur.

MCCCCXIII.

Tempeſtas. Tempeſtas Inſolita ventorum imbriumq; Non. Aug. ſecunda hora pomeridiana oritur. In baſilica duas turres, cum ſeptem campanis deijcit: in tectis imbrices tegulasq;: in domibus feneſtras & valuas grando diminuit: in collibus & hortis arbores radicitus turbo euellit. Albis & Trebiſa extremam pontis partem ſuſtulerunt: vici oppidani ad cœnobium vſque Franciſcanum fuerunt nauigabiles.

Schiſma. Eodem anno Rodolphus Præſul obit I X. Calend. Iul. poſt cuius obitum magis quàm antea vnquam pugnatum eſt: nam nec collegium ferre Præſulum mores, propter ſuam nimiam licentiam, poterat: nec ipſi Præſules, ſacerdotum ingenia probare & audaciam. Cùm igitur ſeptem menſes acerbis animis contendiſſent, tandem Iohannem Hofmanum, *Iohannes IIII. Præſul.* Sueidnicij in Sileſia natum, Theologiæ in Lipſienſe Academia profeſſorem, & Canonicum Miſnenſem, ſuffragijs communibus nominant. Hic è numero Germanorum, Rector fuit vltimus Academiæ Pragenſis, *Pragenſium dimicatio cum Germanis.* cùm tumultu Huſſitico ad locum mutandum ſunt compulſi. Idem cum vitæ periculo in dimicatione nocturna Pragæ cum aduerſarijs armatis certauit.

MCCCCXIIII.

Iohannes IIII. Præſul ad ſynodum Conſtantienſem proficiſcitur: ad quos ſumptus tolerandos, & oppidum Noſſàm Henrico Oderano, abbati Vereroceilenſi vendidit, & à collegio ſuo maiores, quàm vllus maiorum, exactiones poſtulauit: quæ res magnæ ei inuidiæ fuit.

Barones Birchij de Dauba proximè arcem Lomam in arcis Hoënſteniæ vicinia habitantes, præſulis villis ſæpe erant moleſti, quos tandem eò adegit, vt locum mutare cogerentur, qui Mulbergum ad Albim emerunt, quod poſtea ad duces redijt, ſtirpe Birchiorum extincta. Fuit hic Præſul *Præſul eruditus.* ſuorum temporum vir eruditus. Scripſit quæſtiones Theologicas cum ſolutionibus. Item De officio Miſſæ, ad illuſtres Fridericum & Vilhelmum Marchiones, libros ſex, Item Commentarios in tractatum Vincentij de fine mundi: quos eùm negocijs abſoluere non poſſet, Iohannem Melcerum, Theologum Lipſienſem, ad ſe euocauit Vratiſlauia, vt ſtudio communi eos libros perficerent. Melcerus Stolpenæ in morbum incidit, Dreſdæ inter medicorum manus obit, Pirnæ ſepelitur.

Nix. Eodem anno vis niuis menſe Octobri vaſtitatem arboribus, pondere diffractis ramis, infert.

MCCCCXVI.

Periculum in glacie. Merguntur in Albi duo adoleſcentes, qui in glacie vehiculis oſſeis vecti, in lacunam incidunt, quæ facta erat ad aquam hauriendam.

Zigani

Zigani genus hominum erroneum & maleficum, ex hac ditione propter furta, ſtellionatum, & libidines exterminatur, mandato Friderici Principis. *Zigani.*

Hiems tam continua & acris, vt molendinorum vſu ceſſante, frumentum toſtum aut coctum manderetur. Amnium tanta ſequitur inundatio, vt fluminum multis in locis pontes violentia euerterentur. *Frigus & inundatio.*

Eodem anno naſcitur Grimmæ Sigiſmundus, Friderici I. poſtea Electoris filius, prid. Calen. Martij, ſepelitur Miſnæ, vt dicetur inferius.

MCCCCXVII.

Iohannes de Schleinitz Canonicus Miſnenſis, & præpoſitus Budiſſinus moritur, frater Henrici & Hugoldi Schleinicij habitantium.

MCCCCXIX.

Obijt XVI. Cal. Apr. vxor Erenfridi Schleinicij Elizabetha, ad mariti latus in Afrano tumulata. Coruſcationes & tonitrua VII. Cal. Dec. ſecutæ pluuiæ & venti.

MCCCCXX.

Tam calida hiems, vt die XX. Martij inciperent florere arbores: die IIII. April. etiam vineæ. Meminit eiuſdem Engelhuſius, cuius Chronicum hoc anno deſinit. *Hiems calida.*

MCCCCXXI.

Pro victoria de Boëmis ante Bruxiam parta, publicè aguntur in vrbibus gratiæ. Vrbi tum præfectus fuit Dietericus Vuicelebius Equ. De ea eiuſmodi rythmos inueni, *Victoria de Boemis.*

Anno milleno quadringent viceq; primo,
Dominici praſto ſimul Oſualdi quoque feſto,
Marchio tunc Miſnæ Fridericus bellat honeſtè,
Qui prope Brux ſtrauit Boemos atque fugauit:
Plurima pars læſa, ſunt & duo millia cæſa:
Gloria ſit Chriſto pro facto iugiter iſto.

Eodem anno Friderici I I. & Caroli I I I I. Imperatoris conſtitutiones renouantur, nequis bona Eccleſiaſtica inuaderet, ne ſacerdotes aliena curarent, & in iudicijs verſarentur. Qui raperet ſacram pecuniam, triplo iniuriam penderet. Qui prophana negocia exerceret ſacerdos, ſuo munere & dignitate priuaretur. Mandatum executus eſt Conradus Dux Sileſiæ, dominus Steinauiæ & Vuolauiæ, Decanus Vratiſlauienſis, iudex & conſeruator conſtitutionum Imperialium. *Conſtitutiones imperiales.*

MCCCCXXII.

Henricus Friderici I. mox Electoris filius, hîc naſcitur, die aſcenſionis Chriſti. Alij natum Lipſiæ ſcribunt, non verè.

MCCCCXXIII.

Obijt Dicemanus Grunradius, ad patris Vlrici latus in æde Afranæ conditus. Præfectus vrbi fuit, Boſo Vicethumus.

Hugol-

MCCCCXXIIII.

Hugoldus Schleiniclus Equ. in templo Afrano ſacellum extruxit. In ære circum ſepulchri lapidem hæc verba lecta ſunt:

In vigilia Iohan ante por. Lat. quinta die menſis Maij, obijt ſtrenuus miles Hugoldus de Schleinitz, amator pacis ac veritatis, fundator huius capellæ, cuius anima requieſcit in pace.

Electoratus traditur Marchioni Miſnenſi. Electoris titulus ac dignitas ad Fridericum Landgrauium Turingiæ, & Marchionem Miſniæ transfertur, mortuis Rodolpho & Alberto fratribus Anhaltinis.

MCCCCXXV.

Vilhelmus II. Friderici I. Electoris Saxoniæ frater, matre Catharina Hennebergia natus, moritur Miſnæ, ſepelitur Aldenburgi, in æde Georgiana, à ſe fundata.

Eodem anno Vilhelmus III. Friderici I. Electoris Saxoniæ filius, matre Catharina Brunuigia naſcitur Miſnæ.

MCCCCXXVI.

Prælium Auſtianum In prælio Auſtiano, quod die Solſtitiali æſtiuo commiſſum eſt, qui ex vrbe Miſna ciues miſſi erant, vix vno & altero ſuperſtite, cæſi ſunt. Miſſi ſunt autem præter peditatum, equites viginti. Vilhelmus III. fratris abſentis legatus fuit.

MCCCCXXVIII.

Fridericus è Miſnenſibus Marchionibus, primus Saxoniæ Elector, obit Aldenburgi Non. Ian. ibidem terræ mandatur. Alij Miſnæ, alij *Error in monumento* Reinhardborni tumulatum, non ſatis prudenter tradunt. Tumba tamen ænea, quæ in ſacello principum hîc eſt, huiuſmodi habet inſcriptionem, huic principi debitam, non filio, qui Miſnæ ſepultus eſt,

Anno Milleſimo quadringenteſimo XXVIII. dominica proxima poſt circumciſionis obijt illuſtris princeps & dominus, D. Fridericus Dux Saxoniæ, ſacri Romani imperij Archimarſchallus, Turingiæ Landgrauius, Marchio Miſnenſis, hîc ſepultus.

Igitur tumbæ inſcriptio & imago Aldenburgum deferri debuit, quæ neſcio qua negligentia filij ſepulchro eſt impoſita. Vide infra annum MCCCCLXIIII.

MCCCCXXIX.

Boemi in Miſniam. Natalibus Chriſti ferijs Huſſitæ Miſnenſia ſuburbia & templa cremant, & vlterius progreſſi totam prouinciam, duce Procopio Boemo, & Petro Malticlo deuaſtant: equites quadringentos cedunt prope Grimmam. Hugoldus Schleinicius inter cadauera adhuc ſpirans, inuentus, ſpoliatur, & priuatur oculis.

MCCCCXXXII.

Illuuio. Albis hoc anno bis effluit. Primò VI. Cal. Martij, alueus ad ipſum pontem aſcendit: durat inundatio quatriduum. Iterùm Cal. Au. catarrhacta cæli totum pontem euertit, muroſq; meridiem verſus deijcit; durauit ea vis aquæ ad diem vſque quintum. Harum inundationum mentio in Vandalia Crantij.

Tanta

Tanta autem fuit hęc vltima, vt poſt curiam in vico Palatino homines cymbas ingrederentur: & ſupra muros nauigarent, vsque ad montem Zeilanum, ibidem egreſſi è lintribus aut nauigijs.

MCCCCXXXIII.

Solis eclipſis fuit, menſe Iunio: Cometa luxit Septembre. Secuta quadriennis frumenti penuria. *Fames quadriennis.*

Trebiſa VIII. Cal. Auguſti ita excreuit, vt mœniorum & pomerij partem deijceret.

Eodem anno, qui in hac vrbe natus erat, Henricus Friderici II. Electoris filius, morte tollitur, anno ætatis tertio decimo XI. Calend. Aug.

Conditur hoc ſaxo, cui mortem Dresda, ſepulchrum
Miſna dat, Henricus principe ſtirpe ſatus.
Tollitur in cœlum, teneris extinctus ab annis,
Triſticia hic matris prima dolentis erat.
Mortali quicquid de ſemine naſcitur, illud
Mortali pariter conditione perit.

Hiemis fuit magna aſperitas, à die Martini vsque ad conuerſionis Pauli diem. *Hiems aſpera.*

MCCCCXXXIIII.

Iterum ripam tranſcendit Albis VIII. Calend. Iulij Burggrauius Miſnę fuit Henricus præfectus vrbi Ditericus Paccius. *Eluuio.*

MCCCCXXXV.

Incendio multæ domus conflagrant XIIII. Cal. Iun. mox quę reliquę fuerant, cremantur VIII. Cal. Iul. *Incendia.*

MCCCCXXXVI.

Ameleis Friderici II. Electoris filia, Miſnę naſcitur, quę poſtea duci Bauarię Georgio, cognomento diuiti, data eſt in matrimonium.

Sigismundus Dux Saxoniæ VII. Calen. Martij ſacro initiatur ordini.

Eodem anno Anna Electoris II. filia altera, hic naſcitur, Non. Martij: ſecunda vxor Alberti Brandeburgij, mater liberorum duodecim.

MCCCCXXXVII.

Vilhelmus Sternbergius X. Cal. Octob. cum multis Boëmis captus, à Friderico Electore II. in carcerem conijcitur: Sternbergius numerata pecunia, dimittitur è cuſtodia Rochliciana: vulgus in carceribus perijt, detentum Miſnæ, & alijs oppidis, per quæ diſtributum erat. *Captus hoſtis Boemus.*

Concilio Baſilienſi omnes eruditi in his terris ſubſcribunt, excepto Iohanne Cunone Theologo Lipſienſe.

MCCCCXXXVIII.

Nobilitas Brandeburgia bello capta, quod Miſnenſibus mouit Marchio Fridericus, cuſtodiæ in hoc oppido traditur, & poſt aliquot menſes ſe redimit argento.

MCCCCXXXIX.

Fridericus primogenitus Friderici II. Electoris, naſcitur in hac vrbe V. Calend. Septemb. qui annum ætatis attigit duodecimum.

MCCCCXL.

Peſtis triennij. Morbus popularis graſſatus eſt toto triennio.

Sacellum ducum. Illuſtrium Marchionum ſepultura à cœnobio Veterocellenſe, in quo annos vltra ducentos durauerat, Miſnam transfertur, à Friderico II. Electore. Conduntur hoc tempore in ſacello ad id extructo, Principes vndecim: Fridericus II. Elector fundator, cum fratre Sigismundo, Præſule Vurciburgio, & cum quinque filijs, Friderico, Alexandro, Henrico, Ernesto, Alberto: cum duobus nepotibus, Friderico Pruſſiæ magiſtro, & Duce Saxoniæ Georgio, Alberti filijs: cum totidem pronepotibus Iohanne & Friderico, filijs Georgij. Quieſcunt ibidem vxores principum quatuor; Friderici I. Electoris Catharina, Henrici Ducis Brunſuigij filia: Alberti Zedena, Georgij regis Boëmiæ filia: Georgij Barbara, Caſimiri filia regis Poloniæ: Ameleis, Georgij Ducis Bauariæ coniunx.

MCCCCXLI.

Erneſtus Dux Illuſtriſſimus Elector, qui patri ſucceſſit, naſcitur in hac vrbe VIII. Cal. April. hora nona Pomeridiana.

MCCCCXLII.

Catharina Henrici Ducis Brunſuigij filia, Friderici I. Saxoniæ Electoris vxor, obit V. Calend. Ian. Grimmæ, conditur Miſnæ. Hæc ante annos ſedecim exercitum Turingicum & Miſnenſem, cùm in Vngaria maritus Elector abeſſet, in Boëmos collegerat: & Fribergi delectu habito, dimiſerat: ſed eſt infeliciter pugnatum.

Hic Catharina iacet, Brunſuiga ſtirpe creata,
Saxonici coniunx quæ generoſa Ducis.
Conſilio excellens, animi matrona virilis,
Zeſchorum fortes mittit in arma viros:
Pro patriaq; gerit curas, abſente marito:
Auſpicio ſed res illa peracta malo.
Hac capit optatam nunc ſub tellure quietem,
Inter honoratas maxima fama duces.

Eodem anno vineę corrumpuntur niue & frigoribus, Prid. Calend. Maij.

MCCCCXLII.

Domus mercatorum, in foro à nundinis dicto, iaciuntur fundamenta, conſule Venceslao Segilio.

MCCCCXLIII.

Calend. Maij, & die ſequente tanta nix fuit, vt omnia vineta corrumperet.

Inundatio. Albis inundatio duo iuga pontis tollit, & pontem ipſum aquis tegit, & flumen ſupra muros vrbem introit.

Iohannes

MCCCCXLIIII.

Iohannes Cuno Dominicanus Lipſiç, Theologiæ doctor, & Miſnæ Sebaſtianus Calbius Franciſcanus improbant concurſum ad templum Vueliſnacenſe, quod eſt in diœceſi Hauelburgia, de quo Crancius & Sarctorius etiam ſcribunt. Ambo accuſati apud principem, iubentur ſolum mutare, & è prouincijs eius excedere. Appellarunt ipſi ad ſuum quiſque Præſulem, & dicta die XII. Septem. diſputarunt Burgi, in oppido antiſtitis Magdeburgij. Præfuit Henricus Taco eiuſdem loci Canonicus & Theologus, & Matthias Doringius, miniſter ordinis Minorum. Cùm decedere de ſententia illa nollent, neque conuinci rationibus, aut veritate verbi diuini poſſent: duabus Academijs Lipſienſi & Erfurdianæ cauſa dijudicanda datur: hæ ſuaſerunt nō vrgendam pertinacius ſententiam, quòd paucorum teſtimonio ea conſtaret, & (vt Erfurdiana addidit) ſuperſtitioni non diſſimilis res videretur. Scripſit eodem tempore Iohannes Vunſchilburgius Sileſius, de ſignis & miraculis falſis: & ſimilium recitauit impoſturarum multa exempla: & adhortatus Præſules eſt, vt vigilarent in ſalutem gregum ſuorum. Inualuit autem tantopere hæc diſputatio, vt anno poſt hunc congreſſum quarto, vulgus Berlini tumultuaretur, monachorum inſtinctu, contra Iohannem Marchionem, & Friderici Marchionis filius contra antiſtitem Magdeburgium, monachorum audaciam comprobantem. Re tandem ipſa deprehenſum eſt, rectiſſimè ſenſiſſe eos, qui pro præſtigijs Sathanæ, cum concurſum hominum fanaticorum habuerunt.

Vueliſnacenſis ſuperſtitio.

Tumultus ob ſuperſtitionem.

MCCCCXLV.

Albis ſubitò inundans, prid. Idus Maij agros perdit. Eo anno Fridericus dux & Vilhelmus fratres de regionum ſuarum diuiſione habuerunt conuentus: Vilhelmo datum negocium diuidendi, Friderico eligendi. Cùm Fridericus eligeret Turingiam, frater illi cedere noluit: quæ controuerſia motuum plurimorum cauſa fuit.

MCCCCXLVI.

Moritur illuſtris puer, dux Alexander, Friderici II. Electoris filius, indolis præſtantiſſ.

Dignus Alexandri qui nomine poſſet haberi,
Heu rapitur manibus mors violenta tuis.
Talis erat facie, forma, virtute, vigore,
Maiorum ingenuo ferret vt ore decus.
Sæpe cadit creſcens læſis radicibus arbor:
Virtus ſæpe ſuum concidit ante diem.

MCCCCXLVII.

Miſna igne conflagrat cum templis, VI. Calend. Iulij, quo tempore Vilhelmus & Fridericus fratres inter ſe acerbè diſſidebant. Manſit ſolum templum & arx in monte incolumis.

Incendium.

MCCCCXLVIII.

Ebrietas turpis. Iohannes Præſul & Præpoſitus Lipſienſis, cœnobium Afranum ad inſtaurandam diſciplinam inſpiciunt. Cauſa erat, quòd Canonicus quidam, in ſacrorum primitijs, rem faciens diuinam, adeò ebrius ad aram acceſſit, vt preces vſitatas legere non poſſet.

MCCCCXLIX.

Noua à Boëmis eſt in Miſniam facta irruptio.

Inundatio. Inundatio Albis à die XXIII. Aprilis durauit vsque ad X. Maij.

Tertio poſt ſolſtitium æſtiuum die, vineæ vento & pruina corrumpuntur.

MCCCCL.

Iubileus multorum mortalium concurſu celebratur, quod vt fieret, à Nicolao V. pontifice Vilhelmus dux, & Iohannes III. Præſul impetrarunt.

Peſtis. Eodem anno tanta peſtis lues, & tam valida contagio conſecuta in locis multis, vt pars hominum tertia putata ſit interijſſe. Defunctę ſunt in cœnobio ſanctæ crucis Iuliana Berenſtenia abbatiſſa, Cæcilia Hartuſchia Moriſſa, & quarum familiæ non ſunt expreſſæ, Benigna, Adelheidis, Beita, Kela, Iutta, Sophia, Agnes, Rixa, Mechtildis.

Corporis Chriſti feſtum in Germania à Cuſano inſtitutum. Hoc tempore cœpit vitro pellucido includi panis azymus: quem in cœna Domini populo ſacrifici porrigebant: ipſa item vitra auro argentove circundari: vt ſpectanda primùm per templa proponerentur: tùm per vrbes vicatim circumgeſtarentur: cum cantu ſolenni, & inſtrumentis Muſicis, & ſparſione florum. Idque quinto poſt feſtum Trinitatis die fiebat: quam ceremoniam importauit in Germaniam Cuſanus Cardinalis & Legatus Pontificius.

MCCCCLI.

Obit Fridericus, Friderici II. Electoris filius, X. Cal. Ian. in hac vrbe ſepultus. Mater ad tumulum loquitur,

Vulnera terna tuli, genitrix mœſtiſſima: natis
Quæ tribus ereptis, iam viduata, gemo.
Quis titulos patrios feret aut virtutis honores?
Quis ſeræ ætatis dulce leuamen erit?
Has tibi ſpargo roſas, hos flores pono ſepulchro
Nate tuo, ſupera læte recepte domo.
Cætera Chriſte tibi, tacita commendo querela,
Sum mater ſuperis ſedibus, orba meis.

Eodem

Eodem anno Iohannes Præſul obit VII. Cal. Aprilis anno ſeſſionis ſeptimo & trigeſimo. In eius locum Caſparus Schonbergius Decanus ſuccedit, Prid. Cal. Maij. Is inter alios arbiter electus, cum duce Saxoniæ Vilhelmo Pragam abit, quia erat de finibus inter regem Ladislaum, & Fridericum Saxoniæ Electorem II. grauis contentio. *Caſparus Præſul.*

Tranſiuit per hanc vrbem Cardinalis Nicolaus Cuſanus, ſuorum temporum vir doctiſſimus in tota Philoſophia, & Theologiæ profeſſor. Is miſſus erat, vt mores religioſorum & vitam inſpiceret, & eos ad parendum Pontifici Romano adhortaretur. Fuit patria Germanus. Celtes Amorum 3. *Cuſanus.*

Hic ripis duxit clarus Trittemius ortum,
Et qui Cuſa tuum, clara Moſella decus:

Albis ripas tranſcendit XXIIII. Iunij: quod hoc menſe & ſequentibus fieri ſæpiſſime ſolet.

MCCCCLII.

Iohannes Capiſtranus Aprutius Franciſcanus, per Chriſtianum Auguſtanum interpretem in hac vrbe, de pinna domus in foro concionabatur è regione curiæ. Alueolos, teſſeras, chartaſque luſorias in ignem conijcit, plicas & flammea, & ſuperflua ornamenta mulierum comburit. Verba ſæpe per duas horas fecit, interpres etiam vlterius. Ad expeditionem contra Turcas, qui in Thraciam duxerant exercitum, animauit populum. Rediturus in Italiam, poſt ſuæ peregrinationis annum decimum quartum, moritur Villaci in Carinthia, ibidem in Franciſcano nactus tumulum: vir ſingularis facundiæ, auditor Bernardini Senenſis, & æqualis Roberti Caracholę, Præſulis Licienſis: qui ſuorum temporum habiti ſunt diſertiſſimi. *Capiſtranus*

MCCCCLV.

Dimidia pars oppidi rurſus incendio deflagrat XVII. Cal. Apr. Ex arce Aldenburgia rapiuntur die ſolſtitiali æſtiuo, Erneſtus & Albertus Principes, à Conrado Kaufungo, Vilhelmo Moſſeno, & Vilhelmo Schonfelſio: Conradus gladio punitur Fribergi, qui Albertum abduxerat: reliqui impunitatem conſequuntur ambo, qui Erneſtum ſponte reduxerunt. *Plagiarij.*

MCCCCLVI.

Pluuiæ durant à meſſis tempore vsque ad vindemiam, conſecuta annonæ & vini penuria. *Fames.*

MCCCCLVII.

Sigismundus Præſul Vurceiburgius, in nocete natalis Chriſti obit Roehlicij, inde transfertur Miſnam in ſacellum, quod frater eius Fridericus II. Elector extruxerat.

Sigmundus Francis dominans gladioq; ſtolaq;,
Fraternum propter conditur hic tumulum.
Ipſe reſignauit munus, cui viribus impar,
Et placida ingenij ſimplicitate fuit.

Fff 3 Obit

MCCCCLXIII.

Obit Caſparus Præſul, prid. Cal. Iun. Miſnæ ſepelitur: in cuius locum frater eius præpoſitus Miſnenſis deſignatur Ditericus IIII. Nicolai Eq. Reinſpergæ habitantis filii. Cum Diterico Præſule Numburgano, eodem die infula inſignitur & pedum accipit. Hic vt ſuperiorum temporum luxuriam corrigeret, & ſacerdotes exemplo regeret, & perſuadendo ad officium potiùs quàm cogendo reduceret: & ſnum ipſe modeſtiſſimè munus fecit, & familiam amplam redegit ad paucos: tota vita vir grauiſſimus.

Diterícus IIII. pr.

Peſtis.

Eodem anno peſtis paſſim graſſatur. Moriuntur hîc in Afrano, Canonici quinque. Lipſiæ à menſe Auguſto vsque ad Octobrem monachi Dominicani in Paulino nouem & viginti obeunt. Memorabile eſt, quod inter eos accidit Martino Drencigio, qui diem horamque obitus ſui prævidit: cui eum præfectus cœnobio diceret, Quid eſt Martine, quo ſperas Deum habere te propicium? Ille ait: Non cognoui literaturam, quia nimis indoctus ſum; ſed alijs pſallentibus ſolitus ſum aliquam partem paſſionis & mortis Chriſti meditari, & gratias illi pro munere & merito redemptionis agere: cuius memorabor iuſticiæ ſolius. Miratus pietatem hominis archimandrita, oratione confirmauit & ſperare iuſſit optimè, quia recordaretur iuſticiæ Domini ſolius. Hanc hiſtoriam deſcripſi è libro Aegidij Miſneri, docti viri, & amici veteris.

Pius vitæ exitus.

Eodem anno obit Iano Schleinicius Eq. die Solſtitij brumalis. erat hic Friderici II. Electoris marſchallus: ſepelitur in templo Afrano.

Moritur itidem Iohannes Sthenius, Afranus præpoſitus VI. Calend. Ianuarij.

MCCCCLXIIII.

Illuſtriſſ. Elector Fridericus II. vitam claudit Lipſiæ VIII. Id. Sept. anno ætatis tertio & quinquageſimo, gubernationis ſexto & trigeſimo. Deportatur Miſnam in ſacellum, quod occidentem verſus, templo cathedrali ante annos viginti ipſe adiunxerat. De hoc principe ſic ſcripſit Vuetiſlarienſis,

In Chriſtum credit, felix in pace recedit,
Illius atq; animæ dux Chriſtus, ſummus & in ſpe.

Fides in Chriſtum.

Noſtrum epitaphium, rerum eius geſtarum ſummam, breuiter complectitur.

Stemmatis antiqui Princeps, inſignis honore
Enſiferi, hanc tumbam pace ſepultus habet.
Ad Satium forti congreſſus marte Boëmo,
Te leo terribili fecit abire iuba.
Ille truces cogit quoq; vertere terga Polonos,
In Brandeburgos & mouet arma duces.
Tum Francos ſuperat ſignis felicibus hoſtes,
Cumq; ſuo bellum flebile fratre gerit

Amittit

Amittit plagio natos recipitq́: tuetur
Ipſe, magiſtratum qui iubet eſſe, Deus.
Compoſitis placidè rebus, componitur ipſe:
In patrioq́, tenet debita buſta ſolo.

In tumba eius ænea, numerus anni non rectè ſignatus eſt, nam is eſt annus, & is dies mortis inſcriptus, qui fatalis patri eius fuit. Aenea igitur tabula illa Aldenburgum fortaſſe mitti debuit, vbi conditus pater eſt, quæ poſtea filio impoſita fuit. Hęc mutatio in Annalib. errores multos peperit.

Moritur Cal. Octob. Georgius Haubitius Friderici II. Ducis cancellarius, Decanus Miſnenſis, electus nuper Præſul Numburganus. Eius agnatus Petrus, de eadem gente, cui ſuccedere debebat, ſuo muneri pręfuit annos triginta. *Præſul eligitur. Eius auunculus moritur.*

M C C C C L X V I.

Acerrima hiems & vis niuium fuit, adeò vt multi mortales frigoribus perierint. *Hiems aſpera.*

M C C C C L X V I I I.

Sacellum diui Volfgangi extra portam Lomacenſem inchoatur menſe Aprili, à tubicine quodam, qui ſeco in loco aram extructurum, vouerat. Sacellum hoc dirutum eſt.

Obit Nicolaus Stoius Præpoſitus Afranus, VI. Id. Iul. Meſſis humida, autumnus pluuius, vites frigore marceſcunt.

M C C C C L X X.

Obit Nicolaus Tronltius Theologiæ doctor, & Canonicus, initio menſis Ianuarij. Teſtamento legat Senatui Miſnenſi, quinque florenos annuos, numerandos adoleſcenti bonæ indolis, & non neglecto in literis puerilibus, qui iudicio Decani probandus eſſet: factum id Coſſ. Nicolao Baumgartnero, & Nicolao Steinbachio. His alios quinque annuos addidit Iohannes Thilo vicarius 1533. coſſ. Nicolao Aneſorgo, & Henrico Fauſto. Moritur Catharina Berenſtenia in cœnobio extra Albim Cal. Aprilis. *Sacerdotu in ſtudia beneficii.*

Iohannes Mocha abbas Veterocellenſis, qui Conrado Schonbergio ſucceſſerat, à Meca viro nobili, in pago Rauſchlicio prope Dobelam interficitur, in contentione de villæ cuiusdam reditibus. *Cædes Abbatis.*

M C C C C L X X I.

Arx Miſnenſis ab Alberto Saxoniæ Principe inchoatur: Arnoldus architectus quidam Vueſtualus, eam extruit: quę magnifica eſt & ſplendidiſſima.

Eodem anno inchoatum templum diui Volfgangi extra vrbem: quod dum extrueretur, Miſna riuulus IX. Calendas Septembris, ita excreſcit, vt lapides raperet è fundamentis nuper poſitis, & quatuor operarios perderet, horrea agricolarum prope habitantium cum frumentis aueheret. Exereuit ex altera vrbis parte torrens Trebiſa, qui prope templum diui Nicolai longurium rumpit: inde fœmina grauida delapſa ſubmergitur.

MCCCCLXXII.

Copia argenti. Cometa viſus per menſes duos. Vberrimus fuit prouentus metalli Schnebergij in Miſnia, numerus anni hoc dicto continetur, E c c e s c v i c o m e t a l v x i t.

Copia vini. Tanta vini copia, vt cantharus triente, hoc eſt, noſtris nummulis quatuor emeretur.

MCCCCLXXIII.

Iohannes Mergentalius Alberti Saxoniæ Ducis cancellarius moritur, qui iter eius Palęſtinum deſcripſit.

Siccitas. Fontes & riuuli ſiccati, vt molendina ceſſarent, & aquę potabiles venderentur.

MCCCCLXXIIII.

Fons vberrimus è valle ſatis remota in Afranum cœnobium ducitur, à Iohanne Deurſchendorfio, Præſulis vicario, qui eum teſtamento curauerat ducendum.

MCCCCLXXV.

Mercatus vernus, proxima ante Palmarum diem dominica, ex oppido Lomacio in hanc vrbem transfertur, Principum fratrum voluntate.

MCCCCLXXVI.

Albertus dux Saxonię cum ſuo comitatu hac tranſijt, iturus Romam & in Palęſtinam, menſe Martio.

Iohannes V. Præſul. Obit Ditericus IIII. Pręſul, pr. Id Apr. eius ſucceſſor Iohannes V. de familia Vueiſſenbachia, Decanus Miſnenſis, Doctor iuris. Is Ducum Saxonicorum, quorum erat conſiliarius, & regis Boemię ſecutus aulas eſt. Victu ſumptuoſo & ſtructuris magnificis, æs alienum contraxit: argumento manifeſto, eos qui proprij muneris curam negligunt, & aliena adminiſtrant, ſuis non prodeſſe. *Præſul ſumptuoſus.* Cum Erneſto Electore Romam profectus, conſecratur in Præſulem, à Papę Cancellario. Erneſtus à Sixto IIII. roſam auream obtinet, quam templo Miſnenſi donat. Hic Præſul confirmationem Erneſti Magdeburgij antiſtitis, Romæ impetrat. Idem arcem Miſnę inchoat, Stolpenſem & Mogellanam ędificijs ornat. Fribergenſe collegium introducit, & templum dedicat. Cauſis matrimonialibus præfectus ſub eo fuit Iohannes Breitenbachius, iuris ſtudioſus, ſuæ deinceps facultatis princeps ſeu ordinarius, & coſ. Lipſienſis, vir præclarus, & auctoritate ſingulari præditus. Obit in Academia Francofordiana.

MCCCCLXXVII.

Bombarda. Prima Bombarda ænea, in ſuburbio Dreſdenſe fuſa, per hanc vrbem ducitur, cum obſideretur in Hercinijs vrbs Quedelnburgum.

Moritur Barbara Berenſtenia, præfecta penui, in cœnobio ad Albim, VII. Calend. April.

Siccitas. Propter calores intenſiſſimos riui & torrentes ſiccantur.

In cœnobio

MCCCCLXXVIII.

In cœnobio modò dicto moritur Agnes Berenſtenia x. Cal. Maij, quæ vicem abbatiſſæ geſſit.

MCCCCLXXIX.

Iterum ęſtas ſicca, & à feſto Penteceſtes, vsque ad diem Archangeli pluuia nulla. Domum frumentariam in Afrano Nicolaus Queſteuitius Præpoſitus extruit. *Aeſtas ſicca.*

Aedificatur in vrbe domus curiæ. In templo cathedrali erectæ tres turres, quas ignis poſtea conſumpſit, eo anno, quo captus Elector Iohannes Fridericus, vt libro ſequente exponetur. *Curia ædificata.*

Præfectus vrbi fuit Georgius Reinsbergius.

MCCCCLXXX.

Inſtitutum ab Erneſto Duce Electore eſt, vt in templo Miſnenſe, diebus noctibusque, absque intermiſſione diſtributis operis caneretur. Erant ad id deſtinati Canonici XIII. & totidem eorum ſacellani, & vicarij ſexaginta plus minùsue: ex his ſeptem, Scoti nominabantur, qui in vna domo pariter habitabant: his miniſter erat, quem Ieſum appellitabant, qui minima officia exequeretur. nam quod nemo vel infimus hominum facere vellet, id Ieſu imponebatur. Erant Chorales duodecim: erant à tumba Principum, dicti Grabari quindecim, quos Dux Erneſtus addidit: erant ab hora nocturna octaua, appellati Octauiani. Erant duo Oculi vocati, alter Decani, alter Præpoſiti, qui chorum inſpicerent, & inchoarent cantica. Hi diuiſis temporibus ita alternatim ſuis muneribus fungebantur, vt cantionibus neque diurnum neque nocturnum tempus vnquam vacaret. *Perpetui diurni nocturnique cantus.* *Ieſus miniſter.*

MCCCCLXXXI.

In ferijs Pentecoſtes facta inundatio vehemens, quæ durauit triduum. *Inundatio.*

MCCCCLXXXII.

Iohannes v. Præſul ſacris interdixit abbatibus, Cellenſi, Buchano, Dobriluchio, propter non numeratam certam pecuniam: qua ſoluta, rurſus rem diuinam facere potuerunt. *Sacra vetalia.*

MCCCCLXXXIII.

Pridie Non. Maij, Henricus Stercker quatuor Eccleſiarum Canonicus, & Iuriſc. obit, qui hoc ſibi ponendum curauit monumentum,

Mellerſtad genuit, ſed Lipſia contulit artes,
Ius dedit & leges vrbs Erfurdina mihi.
Abſumpſit febris, Henricum agnomine Stercker,
Miſna tegit corpus, ſpiritus aſtra tenet.

Aeſtatis

Aeſtatis ſiccitatem ſecuta penuria, quia ſata prouenire non potuerunt: Vredo etiam perdidit herbas & vineta.

Siccita. Obit Hildebrandus huius vrbis Medicus Peripateticus, vt in eius tumulo lectum eſt.

Vrbi præfectus fuit Caſpar Schonbergius Eq. qui Sachſenburgi habitat.

X. Nouemb. natus eſt Martinus Lutherus, Islebiæ.

MCCCCLXXXIIII.

Albertus Dux Saxoniæ IIII. Febr. filiam Catharinam deducit Oenipontem, deſponſam Sigismundo Atheſino, Duci Auſtriaco. Eum ſecutus Iohannes V. Præſul. Ipſis abſentibus menſe Martio obit Miſnæ Elizabetha Electoris vxor, & menſe Maio eiusdem filius Albertus, antiſtes Moguntinus. Elizabetha Lipſiam deducitur, & in æde Paulina, in templi medio tumulatur, cui hoc ſcripſimus epitaphium:

Eliſabetha decus ſexus, probitate, pudore,
Iuſticia, Erneſti quæ Ducis vxor erat,
Qua tumulo, à cari tumulo diſiuncta mariti,
Sed viuens fido pectore iuncta fuit:
Eximiæ prolis mater: quia diuite partu
Tres Electores lumina clara dedit.

Felicitas partus. Fuit enim mater Electorum Friderici III. & Iohannis Saxonum, & Alberti Moguntini: quod humanæ felicitatis exemplum eſt.

MCCCCLXXXV.

Eclipſis Solis, hora tertia pomeridiana XVII. Cal. Aprilis: eam ſecuta peſtis.

Lues contagioſa. In cœnobio ſanctę crucis ad Albim, moniales nouem: Mulbergi quarto inde milliario, ſeptem & viginti obierunt. Miſnæ prępoſitus fuit Nicolaus Cuno, Abbatiſſa Agatha Berenſtenia.

Habentur comitia Numburgi & Hali inter Erneſtum & Albertum, de diuidendis prouincijs: quæ cauſa eſt altero demum anno Lipſiæ tranſacta.

MCCCCLXXXVI.

Illuſtriſſ. Elector Erneſtus, anno ætatis quinto & quadrageſimo obit in arce Choldicia à ſe extructa, VII. Cal. Sept. veſperi hora quarta. Eius agoni interfuit Albertus frater, qui funus eſt ſtatim Miſnam proſecutus. Ad exequias (quas corruptè beicruſtam noſtri vocant, quaſi prope cryptam) venerunt filij eius tres, Erneſtus antiſtes Magdeburgius, Fridericus & Iohannes duces. Legati item Erfurdianorum, Moguntinorum, Colonienſium. Cura funeris commiſſa tribus Eq. auratis, Henrico Endio, Henrico Milticio, Caſpari Schonbergio, tum vrbis huic præfecto. Feretrum antecedebant equi pullati quinque, ſequebantur octo, qui templo relicti ſunt, ij geſtabant prouinciarum ſubiectarum inſignia. *Sepultura magnifica.* Epitaphium eius tale eſt.

Erneſtus

Erneſtus pacis tranquillæ maximus auctor,
A patria atq; domo depulit omne malum.
Arma tamen nunquam ſumpſit, niſi iuſta: Narſcis
Prima tulit, terris altera Zeſche tuis.
Germanis etiam placidè dimouit ab oris,
Caſtra Sileſiaco qui poſuere ſolo,
Pannona Matthian, & te Caſimire Polonum:
Iſte potens ſcutis, arcubus ille ferox.
Sacrificos etiam luxu & leuitate rebelles,
Officium cogit cum pietate ſequi.
Officiis clemens, atq; integritate ſeuerus,
Ære ſub hoc, cineres oſſaq; tectus, habet.

Graſſatus eſt nouus & inauditus in his terris, morbus, quem nautæ Saxonici vocant, Den Schorbock: quę eſt inflammatio in membris *Morbus Saxonicus.* partium carnoſarum cui: quò celerius adhibetur medicina, eò citius malum reſtinguitur. Sin mora accedit paulò tardior, ſequitur membri affecti mortificatio, quam ſiderationem noſtri. Gręci σφακελὸν dicunt, vltimum gangrænę malum: nam caro de oſſibus defluit, & continua quęque à lue corripiuntur. Fuit idem morbus contagioſus, multorum mortalium graui periculo.

MCCCCLXXXVII.

Chriſtophorus Eccelius Decret. Doctor, Miſnenſis, Mersburgius, Fribergius Canonicus, Calend. Aug. obit: è cuius agnatione Matthias Eccelius, Muſicus ſuæ ætatis inſignis, in aula Henrici Ducis Saxoniæ floruit.

Iohannes V. Pręſul obit Calend. Nouemb. Lipſiæ, ſepelitur Miſnæ: *Iohannes VI. Præſul.* in eius locum eligitur Idibus, Iohannes VI. de familia Salhuſia, Decanus Miſnenſis, Decret. Doctor: is competitorem habuit Melchiorem Mecam prępoſitum, poſtea Præſulem Brixinenſem, & Cardinalem t. S. Stephani in monte Cælio. Statuta Eccleſiæ Miſnenſis, item libros, quibus orando, legendo, cantando, ſacerdotes vtuntur, opera Vilhelmi Betſchitij Canonici, & Andreæ Prolis monachi, emendandos imprimendosque *Cura ſui officij.* curauit, vt vel hac diligentia ad munus ſuum exequendum eos inuitaret.

Eodem anno porta à lanijs nomen habens ædificatur, menſe Maio. Eodem menſe arx de cœlo tangitur.

MCCCCLXXXVIII.

Tumultus inter Iohannem abbatem & monachos Cellenſes fuit, *Abbatis & monachorum contentio.* qui abbatem interfeciſſent, niſi ab Heinirio Canonico Miſnenſe, qui caſu tum erat præſens, eſſet defenſus: is enim arcu contento, quorum duos attulerat, quinque monachos vulnerauit, & abbatem ex eorum manibus abripuit.

Fugerunt

MCCCCLXXXIX.

Fugerunt è cœnobio Afrano tres canonici, patria Vurcinenſes: præpoſitus erat Andreas Tetelbachius ex eadem vrbe accerſitus.

MCCCCXC.

Obit Hugoldus Schleinicius, Alberti Ducis Saxoniæ Marſchallus, x IIII. Cal. Febr. Is ex arce Cribeſteino Miſnam deportatur. Funus proſecuti ſunt ipſi principes, & Henricus abbas Chemnicenſis, eius gentilis: & mulieres nobiles quatuor & octoginta. In templo Afrano tale habet epitaphium, laminæ æneæ inſculptum:

De Schleinitz, clarus, nulli integritate ſecundus,
Hic iacet Hugoldus, quo male Miſna cares.
Te auxerat is titulis, fama, atq; opibus, meritiſq;
Marſchallus, magno iudicio atq; probo,
Heroaq; manu miles, capitaneus armis,
Conſilioq; potens, verba diſerta dabat,
Nec totus moritur, virtutis ſemina liquit.
Lector funde preces, chare viator aue.

MCCCCXCI.

Andreas Tetelbachius Præpoſitus Afranus, ex indulgentijs Ronnebergi & Schlueccenç collegerat mille & trecentos aureos: qui in itinere cità latronibus rapiuntur: ipſe vix precibus ſaluus euadit.

Ignis. Oritur incendium Miſnæ XVII. Cal. Iulij. Rurſus V I. Cal. Iul. fluminum inundatio per totam regionem. In pago Langolunguitio, & vrbe Zuiccauia quatuor & quadraginta homines aquis improuiſis pereunt. *Inundatio.*

MCCCCXCII.

Obit in die Epiphaniç Diricus Schleinicius Eq. aulæ Saxonicç præfectus. Obit etiam Nicolaus Queſteuirius, præpoſitus Afranus.

MCCCCXCIII.

Caſus triſtes Ciuis quidam Himmelrichus filium interficit: pater capite plectitur, initio menſis Iulij: mater dolore extinguitur, in fine Augusti.

MCCCCXCIIII.

Nicolaus Steinbachius hac in vrbe natus, vir prudens & conſilij plenus, fuit in aula Alberti Ducis Saxoniæ.

Fridericus Dux Saxoniæ, Alberti filius, die 24. Sept. hac tranſit, iturus Senas in Italiam, literarum cauſa: in eius comitatu fuit Comes Leiſnicius, & Anargus Vuildenfelſius, Doctores Paulus Vuateus, & Henricus Scheiba.

MCCCCXCV.

Vis ventorum horrenda, quæ ædificijs & ſatis, detrimenti multum dedit XII. Cal. Auguſti. *Ventus.*

Burchardus Groſius conſul, inſpecturus lapicidinam ſupra diui Nicolai templum, cùm equo præceps de monte ruit, & moritur.

Ab hoc anno graſſatur peſtis, vſque ad finem ſeptimi & nonageſimi. *Peſtis triennij.*

MCCCCXCVI.

Inter paſtorem Grodenſem diœceſis Hanenſis, & inter Liſtium Coceritium, in inſula Eliſtri habitantem, rixa in via publica oritur, non procul ab Hana oppido. Cùm ad arma eſſet peruentum, nobilis vulneratur adeò grauiter, vt poſt dies aliquot moreretur. Cùm filij interfecti ad cauſæ cognitionem vocari, ſæpius abeſſent: delata res eſt Miſnam ad præpoſitum Afranum. In Stolpenſi carcere vltra tempus annuum detentus ſacerdos eſt, inde Mogellam ductus, præter omnem opinionem è vinculis euadit. Occiſi cognatus, qui Drebcauiæ ſedem habebat, audita illa fuga, manu nobilium collecta Vurcinam veniens Præſulem prouocat: & in vicinia vrbis caſulam ruſtici, & ouilia præſulis incendit: inde Grodenſem etiam cremat parochiam. Sed facti tandem pœnitens, gratiam Præſulis implorat & impetrat, non tamen ſine magno rei familiaris detrimento.

Nix profunda VIII. Calend. Aprilis.

Georgius Dux Saxoniæ Alberti filius XIII. Calend. Decemb. duxit vxorem Barbaram, regis Poloniæ Caſimiri filiam: nuptiæ celebrantur Lipſiæ: fuerunt ibi equitum Germanicorum & Polonicorum millia ſex, ducenti octoginta ſex.

MCCCCXCVII.

Albis exundans tribus portis vrbem introit. Secuta peſtilitas eſt. *Inundatio.*

Iohannes Præſul ædificat arcem Vurcinenſem à fundamentis.

MCCCCXCVIII.

Naſcitur IIII. Non. Febr. Volfgangus à Lutichau, qui poſtea doctor iuris, fit Canonicus Miſnenſis: cui dignitatem illam Dux Georgius vltro obtulit, quatuor alijs repulſis, qui eam ambiuerant: quam cùm annuo ſpacio finito reſignaſſet, ei ſuccedit Dietericus Tegnicius, multis ſacerdotijs ditatus: ſed antequam è camera Spirenſe veniret Miſnam ad poſſeſſionem, vitam in itinere finit. Lutichius adhuc viuit vltra ſeptuagenarium, vir egregia virtute & integritate, duodecim liberorum parens.

Diui Martini templum XVI. Cal. Aug. de cœlo tangitur, & rumpuntur campanæ. *Fulmen.*

Peſte obeunt ſeptem Canonici Afrani. Magna fuit vis aquæ, & tempeſtates incertæ. *Peſtis.*

MCCCCXCIX.

Volfgangus Georgij Ducis primogenitus, obit XII. Calend. Febr. men ſe quinto poſtquàm natus fuerat: Miſnæ ſepelitur.

Ætas,nobilitas,non rumpunt vincula mortis:
Volfgangus Princeps occidit,atque puer.

Eodem anno VII. Calend. Auguſt. Ericus Dux Brunſuigius cum Catharina vxore ſua, Ducis Alberti filia, Dreſda diſcedit, cùm ſocrum Zedenam ſalutaſſet.

Iohannes filius Duci Georgio naſcitur Dreſdæ IX. Cal. Septemb. poſt mortem tumulatur Miſnæ, vt alibi dicitur.

Hoc anno rerum omnium felix copia. Menſura vini, quam nos cantharum nominamus, empta quadrante.

Naſcitur in hac vrbe Bernardus Freidingerus, Bernardi pictoris filius III. Idus Octob. Is trium ducum Saxoniæ D. Henrici, eiuſque filiorum Electorum Secretarius, vir ſingulari fide & grauitate, adhuc in viuis eſt.

Prid. Cal. Decemb. conuentus indictus Lipſiam, ad quem Albertus Dux acceſſit è Phryſia.

Mors miſera. Die huius anni vltimo Iohannes Hofmanus vicarius, vt lictorum manus effugeret, in puteum à Vualtero quodam dictum, cùm domum contiguam intrare per putei tegumentum vellet, præceps delabitur & perit.

GEORG. FABRICII
CHEMNICENSIS
Annalium vrbis Miſnæ
LIBER III.
M. D.

Alberti Ducis mors apud exteros. ALBERTVS Dux Saxoniæ fortiſſimus (manus dextera Imperij à pontifice, Rolandus à milite Belgico cognominatus, ex Embda, vrbe Phryſiæ, prope quam in cœnobio quodam obierat, per Iohannem pincernam Tauteburgium, ad maiorum ſepulchra Miſnam defertur, Non. Sept. Concionem funebrem, de eius reb. geſtis habuit D. Iohannes Hennigius, natus in oppido Hana, vicino huic vrbi, inter Canonicos ſui temporis eruditiſſim9. Epitaphia eius varia inueni, vnum ſcripſit Conradus Vuimpina, profeſſor Lipſienſis, de laude eius bellica,

Saxoniæ Dux magnanimus, virtute vel armis,
Fridrici Auguſti tiro nepoſq; fuit.
Qui Phryſios, Flandroſq; leues, glaucoſq; Britanos,
Terribili lituo ſæpe fugauit atrox.
Extitit hic terror Gallis, acriq; Sicambro.
Eius & expauit Belgica terra iugum.
Victor ab Oceano, Zephyris luctantibus amplas
Exuuias retulit, ſignaq; capta ducum.

Victor

Victor ab aurora, proſtrauit Pannonas armis,
Regis & Vngarici ſæpè refregit opes.
Et vos ô Phryſios, ob captum triſtia natum
Ferre iubet, veſtros depopulatus agros.
Illius ad cunctas peruênit gloria terras,
Dictus & Imperij dextra fuiſſe manus.
Pro tantis meritis ingratus nil dedit orbis:
Præmia ſed nouit iuſta referre Deus.

Alterum edidit Hermannus Buſchius de virtutibus eius in pace.

Alberti ſita ſunt hic clari Principis oſſa,
Qui fuit inuictus robore, pace, fide.
Aequabat cœlum quo ſoſpite Miſna, ſupremo,
Et tetigit ſuperos vertice læta Deos.
Hoc viuente, fuit ſcelerum repreſſa facultas:
Hoc pro iuſticia Principe, pugna ſtetit.
Virtuti nunquam meritos ſubtraxit honores,
Fulſit in excelſo pax probitasq́; loco.

Tertium de incerto genere mortis, quod in vulgus emanauit, id ſcripſit Ioachimus Camerarius ſcazonte trimetro catalecto,

Nondum genus mortis meæ refertur,
Neque adhuc ſciunt populi, quid interemit.
Hic ferreum ſomnum capio ſepultus,
Albertus ille Phryſijs timendus,
Propago Martis, præliorum Enyo.
Multi putant hoſtilia obſidentem
Mœnia, trucidatum eſſe flammicrepera
Fundæ globo: multi negant ita eſſe.
Sat hoc tamen conſtat, carere vita
Albertum, ab ortu Saxonum Ducem auito,
Ne Phryſijs iam nunc quidem timendum.

Fuit per trienniu*m* ſtrages pecorum per hanc totam ditionem: infecta paſcua fuiſſe, depræhenſum eſt, & de auctoribus paſſim ſumpta ſunt ſupplicia, & in hac vrbe, & Dobela, Vurcina, Eilenbergo, alijsq́; vicinis. M D I. *Strages pecorum ex graminum infectione.*

Albis x i x. Calend. Septemb. ita ripam exceſſit, vt in foro à nundinijs appellato, lyntribus ac cymbis nauigaretur. Iugum pontis vnum è maioribus, euerſum, in quod cùm homines multi currerent, vt iugum grauarent, quatuor cum fractis ſublicibus natarunt, vſque ad cœnobium ſanctæ crucis, prope quod euaſerunt incolumes. Albis ter glacie conſtitit, eadem hyeme. *Inundatio.*

MDII.

Ameleis Alberti Ducis Saxoniæ filia, duci Bauariæ Georgio nupta, moritur Rochlicij, anno ætatis ſexto & ſexageſimo, ſepelitur in hac vrbe:

In Miſna genita, & Bauaro ſponſata marito,
Cuius defunctæ Miſna cadauer habet.
Annum vnum, & tredecim quæ vixit luſtra: ſub iſto
Ære latet corpus, ſpiritus alta tenet.

Erucæ. Initio Maij tanta copia erucarum fuit, vt horros & ſiluas nudarent folijs: in vijs ab hominibus & iumentis tererentur.

MDIII.

Raimundus. Ralmundus Card. legatus à latere, Miſnam venit, initio Ianuarij: onuſtus indulgentijs mercenarijs, à cuius famulis Lipſiæ incenſum cœnobium Paulinum. Intra menſes duos tres fuere Romani pontifices, Alexander VI. Pius III. Iulius II.

Circa feſtum Palmarum excreuit Albis, ſecuta æſtas ſicca, & hiems aſperrima, per menſes integros quatuor.

Nummos Angelicos adulterant Ebræi, falſariorum auctor Ephrem nomine, Lipſiæ crematur: ſocij eius duo fuga elabuntur.

Perduelles à Duce Georgio proſcribuntur, Georgius Gutenſteinius, & Eberhardus Brandſtenius, qui adiuti Boëmorum auxilijs diripiunt Verdam Epiſcopale oppidum. Tumultus inter ſenatum & ciues Miſnæ.

MDIIII.

Incendiarij. Incendiarij graſſati, qui putabantur ab Ebræis immiſſi.

Inſtitutum pharmacopolium in hac vrbe, diligentia ſolertis viri Caroli Leutchneri, qui filium Chriſtophorum, Doctorem medicinæ egregium, reliquit.

Fames. Ab initio Aprilis vſque ad finem Iulij menſis, nullæ pluuiæ: eam ſiccitatem ſecuta frumenti penuria. Secuta acris hiems, quæ menſes tres durauit. In profeſto natiuitatis Chriſti, tonitrua & fulmina, ſine vlla aëris perturbatione fuerunt.

Ludum prope Baſilicam rexit M. Iohannes Pellichius Citienſis, ad quem vt virum bonum & eruditum, ſic ſcribit Buſchius:

Ille mihi liber, rex ille & diues habetur,
Vti qui partis audet Amice bonis.
Ille mihi doctus, qui non vulgare docere
Nouit diſcipulos, nec triuiale, ſuos.
Hanc viramq; tibi laudem non deneget vllus,
Si modò non fallax arbiter eſſe velit.

Idem in hac vrbe ſepultus. Ei deinceps ſucceſſerunt Valentinus Hertelius, & Iacobus Breitenbachius, donec ludus in vrbem transferretur.

MDV.

Mona-

Monachus Afranus, qui vrbis paſtor erat, cùm de inſtituto Chriſti, fæmella aliqua ſacris vndis eſſet abluenda; in contemptum ſexus dicere ſolebat, ſtatim à baptiſmo in profluentem conijciendam, Geteufft vnd erſeufft. Is de ponte Albis, cùm forte proſpiceret, iuſto Dei iudicio decidens, ſubmergitur. *Pœna leuitatis.*

Tempeſtas imbrium & fulminum maxima, IIII. Idus Auguſti.

M D V I.

Mulier flagrans appetentia illa vicioſa, qua prægnantes affici ſolent, adoleſcente viſo, qui cruribus nudis in publico ſtabat (quod faciunt apud nos pannorum confectores) crura eius morſu inuadit: quòd cùm tuliſſet bis, & tertiò negatet, paulò pòſt trigeminos illa edidit: priores duos ſanos & valentes, tertium in vtero extinctum. Hoc in commentarijs Simonis Piſtorij, viri præſtantis, legi, cui Medicus in aula Saxonica fuit.

Graſſante per omnem Miſniam peſte, hæ vrbes à lue immunes fuerunt, Pirna, Dreſda, Miſna, Fribergum.

M D V I I.

Peſte quatuor menſium obierunt homines quingenti. Vilitas annonæ, modius frumenti emptus groſſis noſtratibus quinque, hordei ſex, auenæ tribus, ita vt cultura agrorum pluris conſtatet, quàm prouentus fructuum eſſet æſtimandus. *Vilitas.*

M D V I I I.

Iohannes VI. Præſul aditus difficiles habuit ad dignitatem, & in initio muneris præcipuos aduerſarios, ſacerdotes Budiſſinenſes & Miſnenſes, ita vt illa conſpirationi ſimilis aduerſatio videretur: accuſatus Romæ, non ceſſit potentiæ, quia iure erat ſuperior: & quia magis dignitati diœceſis, & officij ſui ſtudebat, quam aliorum ſeruiebat cupiditatibus, victor partis vtriuſque extitit. Acceſſit poſtea vexatio ab exteris: nam indulgentiarij Liuonienſes Romæ literis ab Alexandro & Iulio Pont. impetratis, ſuas merces exponere cupiebant in eius vrbibus, nomine & authoritate antiſtitis Magdeburgij: hoc ille planè reijciebat, & ſuæ Eccleſiæ Ingenuæ obijciebat libertatem: ideo ab omnibus locis ſuæ diœceſis illos pugiuendas ſeueritate arcuit: & cauſam tandem obtinuit apud Iulium II. Aduerſarius eius erat Chriſtianus Baumhauer, quaſi dicas, arborum cæſor aut euerſor, qui ex illis indulgentijs pecuniam faciebat, adhibitis duob. impoſtoribus Philippo Scitpio, & Hermano quodam Sacerdote Hildeshemio. Vix defunctus erat hoc negotio, ecce illi bellum imminebat à nobilitate: cuius multitudinis duces erant Alexander comes Leiſnitius, & Iohannes Kitlizins: item Coceritij, familia antiqua & fortis. Accedebat direptio Verdæ epiſcopalis, oppidi ſatis lauti, à quodam Gutenſtenio Boëmo facta: ad id recuperandum miſit Georgium Angerum præfectum Dreſdenſem, Georgius dux Saxoniæ: cuius prudentia ſunt res compoſitæ, ſed ſine recompenſatione ſumptuum. In tot ſimultatibus & turbis Præſul ſagacitate & animi robore hoſtes ſuperabat: nec erat in ſuo munere non maximè induſtrius. In ſuperſtitionem ſuorum temporum ſæpe iocabatur. Dixit aliquando, ſi ſacra Biblia lego, aliam inuenio reli- *Præſul ſtrenuus.*

 gionem,

MDII.

Ameleis Alberti Ducis Saxoniæ filia, duci Bauariæ Georgio nupta, moritur Rochlicij, anno ætatis ſexto & ſexageſimo, ſepelitur in hac vrbe:

Jn Miſna genita, & Bauaro ſponſata marito,
Cuius defunctæ Miſna cadauer habet.
Annum vnum, & tredecim quæ vixit luſtra: ſub iſto
Ære latet corpus, ſpiritus alta tenet.

Erucæ. Initio Maij tanta copia erucarum fuit, vt hortos & ſiluas nudarent folijs: in vijs ab hominibus & iumentis tererentur.

MDIII.

Raimundus. Raimundus Card. legatus à latere, Miſnam venit, initio Ianuarij: onuſtus indulgentijs mercenarijs, à cuius famulis Lipſiæ incenſum cœnobium Paulinum. Intra menſes duos tres fuere Romani pontifices, Alexander VI. Pius III. Iulius II.

Circa feſtum Palmarum excreuit Albis, ſecuta æſtas ſicca, & hiems aſperrima, per menſes integros quatuor.

Nummos Angelicos adulterant Ebræi, falſariorum auctor Ephrem nomine, Lipſiæ crematur: ſocij eius duo fuga elabuntur.

Perduelles à Duce Georgio proſcribuntur, Georgius Gutenſteinius, & Eberhardus Brandſtenius, qui adiuti Boëmorum auxilijs diripiunt Verdam Epiſcopale oppidum. Tumultus inter ſenatum & ciues Miſnæ.

MDIIII.

Incendiarij. Incendiarij graſſati, qui putabantur ab Ebræis immiſſi.

Inſtitutum pharmacopolium in hac vrbe, diligentia ſolertis viri Caroli Leuſchneri, qui filium Chriſtophorum, Doctorem medicinæ egregium, reliquit.

Fames. Ab initio Aprilis vſque ad finem Iulij menſis, nullæ pluuiæ: eam ſiccitatem ſecuta frumenti penuria. Secuta aeris hiems, quæ menſes tres durauit. In profeſto natiuitatis Chriſti, tonitrua & fulmina, ſine vlla aëris perturbatione fuerunt.

Ludum prope Baſilicam rexit M. Iohannes Pellichius Citienſis, ad quem vt virum bonum & eruditum, ſic ſcribit Buſchius:

Jlle mihi liber, rex ille & diues habetur,
Vti qui partis audet Amice bonis.
Ille mihi doctus, qui non vulgare docere
Nouit diſcipulos, nec triuiale, ſuos.
Hanc vtramq; tibi laudem non deneget vllus,
Si modo non fallax arbiter eſſe velit.

Idem in hac vrbe ſepultus. Ei deinceps ſucceſſerunt Valentinus Hertelius, & Iacobus Breitenbachius, donec ludus in vrbem transferretur.

MDV.

Mona-

Monachus Afranus, qui vrbis paſtor erat, cùm de inſtituto Chriſti, fœmella aliqua ſacris vndis eſſet abluenda, in contemptum ſexus dicere ſolebat, ſtatim à baptiſmo in profluentem conijciendam, Geteufft vnd erſeufft. Is de ponte Albis, cùm forte proſpiceret, iuſto Dei iudicio decidens, ſubmergitur. *Pœna leuitatis.*

Tempeſtas imbrium & fulminum maxima, IIII. Idus Auguſti.

MDVI.

Mulier flagrans appetentia illa vicioſa, qua prægnantes affici ſolent, adoleſcente viſo, qui cruribus nudis in publico ſtabat (quod faciunt apud nos pannorum confectores) crura eius morſu inuadit: quòd cùm tuliſſet bis, & tertiò negaret, paulò pòſt trigeminos illa edidit: priores duos ſanos & valentes, tertium in vtero extinctum. Hoc in commentarijs Simonis Piſtorij, viri præſtantis, legi, cui Medicus in aula Saxonica fuit.

Graſſante per omnem Miſniam peſte, hæ vrbes à lue immunes fuerunt, Pirna, Dreſda, Miſna, Fribergum.

MDVII.

Peſte quatuor menſium obierunt homines quingenti. Vilitas annonæ, modius frumenti emptus groſſis noſtratibus quinque, hordei ſex, auenæ tribus, ita vt cultura agrorum pluris conſtaret, quàm prouentus fructuum eſſet æſtimandus. *Vilitas.*

MDVIII.

Iohannes VI. Præſul aditus difficiles habuit ad dignitatem, & in initio muneris præcipuos aduerſarios, ſacerdotes Budiſſinenſes & Miſnenſes, ita vt illa conſpirationi ſimilis aduerſatio videretur: accuſatus Romæ, non ceſſit potentiæ, quia iure erat ſuperior: & quia magis dignitati diœceſis, & officij ſui ſtudebat, quam aliorum ſeruiebat cupiditatibus, victor panis vtriuſque extitit. Acceſſit poſtea vexatio ab exteris: nam indulgentiarij Liuonienſes Romæ literis ab Alexandro & Iulio Pont. impetratis, ſuas merces exponere cupiebant in eius vrbibus, nomine & auctoritate antiſtitis Magdeburgij: hoc ille planè reijciebat, & ſuæ Eccleſiæ Ingenuæ obijciebat libertatem: ideo ab omnibus locis ſuæ diœceſis illos pugiuendas ſeueritate arcuit: & cauſam tandem obtinuit apud Iulium II. Aduerſarius eius erat Chriſtianus Baumhauer, quaſi dicas, arborum cæſor aut euerſor, qui ex illis indulgentijs pecuniam faciebat, adhibitis duob. impoſtoribus Philippo Scirpio, & Hermano quodam Sacerdote Hildeshemio. Vix defunctus erat hoc negotio, ecce illi bellum imminebat à nobilitate: cuius multitudinis duces erant Alexander comes Leiſnitius, & Iohannes Kitlizius: item Coceritij, familia antiqua & fortis. Accedebat direptio Verdæ epiſcopalis, oppidi ſatis lauti, à quodam Gutenſtenio Boëmo facta: ad id recuperandum miſit Georgium Angerum præfectum Dreſdenſem, Georgius dux Saxoniæ: cuius prudentia ſunt res compoſitæ, ſed ſine recompenſatione ſumptuum. In tot ſimultatibus & turbis Præſul ſagacitate & animi robore hoſtes ſuperabat: nec erat in ſuo munere non maximè induſtrius. In ſuperſtitionem ſuorum temporum ſæpe iocabatur. Dixit aliquando, ſi ſacra Biblia lego, aliam inuenio reli- *Præſul ſeuerus.*

 gionem,

gionem, quàm quæ noſtra hodie eſt: & illam noſtris moribus & inſtitutis valde diſſimilem. *Tecelius.* Cùm videret multitudinem Iohanni Tecelio Dominicano, Theologiæ initiato, & impoſtori aſtuto numerantem pro indulgentijs pecuniam; O cæcam plebem, ait, quæ mittit pecuniam in eam *Indulgentiæ.* ciſtam, ad quam reſerandam, clauem non habet. Dixit de eodem Tecelio, ipſum fore indulgentiarum inſtitorem vltimum, quòd nimia eſſet impudentia & temeritate præditus. Cùm ſubijceret ei Canonicus eruditus, Tecel lingua Turcica ſignificare diabolum, effuſe riſit, ſed verbum *Delectus ciborum.* nullum addidit. Georgium Frichenhuſium Dominicanum Lipſienſem, contra bullam, de eſu butyri concionantē defendit, & pro eo contra Canonicos Fribergios liberam tulit ſententiam. nam quòd Romæ palàm & impunè per totum anni tempus venditur; id Germanis ſine ære permittere, aut ſine pœna edere, non licebat. Cùm monachum videret, dicebat, nullum animal au[d]acius eſſe eo, quod è cucullo proſpiceret. In eius menſa nullum eſſe monachum viſum, non leues homines mihi affirmarunt. Sacerdotum mores egere correctione, & licentiam vitæ eorum nimis longè progreſſam, conſtanter profitebatur. *Dedicatio templorum. Miſſa.* Dedicationem quorundam templorum aut diſſuaſit, aut quoad potuit, diſtulit, cùm videret vltra modum ſuperſtitiones venales creſcere. De fundatione ſacri perpetui, quod Miſſam nominant, adhibitus in conſilium, reſpondit, pulcherrimum quidem in equo; oculos eſſe membrum, & id ad decorem ſpectare præcipuè: ſed ſi totum equi corpus nihil eſſet, præter oculos, id ipſum, quod ornamento fuerat, iam futurum prodigio: indicare volens, minuenda potius, quàm augenda ſacra nummaria. Iohannem Pfennigium Theologum Erfurdianum, qui habitum religioſum mutauerat, Fretenſem ſuffraganeum, in Annebergo paſtorem, annos ſex Vurcinæ & Stolpenæ tenuit vinctum, qui in carcere, lumine non cuſtodito, ſtrami[n]e ardente fumo ſuffocatur. Eius temporibus Dux Georgius cœnobium *Cœnobiorum ſtructura.* in Annebergo, & aliud in Rupe Regia, altiſſima ad Albim ſpecula fundabat: de quibus cùm fortè Præſulem rogaret ſententiam, ei reſpondit: Illud vix duraturum, propter fumum è coctione metallorum: hoc verò propter auram Boëmicam Huſſiticam breui interiturum: quod Præſul ioco dicens, diuinator fuit: nam rupis Regiæ cœnobium, viuente adhuc principe deſe[r]uabatur. Erat hic Præſul miræ ſeueritatis & continentiæ, & ad rem familiarem attentiſſimus: reditus auxit, ædificia omnibus in locis reparauit, idq; cùm Vurcinæ faceret, inuentis ibidem duabus lapidicinis, gaudio exilijt, & illi vrbi impenſè commodauit. Simone Tauſchio præpoſito Afrano, loco ſuffraganei vſus eſt.

Eodem Anno Non. Auguſti fluuius Trebiſa imbribus auctus, horrea & fullonias ſuſtulit, quotquot in ripa fuerunt.

Hoc anno renouatur porta Lomacenſis, quæ ſiniſtra Fribergum, dextera ducit Lipſiam.

Andreas Crellius Decanus Fribergius, animi cauſa in hanc vrbem veniens, moritur III. Id. Auguſti.

Genus mortis dirum. Eodem anno Cal. Decemb. Georgium Schleinicium, Henrici Marſchalli fratrem, Georgius Kera Francus Dreſdæ interficit, qui die tertio in hac vrbe ſepelitur. Hoc tradit Sarctorius. In tumuli lapide ſcriptum eſt, quòd imprudentia ſe ipſe cultro læſerit, & ſit mortuus.

M D I X.

Aeſtas

Aeſtas valde ſicca, Albis in locis multis vadoſus. Contentio inter Canonicos Brixinenſes & Miſnenſes, alentibus ambitione diſcordiam Melchiore Meca, & Iohanne Schleinicio, vtriuſque loci Præſulibus: qui tota vita inter ſe diſſenſerunt. *Ambitio.*

MDX.

Zedena Georgij regis Boëmiæ filia, Alberti Ducis Saxoniæ vxor, obit Cal. Febr. Sepelitur hîc ad latus mariti, cui tale fecimus epitaphium:

Zedena Boiemo de ſanguine nata, ducisq́,
Saxoniæ coniunx intemerata fuit.
Candida ſimplicitas, & morum pulchra venuſtas,
Ornatu reliquo pulchra fuere magis.
Arce Torantana moritur, Miſnenſe quieſcit,
Quæ matronarum ſplendida gemma fuit.

Naſcitur VII. Idus Nouemb. Leonhardus Sigiſmundi F. Badehornus Iureconſultus, qui Patauij à Socino, Alexandrino, Malmignato iura didicit, & cum Volfgango Collaro ab Electore Saxoniæ D. Mauricio ad ſynodum Tridentinam miſſus eſt, in qua contra Pontificios perorauit: hoc tempore conſul Lipſienſis, & aſſeſſor Ducalis Iudicij, doctrina & auctoritate ornariſſimus.

Extruitur porta Albina & turris, in aditu pontis.

Dux Fridericus Alberti filius, hydrope extinguitur Rochlicij, XIII. Cal. Decemb. anno ætatis ſeptimo & trigeſimo, & ad maiorum tumulos Miſnam defertur. Fuit ordinis Boruſſiaci princeps magiſter, numero tertius & trigeſimus. Armis regis Poloniæ Alexandri preſſus, poſt annum duodecimum ſuæ gubernationis, cùm imperij viribus deſtitueretur, maluit ducatum & præmia ampla relinquere, quàm regi extero iureiurando ſe obligare. Ei ſuccedit Albertus Brandeburgius primus Dux Boruſſiæ. Adoleſcens literis operam dedit vrbe Senis in Hetruria, in qua præceptorem ſuum ſepeliuit. *Fuga dignitatis.*

Ornauit ſtudijs quem docta Hetruria pulchris,
Frugiferos Blandus quà fluit inter agros:
Inde Boruſsiacas peruenit rector ad vrbes,
Teutonicæ capiens cingula militiæ.
Tradere ſed renuens ſuo ſua iura Polono,
Exilij patriam deligit ipſe locum,
Quodq́ putant felix, maiorum ad buſta quieſcit,
Poſt ſeptem vitæ luſtra peracta ſuæ.

MDXI.

Iohannes Fauſtulus ciuis de ponte Albis in pilam ſaliens, gladio quo accinctus erat, in pilam offenſo, præcipitatur & perit. Inuentus poſt diem decimum, in Franciſcano ſepelitur. *Mors inopina.*

Eodem anno pontis iugum maximum, à Nicolao quodam fabro Zuiccauienſe abſolutum eſt, menſe Septembri. Hiems aſpera & niuoſa.

MDXII.

Ditericus Schleinicius Eq. & aulæ magiſter, obit menſe Ianuario, ſepultus in templo Afrano.

Eodem anno Cal. Maij, cum ſenatus in curiam eiues congregaſſet meridie, fœmina quædam mentis alienatæ, domum ſuam incendit: crematæ balneæ, & domus aliquot in foro, à fœminis nominato.

Contra blaſphemos & ebrios. In comitijs Trenirenſibus, atque item Colonienſibus, edita Imperatoris mandata ſunt, contra blaſphemos & ebrios, quæ etiam promulgantur in hac vrbe.

MDXIII.

Fames. Alio incendio cremantur domus quinque. Fuit eodem anno caritas annonæ.

Albis ter glacias. Albis ter glacie conſtitit, in fine Nouembris, item Decembris, & in initio Februarij.

MDXIIII.

Natus in hac vrbe eſt VIII. Calend. Iulij, vir venerabilis Iohannes Baumgartnerus, Sigiſmundi Piſtoris filius: qui nunc docet Magdeburgi, paſtor ad ſanctum ſpiritum multis annis.

Felicitas. Thamum oppidum Phryſiæ, Nonis Auguſti captum à Miſnenſibus.

Eodem die ante annos tres & nonaginta vicerunt ijdem ad Bruxlam hoſtes ſuos in Boëmia.

MDXV.

Iohannis Munſterbergij Chronicum finit, qui vixit in cœnobio Chemnicenſi, extra vrbem.

MDXVI.

Furis fuga. Res ridicula accidit menſe Nouembri. nam cùm lata eſſet in hominem nocentem gladij ſententia, tùm monachus abiret, cui fuerat confeſſus, ſe poſt oſtium abdit. Veniente iuſticiæ miniſtro, reus clàm exit, & poſt ſe claudit ianuam, quæ antequam aperiretur, & carnifex liberaretur: nulli inueniendus, incolumis aufugerat.

MDXVII.

Egregius D. Vilhelmus de Betſchitz V. I. Doctor Miſnenſis & Numburganæ Eccleſiæ Canonicus, Illuſtriſs. Principum D. D. Friderici Rom. imperij Mareſchalli, Principis & Electoris, D. Iohannis fratris, Ducum Saxoniæ conſiliarius, diem clauſit ſupremum. Cui parens Nicolaus de Betſchitz, mater vero Anna de Sebirzſchen ſiue Groſſen, ſed auia paterna de progenie Naptitz fuere. Cuius animam miſeri Deus ad æternam beatitudinem dignetur collocare. Hæc in ſummo templo inſcriptio tumuli eſt.

Aues ignotæ. Genus quoddam auium ignotum volauit gregatim magnitudine hirundinis, tergo & ventre puniceum, corpore reliquo nigrum, ab hirundine tantùm differens roſtri longitudine, inimicum apibus & minutis piſciculis. E dolore capitis & febribus ardentib. multi ſunt eo anno extincti.

Eodem

Eodem anno Egidius Miſnerus naſcitur VIII. Id. Sept. nunc ſenatui Hanenſi à libellis, vir doctus & prudens, Caſparis Borneri in eadem vrbe nati, Doctoris Theologiæ, aliquando diſcipulus & amanuenſis.

MDXVIII.

Hiemis rigor durauit à die vinculorum Petri vſque ad mediam quadrageſimam.

Henricus Schleinicius, Georgij Ducis Saxoniæ Mariſchallus, cognomento Cæcus, XIX. Calend. Febr. moritur Miſnæ, in domo filij ſui Ernesti, Miſnenſis & Pragenſis præpoſiti. Sepelitur in cœnobio Veterocellenſe. Hic cum Henrico duce Saxoniæ magnas contentiones ſuſtinuit.

Iohannes Præſul VI. obit IIII. Idus Aprilis, ſepelitur Vurcinæ, anno præſulatus primo & trigeſimo: eius tumbam diruit Eraſmus Spigelius. In eius locum cooptatur Iohannes VII. de Schleiniciorum familia, qui ſedem Rageuitij habent. Eius competitores fuerunt Euſtachius Comes Leiſnicius, & Nicolaus Heinicius Iureconſultus & Ducis Saxoniæ Georgij conſiliarius. Infulam pedumq; accepit Mersburgi. Sororem Euphemiam mittit in cœnobium Fribergium, è voto matris. Obit legationem nomine Ducis in Poloniam. Ad opprimendos Lutheranos nulli ſumptui pepercit aut labori. nam totius ditionis Eccleſias ipſe inſpexit, & Romam ad diplomata impetranda iter ſuſcepit: eſtq; plurimùm vſus auctoritate & opera Nicolai Schonbergii Cardinalis, & Caroli Miltitij ſecretarij Pontificij, qui tum gratia ſingulari apud Leonem X. & poſtea apud Clementem VII. valebant. Defenſores Pontificis Emſerum, Cochlæum, Amnicolam, Pliccium, Siluium, Alueldium fouit atque adiuuit. Coadiutorem ſibi eligit anno præſulatus ſexto decimo, Iohannem Malticium, cum quo Romam profectus, animo ætatem illic peragendi, quòd coniunctiſſimum haberet Cardinalem Schonbergium conſobrinum ſuum: ſed voto fruſtratus eſt, mortuo videlicet Clemente VII. apud quem ſe gratioſum fore, amicorum patrocinio, ſperauerat. Reuerſus in Germaniam, præſulatum, quoad viuit, retinet. *Iohannes VII. Præſul.*

MDXIX.

Academia Lipſienſis propter peſtem in hanc vrbem transfertur. Petrus Moſellanus profeſſor primarius habitauit domum Martini Lochauij abbatis Veterocellenſis, in quo otio in linguam Latinam vertit libros quinq; Gregorij Nazianzeni De Theologia. Eadem domus dicata ludo illuſtri, quam ego habito nunc annos vndecim. *Petrus Moſellanus.*

Vrbi præfectus fuit Georgius Porta, vir nobilis & prudens.

Obit hîc eodem anno Doctor Magnus, de familia Saxonica Canum, profeſſor Lipſienſis, qui ſæpe hoc dicto vſus fertur: Inter ſeculares nugæ, ſunt nugæ: ſed inter ſacerdotes, nugæ ſunt blaſphemiæ. Fuit in illo viro nihil non ad ſeueritatem compoſitum. Cui Comeander tale fecit Epitaphium.

Si dubitas ſaxum gradiens hàc forte viator
Quid premat: En diſces grammata noſtra legens.
Hic habitat Magni docti miſerabile corpus,
Crudelis fati noxia iuſſa luens.

 Hic

MDXII.

Ditericus Schleinicius Eq. & aulæ magiſter, obit menſe Ianuario, ſepultus in templo Afrano.

Eodem anno Cal. Maij, cum ſenatus in curiam ciues congregaſſet meridie, fœmina quædam mentis alienatæ, domum ſuam incendit: crematæ balneæ, & domus aliquot in foro, à fœminis nominato.

Contra blaſphemos & ebrios. In comitijs Treuirenſibus, atque item Colonienſibus, edita Imperatoris mandata ſunt, contra blaſphemos & ebrios, quæ etiam promulgantur in hac vrbe.

MDXIII.

Fames. Alio incendio cremantur domus quinque. Fuit eodem anno caritas annonæ.

Albis ter glaciat. Albis ter glacie conſtitit, In fine Nouembris, item Decembris, & in initio Februarij.

MDXIIII.

Natus in hac vrbe eſt VIII. Calend. Iulij, vir venerabilis Iohannes Baumgartnerus, Sigiſmundi Piſtoris filius: qui nunc docet Magdeburgi, paſtor ad ſanctum ſpiritum multis annis.

Felicitas. Thamum oppidum Phryſiæ, Nonis Auguſti captum à Miſnenſibus.

Eodem die ante annos tres & nonaginta vicerunt ijdem ad Bruxiam hoſtes ſuos in Boëmia.

MDXV.

Iohannis Munſterbergij Chronicum finit, qui vixit in cœnobio Chemnicenſi, extra vrbem.

MDXVI.

Furis fuga. Res ridicula accidit menſe Nouembri. nam cùm lata eſſet in hominem nocentem gladij ſententia, tùm monachus abiret, cui fuerat confeſſus, ſe poſt oſtium abdit. Veniente iuſticiæ miniſtro, reus clàm exit, & poſt ſe claudit ianuam, quæ antequam aperiretur, & carnifex liberaretur: nulli inueniendus, incolumis aufugerat.

MDXVII.

Egregius D. Vilhelmus de Betſchitz V. I. Doctor Miſnenſis & Numburganæ Eccleſiæ Canonicus, Illuſtriſs. Principum D. D. Friderici Rom. imperij Mareſchalli, Principis & Electoris, D. Iohannis fratris, Ducum Saxoniæ conſiliarius, diem clauſit ſupremum. Cui parens Nicolaus de Betſchitz, mater vero Anna de Sebitzſchen ſiue Groſſen, ſed auia paterna de progenie Naptitz fuere. Cuius animam miſeri Deus ad æternam beatitudinem dignetur collocare. Hæc in ſummo templo inſcriptio tumuli eſt.

Auis ignota. Genus quoddam auium ignotum volauit gregatim magnitudine hirundinis, tergo & ventre puniceum, corpore reliquo nigrum, ab hirundine tantùm differens roſtri longitudine, inimicum apibus & minutis piſciculis. E dolore capitis & febribus ardentib. multi ſunt eo anno extincti.

Eodem

Eodem anno Egidius Miſnerus naſcitur VIII. Id. Sept. nunc ſenatui Hanenſi à libellis, vir doctus & prudens, Caſparis Borneri in eadem vrbe nati, Doctoris Theologiæ, aliquando diſcipulus & amanuenſis.

MDXVIII.

Hiemis rigor durauit à die vinculorum Petri vſque ad mediam quadrageſimam.

Henricus Schleinicius, Georgij Ducis Saxoniæ Marſchallus, cognomento Cæcus, XIX. Calend. Febr. moritur Miſnæ, in domo filij ſui Erneſti, Miſnenſis & Pragenſis præpoſiti. Sepelitur in cœnobio Veterocellenſe. Hic cum Henrico duce Saxoniæ magnas contentiones ſuſtinuit.

Iohannes Præſul VI. obit IIII. Idus Aprilis, ſepelitur Vurcinæ, anno præſulatus primo & trigeſimo: eius tumbam diruit Eraſmus Spigelius. In eius locum cooptatur Iohannes VII. de Schleiniciotum familia, qui ſedem Rageuitij habent. Eius competitores fuerunt Euſtachius Comes Leiſnicius, & Nicolaus Heinicius Iureconſultus & Ducis Saxoniæ Georgij conſiliarius. Infulam pedumq; accepit Mersburgi. Sororem Euphemiam mittit in cœnobium Fribergium, è voto matris. Obit legationem nomine Ducis in Poloniam. Ad opprimendos Lutheranos nulli ſumptui pepercit aut labori, nam totius ditionis Eccleſias ipſe inſpexit, & Romam ad diplomata impetranda iter ſuſcepit: eſtq; plurimùm vſus auctoritate & opera Nicolai Schonbergii Cardinalis, & Caroli Miltiteij ſecretarij Pontificij, qui tum gratia ſingulari apud Leonem X. & poſtea apud Clementem VII. valebant. Defenſores Pontificis Emſerum, Cochlæum, Amnicolam, Pliceium, Siluium, Alueldium fouit atque adiuuit. Coadiutorem ſibi eligit anno præſulatus ſexto decimo, Iohannem Malticium, cum quo Romam profectus, animo ætatem illic peragendi, quòd coniunctiſſimum habetet Cardinalem Schonbergium conſobrinum ſuum: ſed voto fruſtratus eſt, mortuo videlicet Clemente VII. apud quem ſe gratiôſum fore, amicorum patrocinio, ſperauerat. Reuerſus in Germaniam, præſulatum, quoad viuit, retinet. *Iohannes VII. Præſul.*

MDXIX.

Academia Lipſienſis propter peſtem in hanc vrbem transfertur. Petrus Moſellanus profeſſor primarius habitauit domum Martini Lochauij abbatis Veterocellenſis, in quo otio in linguam Latinam vertit libros quinq; Gregorij Nazianzeni De Theologia. Eadem domus dicata ludo illuſtri, quam ego habito nunc annos vndecim. *Petrus Moſellanus.*

Vrbi præfectus fuit Georgius Porta, vir nobilis & prudens.

Obit hîc eodem anno Doctor Magnus, de familia Saxonica Canum, profeſſor Lipſienſis, qui ſæpe hoc dicto vſus fertur: Inter ſeculares nugæ, ſunt nugæ: ſed inter ſacerdotes, nugæ ſunt blaſphemiæ. Fuit in illo viro nihil non ad ſeueritatem compoſitum. Cui Comeander tale fecit Epitaphium.

Si dubitas ſaxum gradiens hàc forte viator
Quid premat: En diſces grammata noſtra legens.
Hic habitat Magni docti miſerabile corpus,
Crudelis fati noxia iuſſa luens.

Ggg 5 *Hic*

Hic ille eſt, fermè toto qui claruit orbe:
Credo equidem magna Pallade doctus erat.
Multijugas tenuit arteis altosq; Theoſis
Senſus, doctrinaq; quicquid & orbis habet.
Hic Sophiæ primùm, ſed poſt vbi mollior ætas
Grandeſcit, nugis grandius optat opus.
Nititur hic vero, vanoq; obnititur omni:
Vixq; ſuis vnquam fabula miſta iocis.
Huic ſcelus arcenti, veluti latratibus, olim
E canis ex vero nomine nomen erat:
Vtq; canis rapido nocturnos gutture fures
Jnclamat, cœptum ne peragatur opus:
Sic homines inter quondam dum, Magne, fuiſti
Omne nefas ingens tollere cura fuit.
Hunc igitur mœſti pueri lugete ſenesq;,
Et quis præcipuè docta Thalia fauet.
Plangite pallentes mutata veſte ſorores
Caſtalides: pulchram vellite fronte comam:
Rumpite nunc, aut arte decus nunc fallite veſtrum:
Mœſticiam tantam non decet iſte decor.
Præterea ſalui cur ſtant tibi vertice crines,
Qui ludis Magni triſtia fata tui?
Vellere quid ceſſas fluitantes ore capillos,
Atq; genas rapida dilaniare manu?
Si fuit in fatis, crudelia fata vocabo,
Ante diem tantum quòd rapuere virum
Sed tamen humana non raro fallimur arte:
Proh dolor, ingenium funera mille docent.
Quicquid id eſt, homines Deus aut hoc vulnere donat,
Magne mihi quondam ſpesq; decusq; iaces.
Quocircà mecum legis hæc quicunq; viator:
Fac, Magni, dicas, molliter oſſa cubent.
At pater æthereum votis det Jupiter arcem:
Spiritus exſuperans regna beata ferat.
Si tamen & magni Patriam quis fortè requirat:
Ambiguum non eſt, Parthenopæus erat.

Incendia hoc anno Vurcinæ, Lipſiæ, Olſnicij, excitata.

Hiems pluuioſa & calida vſque ad VIII. Cal. Martij fuit: inde niuibus & gelu rigidior, vſq; ad Menſem Maium.

Naſcitur Iohannes Bretſchneider, prid. Non. Maij ſcriba Mariebergenſis, vir honeſtus atq; prouidus.

MDXXI.

Naſcitur die profeſto Chriſti aſcenſionis, Chriſtophorus Caroli F. Leuſchnerus, Medicinæ Doctor, qui in patria artem iam exercet, prudentia & fidelitate eximius, & propter humanitatem & ſuauitatem omnibus gratiſſimus.

MDXXII.

Abbas Martinus Veterocellenſis, vſus in hac vrbe medicorum opera, cùm morbus auctior indies fieret, ad ſuos ✠latus moritur, menſe Martio.

MDXXIII.

Naſcitur VII. Id. Martij, Petrus Stolcerus, qui viuit honoratus in aula comitum Manſueldiorum, literarum & linguarum externarum peritus.

Hugoldus Schleinicius vir grauiſſimus, obit apoplexia IIII. Cal. Octob. in agro Borſenitio, de finibus arbiter adhibitus: huc transfertur ad maiorum tumulos.

Molendina propter ſiccitatem ceſſant æſtate, & eadem propter violentiam fluuiorum rumpuntur hieme. *Inundatio.*

MDXXIIII.

Die Penteceoſtes frigore corrupta vinea, & in aquis ſtatiuis concreta glacies. *Frigora.*

Benno Præſul Miſnenſis, ordine decimus, poſt mortem ſuam, anno quadringenteſimo decimo ſeptimò, ab Hadriano VI. numero Diuorum aſſcribitur, cum quodam Antonino Florentino Antiſtite: vt teſtatur Lilius Gregorius Gyraldus, in libello de ſepulchris, quem Carolo Miltitio, in huius vrbis vicinia nato, inſcripſit. Acta hæc res multos annos Romæ prius, quàm confecta. Miſſi ſunt à Georgio legati Cæſar Pflugius, & Iohannes Vuerterus ambo Equ. A Friderico III. Electore Georgius Pontanus Iur. & Fabianus Felicius, & Hugoldus Einſidelius Eq. Procuratores fuerunt in curia Pontificis, D. Iohannes Henningus, & Iacobus Gertouicius. Oſſa Bennonis more ſolenni effoſſa, & ſublata in tumbam marmoream ophitinam ſunt, XVI. Cal. Iun. die poſtfeſto diui Viti. Præſentes aderant, Iohannes Miſnenſis & Adolphus Merſburgius Præſules: Georgius & Henricus Duces Saxoniæ: Georgij filij Iohannes & Fridericus: Henrici filij, Mauricius & Seuerinus. E comitibus, Manſueldius, Leiſnicius, Barbienſis, cum plurima nobilitate. Alijs religioni res fuit, alijs ioco & riſui. Vrbi tum præfectus fuit Erneſtus Miltitius. *Bennonis apotheoſis.*

In aula Iohannis Illuſtriſs. Saxoniæ Electoris egit conſiliarium hoc tempore Iohannes Schuertfegerus Iuris licentiatus, Nicolai coſ. Miſnenſis filius, integritate & prudentia vir præſtans. Cui vir clariſs. Philip. Melanchthon inſcripſit primos libellos Dialecticos, eiq; ſuauitatem morum ac ingenij dexteritatem tribuit.

Poſt

Inundatio. Poſt natalem Domini magna Albis inundatio.

Priſca Eiſenbergia Halenſis, abbatiſſa ad ſanctam crucem obit, in cœnobio Stamſiano Ciſtertienſium: in quo etiam conditur Sigiſmundus Dux Auſtriæ, cum vxore ſua prima.

MDXXV.

Trium puellarum interitus. Menſe Maio tres puellæ ruſticæ, in fundo alieno, Iacobi Loſi, paſtoris Zeilenſis, gramina metentes, ab ipſo fundi domino inde fugantur, gladio nudato eas perſequente: ſed ipſæ cùm à vado, per quod venerant, terrore aberrarant, in piſcina vicina miſerè pereunt: extractæ inde iunctis inuicem brachijs inueniuntur, cùm altera ſubleuare alteram, & ſeruare voluiſſet.

Sicca æſtas, bonus vini prouentus. Agreſtium tumultus.

Ciuis falſarius, qui arma ſagittarijs parabat, quòd monetam adulterinam cudiſſet, rogo imponitur.

Naſcitur Volfgangus Eilenburgius, die vltimo Octob. qui ludum ſenatorium gubernat doctrina & exemplo, annos iam vnum & viginti.

Georgius Spindlerus in hac vrbe natus, ex Afrano diſcedit, meliori & certiori religioni deditus: & Dummicij in electoratu fit paſtor.

XI. Septemb. natus eſt Iohannes Georgius Marchio Brandeburgenſis & Elector.

MDXXVII.

Canonicus eruditus & præſtans. Obit Decanus Miſnenſis D. Iohannes Henigius III. Id. April. cui Hana oppidum, duobus hinc diſſitum milliaribus, vt dictum eſt, patria fuit: quæ etiam, patria Caſpari Borneri Theologi, qui longo tempore Lipſiæ floruit, optimè de Academia, & de me quoque priuatim meritus, dum ei collega eſſem. Ad Henigij Decani tumulum hæc verba aliquando vidi aſſcripta.

Aue pater, rex creator,
Aue fili, lux ſeruator,
Aue pax & charitas:
Aue ſimplex, aue trine,
Aue regnans ſine fine,
Vna ſumma trinitas.

Aluit Lipſiæ Ambroſium Franciſcum ſuis ſumptibus, poſtea ludi Schnebergij magiſtrum, & ibidem rationum publicarum metallicarum ſcribam, qui adhuc in viuis eſt, ſenex optimus, doctrinaq; & innocentia vitæ venerabilis.

Naſcitur Burchardus Reichius IIII. Idus Octobris, nunc ſcriba ſupremus ſenatus Dreſdenſis.

Certamen propoſitum fuit certantibus ſagittis. Cùm de more ciues è multis vrbibus euocarentur, intererant animi gratia duces fratres Georgius & Henricus: præmium fuit Bos, precio quinque & viginti aureorum. Id obtinuerunt ciues Torgani: qui cùm ſuum præmium ducerent, Bene illis vertat, inquit Dux Georgius, modò in quadrageſima ne mactent atque comedant: nam id ipſe dignum piaculo exiſtimabat.

Eodem

Eodem anno Prid. Calend. Decemb. naſcitur Andreas Mylius, Illuſtri Duci Iohanni Alberto Megalopolenſi à conſilijs ſecretis, vir inſignis doctrina atque facundia, & legatus eius ad Imperatorem & regem Poloniæ.

M D X X V I I I.

Naſcitur Miſnæ Sebaſtianus Srarg. XIII. Cal. Febr. qui nunc in comitatu generoſorum Comitum Suarceburgiorum, Greuſenæ docet Euangelium, Andreę fratri meo ὁμόγαμβρ@-.

In ſenatum legitur Nicolaus Anelorgus, initio Maij, triennio pòſt fit conſul: in quo munere patronus Eccleſiæ & literarum, annos triginta & ſeptem iam verſatur, viridi adhuc ſenectute.

M D X X I X.

In fine Februarij violæ floruerunt.

Naſcitur poſt feſtum Paſchatis, proximo Veneris die, Hieronymus Buchnerus, qui bonas artes Ratisbonę docuit, & in patria: nunc iudicij Eccleſiaſtici notarius eſt, Iohannis Riuij gener.

Naſcitur Vrbanus Pfefferkorn, proxima Dominica poſt feſtum Trinitatis, qui Pragæ vxorem duxit: Imperatori Maximiliano II. ab officijs, vir dignitate & probitate ſpectabilis.

In huius vrbis vicinia Vueinpyhela, pridie Non. Iulij naſcitur Iacobus Schadius, qui medicus pręſtans à cura corporis fuit Barnimo, illuſtri Duci Pomeraniæ, Principi optimo.

Nicolaus Klungherus Præpoſitus Afranus, tanto lacertorum robore fuit, vt vas vini, quod Tonnam noſtri nominant, è cellario ſolus efferret, & plauſtro imponeret. Erneſtum Canonicum, Comitem Manſueldium ſtaturę grandis, luctando in altum extulit, & in ianuam clauſam coniecit, tanto impetu, vt ſera diſſiliens frangeretur.

Hoc anno cępit ædificari vicus ſuburbanus inter Trebiſam, & foſſam molendinariam, qui à tribulis nomen accepit, cùm ad eum locum eſſent horrea frequentia, die ſtegelgaſſe.

Inuaſit hanc regionem, morbus nulli antehac cognitus, qui Anglicus appellabatur, transfuſus videlicet per omne corpus ſudor è calore inſolito: qui niſi prohiberetur, extinguebantur homines ſomno: fuitque id malum contagioſum. Antequàm curatio cognita eſt, multi necabantur ab amicis inſcijs. Tales pœnas Deus minatur ingrato populo, in Moſis libris tertio & quinto. *Morbus Anglicus.*

M D X X X.

Grandinum tempeſtas ingens, minuit tegulas in tectis, in agris culmina, Cal. Maij.

Donatus Richterus Martini ſenatoris filius, naſcitur VII. Id. Aug. nunc conſiliarius generoſi Comitis Ludouici Neugartij in Pomerania.

Dieterico Tegnicio gentile eius, cuius ſuprà meminimus, defuncto, multi ad Præſulem petitum beneficia contendebant: inter eos erat ſacerdos quidam valde imperitus. Inter doctrinæ explorationem, quæ planè nulla erat, Præſul de feneſtra tædio proſpiciens, eius videt miniſtrum,

& quiſnam eſſet,quidue peteret,interrogat. Reſpondit hic, ſe expectare paſtorem ſuum: cui Preſul: Nunquid & tu expectas beneficium, & quid nouit paſtor tuus? Tantundem, inquit, hic didicit, quantum ego. Bene habet, Præſul dicit: beneficium, quod ipſe petit,tibi concedo & largior: inque eius rei teſtimonium accipe, inquit, hanc chirothecam: eamque ſimul deſuper deijcit, conuerſusque ad ſacerdotem, ait. Quod petis,alter habet. Cùm pertenderet paſtor,fieri id non poſſe, quod Teguirium mortuum nemo ante ſe ſciuiſſet: Preſul miniſtrum eius producit,quem de feneſtra deſignauerat, & indoctum atque auarum repulſum,cum riſu aſtantium dimittit.

Riſus ſacerdotis indocti

M D X X X I.

Albis circa Calend. Maij vsque ad templum Franciſcanum vndas egit per triduum.

Moneta adulterata deprehenditur per totam ditionem, culpa tranſlata in Vicethumum in Boëmia, prope Cadanam habitantem.

M D X X X I I.

Cometa. Menſe Septembri oritur Cometa,præcedens mane ortum ſolis. Qui ſuperiore anno viſus erat,initio huius menſis lucere deſijt. Præfectus vrbi Volfgangus Schonbergius.

Sacerdotes negligentes Docuit in hac vrbe linguam Ebraicam Antonius Margarita: verùm cùm à ſacerdotibus auditoribus desereretur, Lipſiam ſe contulit.

M D X X X I I I.

Naſcitur in hac vrbe Martinus Keplerus,Non. Nouemb. qui literis operam dedit Argentorati, & Andegaui in Gallia: nunc inſtituit Principes illuſtres incliti Ducis Volfgangi Palatini Rheni, ducisque Bauariæ filios,natu minimos.

Mors principis apud exteros. Illuſtris Princeps Seuerinus, Mauricij & Auguſti ducum Saxoniæ frater,qui annos XI. menſem vnum,dies XIII. vixerat, obit extra patriam in Alpibus Oeniponti, VI. Id. Octob. ſepelitur in cœnobio Stamſiano: cui ibidem tumulum erexit Auguſtus frater Elector Saxoniæ.

Ære Seuerinus Princeps hoc clauditur: artes
Cum Natis regu dum colit ille bonas,
Indole magnanima iam Patrem æquabat Auumq;
Quos celebrat ſummos Saxonis ora Duces.
Auguſtus fieri hæc Fratri monumenta iubebat,
Poſt meſſem vndecimam quem tulit atra dies.

Dn. Seuerino Duci Saxoniæ ad Henrici Patris, & Alberti Aui virtutem,indole pietatis ac magnanimitatis aſpiranti, patriæ in ſpe ſummma erepto, Dn. Auguſtus frater P. C. Toti genti Saxoniæ luctum: liberis Regijs, quibuscum educabatur,deſiderium reliquit. Vixit vltra annum XI. Menſe I. Di. XIII. Exta eius Oeniponti in templo diui Iacobi condita.

Quid

Quid ante mortem in ipſo agone locutus ſit optimus princeps, his verſibus ſcripſit Vrſinus Velinus, quos à viro nobile Bernardo Ratſchitio, eiuſtum Mareſchallo, accepi.

Nuper cùm Iuuenum ter formoſiſsimus vnus
Saxoniæ Princeps, dignus amore Dei,
Oppeteret mortem, & fati obſequeretur acerbo
Imperio, loquitur talia verba pius:
Omnia qui fecit Deus, & nunc facta gubernat,
Solus habens vitæ iura neciſq; pater:
Iſte vel exerto digito quemcunq; vocarit,
Regibus ex ipſis, Cæſaribusq; ſacris:
Promptè huic parendum eſt, occurrendumq; vocanti:
Nemo poteſt nutus effugere huius homo;
Quippe nihil, cunctis æquus diſcriminat, inter
Mortales pariter Crœſus & Irus erunt.

In Stamſiano cœnobio Ciſtercienſe conditus, in quo etiam tumulos habent Sigmundus Auſtriæ dux, & Maria Blanca Mediolanenſis, Cæſ. Maximiliani vxor.

M D X X X I I I I.

Barbara Ducis Georgij vxor, obit Dreſdæ x v i. Calend. Febr. Miſnæ, in ſacello, à marito extructo ſepulta: cui Andreas Francus Camitianus Iureconſ. hoc fecit Epitaphium.

Quiſquis ad hoc ſaxum venies, ſubſiſte viator,
Et lege diſparibus verba ligata modis.
Illa ego, quæ regum de ſanguine nata, Georgi
Saxoniæ magni Principis vxor eram,
Hic iaceo: quamuis melior mea portio viuit;
Sed tamen hic tumulus frigida membra tegit.
Si genus Heroum virtutis ſemina confert,
Rege Caſimiro ſum genitore ſata.
At mea, cui clarum felix dedit Auſtria nomen,
Cæſaris Alberti filia, mater erat.
Cætera cur taceam? vixi coniuncta marito,
Et periJt nullo tempore noſter amor,
Et mores, cenſor quo non eſt iuſtior alter,
Eſt ſolitus coniunx ipſe probare meos.
Quinetiam genui, cariſsima pignora natos,
Quos olim accipiat Saxonis ora duces.

Viuite concordes ſociali pectore fratres,
Saxonicamq́; bona pace tenete domum:
Quodq́; decet natos, patrijs ſuccedite curis:
Et par ſit laudi gloria veſtra patris.
Deniq; præcipuam teneris ego ſemper ab annis
Hanc duxi laudem, poſſe placere Deo:
Sic igitur colui ſincero pectore Chriſtum,
Vt fuerint mores & ſine labe mei.
Quare etiam moriens te ſupplice voce rogaui,
Vt ſerues animam maxime Chriſte meam.
Tu quoq;, qui legis hæc oculo properante viator,
Ad mea vota pias addito quæſo preces.

Eodem anno illuſtris Domina, filia eius Magdalena, ante matrem moritur, die vigeſimo: quæ fuit vxor Ioachimi II. Electoris, mater liberorum ſeptem.

Naſcitur Valentinus Gregorij F. Heida, pr. Non. Febr. qui nunc in aula Ducis illuſtris Iohannis Holſtelnij verſatur Iureconſultus cum honore & dignitate.

M D X X X V.

Naſcitur Fabianus Starg, Sebaſtiani frater, XIII. Cal. Febr. qui nunc docet Coloniæ ad Albim.

Periculum. In traijciendo Albi initio Nouemb. Ambroſius Hauboldus, faber ſenatus, incautus perit circa Scharffenbergum, ſeptimo demum menſe corpus eius ad officinas latericias eiectum, & in templo Martiniano ſepultum. Ceciderunt cum eo alij duo in Albim, qui enatarunt incolumes.

M D X X X V I.

In ſummo templo legitur hoc epitaphium:
Sepultus eſt hic in Chriſto venerabilis D. Georgius à Roſchitz, quondam huius Eccleſiæ Canonicus, qui te amice lector plurimùm ſaluere, & bene valere iubet. Tu viciſſim, ſi pius es, ipſius animæ requiem precare. Obijt die VIII. menſis Iulij.

Hominū lætitia mortui. Hoc anno Nicolaus Graupa, factus Præſulis eſt vicarius: huic gaudium ſubitò oblatum, cauſa mortis fuit. Erat ipſe in Annebergo, & iam pridem ſacerdotium amplius Præſul ei promiſerat: quod cùm per literas inopinanti offerretur, ijs non planè perlectis, lætitia expirat. Idem de Iuuentio Thalua apud Romanos ſcribit Valerius.

Aeſtas admodum ſicca, & hiems rigidiſſima: æſtate riuulos defecit aqua, hieme puteos gelu durauit.

M D X X X V I I.

Iohannes Ducis Georgij filius Dresdæ obit III. Idus Ian. Miſnæ ſepultus. Andreas Francus, cuius modò memini, tale ei ſcripſit Epitaphium, ſepulchro appenſum.

Marmoris

Marmoris hac tegitur Princeps ſub mole Johannes,
Saxonica ducens nobile ſtirpe genus,
Magnanimi herois proles generoſa Georgi,
Auxit qui Miſnæ ditia regna ſua:
Quiq; Duces inter reliquos, ceu Neſtor habetur,
Conſtantiq; animo iura verenda colit.
Mater erat iuueni Caſimiri filia regis,
Qui geßit forti ſceptra Polona manu.
Sub iuga qui caſos miſit victricia Moſchos,
Compulit & Turcas vertere terga feros.
Jndolis inde trahens generoſæ infuſa Iohannes
Semina, iuſtitiæ ſemper amator erat:
Pactorumq; tenax, fucos fraudeſq; peroſus,
Jngenuos mores rettulit ille patris.
Candorem ipſius tiro tironis amauit
Carolus, Auguſti qui modò ſceptra tenet.
Cæſar auus comitem hunc adiunxerat ipſe nepoti,
Ergo etiam mores ſenſerat eſſe bonos.
Sed res humanas fortuna incerta fugaxq;,
Arcana fati vertere lege ſolet.
Jam regno matura virum ſua fecerat ætas,
Jmperiumq; illi publica vota dabant:
Jnterdumq; leuans curarum faſce parentem,
Dicendi iuris grande ſubibat onus.
Jam pater officij nato ceſſurus honorem,
Optabat merita poſſe quiete frui:
Occidit ille prior florentibus integer annis,
Qua doleat genitor fata ſuperſtes habet.
Ergo inuiſa ſuo ſoluens funebria nato,
Tecta ſub hoc mæſtus condidit oſſa ſolo:
Vtq; illum æterna digneris munere vita,
Aßiduis precibus, maxime Chriſte, rogat.

Viduæ eius Eliſabethæ Vilhelmi Landgrauij filiæ, Princeps optionem dat viuendi vbi velit: quod ſi Dreſdæ malit, ei eſſe liberum: ſin alibi, ſe non defuturum, quin cum dignitate viueret. Ipſa oppidum dotale Rochlicium eligit, atque obtinet.

Naſcitur Auguſtus Hercebergius XIII. Calend. Sept. qui nunc Euangelium docet Dantiſci in Boruſſia.

Eodem anno Iohannes VII Præſul obit, III. Idus Octobris.

MDXXXVIII.

Genus mortis nouum. Miniſter aulicus Dreſdenſis, ex hac vrbe natus, in cœnaculo arcis maiore dormiens ſupra tabulatum fornacis, calore & fumo ſuffocatur, diebus Bacchanalium.

Cæmeterium ex vrbe transfertur, prope diui Nicolai templum ſuburbanum, quod ante hæc tempora ad Marianam & Franciſcanam ædes fuerat intra mœnia.

Cometa conſpectus XV. Cal. Febr. poſt occaſum ſolis; cauda extenſa verſus ortum.

Obijt Anna de Betſchitz, in templo diuæ virginis ſepulta, marmor ita habet.

EVGE VIATOR.

Durum, ſineſcis, frangit patientia

ANNA,

Gentis Betſchitz nobilis fæmina, immenſis malorum acta caſibus, armis munita patientiæ, victrix ſæpe, nunquam ſuccubuit, hîc magnum exemplum ſtatuit. Vnus funeſtus dies, tres chariſsimos, Theodoricum Commerſtad coniugem, duosq; filios (infandum) grauidæ abſtulit, ipſaque ſola mœrens ſecundis relicta nuptijs, quæ quidem, quamuis contigiſſent non perinde bonæ, tamen ſuo more euicit patientia. Ergo malorum ſortita terminum, huc nomen ſuum illibata contulit, pudica, benigna, patiens, matronarum decus omnium, in Chriſto requieſcit ſuauiter. Mortua eſt die XXV. menſis Iunij, ætatis ſuæ LXXXI. *Mater vno die ter orba* *Patientia in Fœmina.*

Liberi pijſsimæ matri mœrentes F.C.

Georgius Doctor.	Catharina
Nicolaus presbyter.	filia.
Iohannes	
Filij.	

Iohannes VIII. Præſul. Eodem anno Iohannes VIII. Præſul apicem & pedum accipit à Iohanne Fabro Præſule Viennenſe, & à Thoma Murnaro Franciſcano, ſuffraganeo Patauienſe: ortus ipſe de familia Malticia, quæ Dipoldiſualdi habitat: in canonicatu ſucceſsit Sigiſmundo Pflugo, Auguſtæ in comitijs mortuo, poſtea factus Decanus, & coadiutor, vt dictum eſt. Anno Præſulatus eius tertio, menſe Iulio, quatuor oppida Miſnæ, igne conflagrarunt, Noſſa, Hana, Dipoldiſualda, Vuolchenſteinum. *Oppida cremata.* Cum Henrico Duce Saxoniæ contentio ei fuit, quòd legatus Præſulis in comitijs Vuormacienſibus, ſeſſionem ſibi ſingularem ſumpſerat, ducibus Saxoniæ inſcientibus, ad quorum tutelam diœceſis pertinet.

Eodem anno obit Sebaſtianus Berieringus XII. Cal. Septemb. qui medicus huius vrbis fuit.

Eodem naſcitur Paulus Papa Rochlicij, nunc ſenator, & ſcriba Miſnenſis, vir prudens & eruditus.

Fridericus

M D X X X I X.

Fridericus Ducis Georgij filius, qui VI. Cal. Feb. cum Eliſabetha Manſueldia Comitis Erneſti filia, nuptias celebrauerat, moritur IIII. Calend. Martij, ſepultus Miſnę, vltimus inter Georgij Ducis filios, cuius memoriam hæc inſcriptio teſtata eſt.

Moribus innocuus, præclaro ſtemmate Princeps,
Qui niuea placidus ſimplicitate fuit:
Illa luce diem vidit, qua milite multo,
In Phryſios genitor de patria iuit agros.
Vno qui vixit tantummodò menſe maritus,
Poſtq; aui ſeptem luſtra reliquit humum.
Ante patrem moritur, qui nulla prole relicta,
Poſt etiam vitam finijt inde ſuam.
Scilicet ex omni nil cuiquam parte beatum:
Fata manent iuuenes, credite, fata ſenes.

Eodem anno poſt hebdomadas ſeptem Georgius Saxoniæ Dux, confectus ſenio, mœrore, & ægritudine, poſt omnium hæredum obitum, & ipſe moritur Dreſdæ XV. Cal. Maij: in hac vrbe vltimus inter Duces Saxoniæ, ſepultus. Occupato tamen loco ſepulchrorum priſtino, ſibi vxorique proprium ſacellum extruxerat, quod marmore candido & rubeo Ratisbonenſe; item Ophitino maculoſo Zebliciano ornatum in ingreſſu eſt, cui eiuſmodi ſcripſi epitaphium: *Extirpata gens Georgij.*

Neſtor qualis erat, bellantes inter Achiuos,
Cùm Phrygium premeret Græcia tota ſolum:
Talis Germanos Dux ille Georgius inter
Floruit, atq; Ducum gloria rara fuit.
Conſilijs, animoq; ſimul maturus, & annis,
Conſpicuus bello, conſpicuusq; toga.
Plus tamen exornans optatæ commoda pacis,
Odit ſanguinei flebile Martis opus.
Alberti patris celebratur fama per orbem,
Quòd geſſit valida bella ſecunda manu:
Natus ſceptra tenens, tranquilla in pace, parentis
Nomina non titulis inferiora tulit.
Sed Duce læta tuo vixiſti Miſnia ſemper,
Cui des æternos viuere Chriſte dies.

Ante noctem mortis eius, auditus in baſilica Miſnenſe ſtrepitus: & clypeos duos circa tumbas ſuſpenſos decidiſſe de tholo affirmatum eſt. Alius Cometa conſpicitur, Prid. Non. Maij, qui durauit vsque ad Iunium.

Mutatur religionis forma. Per illuſtrem Principem Henricum, Georgij fratris legitimum ſucceſſorem, mutatur forma religionis. Tumba Bennonis ante annos quindecim erecta deponitur. Canonicis & ſacerdotibus, qui doctrinam Euangelij amplecterentur, & officio fungi aliquo Eccleſiaſtico vellent, manere in vrbe permiſſum: qui aliter ſentirent, ijs relictum deliberandi ſpacium: qui pertinaces eſſent, conceſſa iiſdem facultas tutò abeundi. *Concionatores Euangelici.* In baſilica initio concionati ſunt viri illi clari Georgius Spalatinus, Nicolaus Amſdorfius, Iuſtus Ionas, Paulus Lindena, Iacobus Schenchius, Sebaſtianus Sieuda, quibus Andreas quidam Vngarus Franciſcanus, ſophiſta acutiſſimus, ſeditputando acerrimè oppoſuit, donec ire ex vrbe iuſſus eſt. *Iohannes Albinus.* Primus vrbis paſtor declaratus Iohannes Albinus Francus, huc miſſus Viteberga; eius Diaconus Iohannes Hempelius ex Afrano, eodem anno moritur XIIII. Cal. Decemb.

In Afrano primus Diaconus fuit Euangelij tempore, Donatus Langius, nunc paſtor Schonfeldius, in præfectura Dreſdenſe: alter Sebaſtianus Vueidenicius, nunc paſtor Lampertiualdius, ambo in Afrano fuerant Canonici.

M D X L.

Ludus apertus in vrbe. Ludus Senatorius, quo antea vrbs tanta caruit, inſtituitur: cui D. Henrici Saxoniæ Ducis, optimi Principis voluntate, dicatum cœnobium Franciſcanum. *Ludi literarum.* Ludi literarum, vt prope Eccleſias conſtituerentur, doctrinæ & diſciplinæ cauſa, Leo IX. Pontifex, patria Germanus, mandato edixit, cuius Siffridus presbyter meminit. In ludo ſenatorio primi docuerunt Hermannus Vulpius, Ambroſius Boresdorfius, qui nunc Doctor medicinę eſt, & artem exercet Citij, & Chriſtophorus Senfthemerus Muſicus Carinthius.

Anno eodem Dresdæ in patria moritur Chriſtophorus Sporerus medicus, prid. Non. Maij: qui & in hac vrbe, & in Luſatia Zitrauiæ medicinam exercuit. *Felicitas in matrimonio* Relictam eius filiam natu maiorem Magdalenam, poſt annos vndecim: vxorem ducit, vir egregius D. Iohannes Chentmanus, qui etiam Dreſdæ natus, in hac vrbe medicinam fecit, & inde Torgam ſe conferens, adhuc ibi floret, præter alia rerum metallicarum peritiſſimus. Filiam eius alteram duxit D. Iohannes Brambachius, qui natus Dreſdæ, nunc in patria floret, & medicinam feliciter exercet.

Aeſtas ſicca & calida. Vini vberrimus prouentus, fructuum hortenſium minor.

M D X L I.

Lapſus de ponte. Diebus Bacchanalium Albis aduerſo curſu auxit Trebiſam, ita vt nauiculis piſcatores concurrerent animi cauſa. Ponticulus, in quo magna turba ſpectantium ſtabat, pondere rumpitur. In fluuium ceciderunt homines circiter quadraginta, ſed ſine periculo, opera piſcatorum præſentium omnes euaſerunt.

Vixit

Vixit in hac vrbe Benno Hennitius Canonicus, qui è libris vetuſtis Speculum,vt vocant,Saxonum,in quo vetera gentis iura deſcribuntur, emendauit,& in publicum edidit,Lipſiæ impreſſum. *Speculum Saxonicum*

MDXLII.

Propter Vurcinam Præſulis Miſnenſis oppidum,arma ſumpſerunt, Iohannes Fridericus Elector,& Mauricius,Duces Saxoniæ: ſed incendium,quod iam flammam ceperat, extinguitur Dei prouidentia, & fideli interceſſione Philippi Haſſiæ Landgrauij,in ipſis ferijs Paſchalibus.Facta eo tempore fluminum magna inundatio, præſertim in Turingia. *Tumultus Miſnicus inter Duces*

Menſe Octobri multitudo locuſtarum hanc regionem inuaſit, per quæ loca inuolarunt;iiſdem poſtea,Hiſpani milites graſſati ſunt. *Locuſtæ.*

MDXLIII.

M. Fridericus Schualbius Hilperhuſias in ludum ſenatorium vocatur: eius collegæ fuerunt idem Ambroſins, & Iohannes Reuſchius Muſicus excellens, nunc Cancellarius Præſulis Miſnenſis. Ambroſio Lipſiam ſe conferenti,ſucceſſit Paulus Rindermanus.

Ludus illuſtris apertus v. Non. Iulij: cui dicatum Illuſtris Ducis Saxoniæ D. Mauricij beneficentia,cœnobium Afranum. Aluntur in eo pueri centum,cum quatuor præceptoribus, qui in pietate vera, & bonis literis,ac honeſtis moribus iuuentutem formant atque inſtituunt. Primi Præceptores conſtituti Hermanus Vulpius, ex vrbe euocatus, Matthias Daberchuſius,Hiobus Magdeburgus, Laurentius Hofmanns Muſicus. Oeconomus Iohannes Roſbachius: Eccleſiæ paſtor D. Nicolaus Cummerſtadius,in hac vrbe natus. *Ludus Ducalis.*

Naſcitur Volfgangus Crellius VIII. Calend. Sept. vir eruditus, & in carmine ſcribendo ſuaui ingenio.

MDXLIIII.

Ex hac vrbe è miniſterio diſceſſit, Iohannes Petreius,vitæ & doctrinæ ſpectatæ vir,qui nunc eſt Zuiccaniæ ſuperintendens,vt vetuſto Iſidori vtar vocabulo.

Obijt Henricus Fauſtus,proſocer poſtea meus, III. Non. Decemb. initio verſatus in quæſtura illuſtri, tum multos annos functus munere conſulari: amans ſobrietatis & diſciplinæ,& indefeſſæ vir diligentiæ: patria Rimago natus.

MDXLV.

Inſtitutum eſt à duce Saxoniæ D. Mauricio, rationibus iuſtis & neceſſarijs, iudicium Eccleſiaſticum Miſnæ, XIIII. Cal. Martij, præſidentis loco fuit Henricus Bunanus, qui Vueſenſteinij habitat, vrbis huius præfectus. Aſſeſſores Vuenceslaus Neumanus Iurec. Iohannes Riuius,& Laurentius Schroterus ſuperintendens. Iis cauſæ matrimoniales,controuerſiæ Eccleſiaſticæ, iudicium de doctrina & ſacramentis, cognitio de hæreſibus, examinatio paſtorum, eorundem confirmatio & reiectio, cenſura de eorum vita & moribus,principis illuſtris graui & ſeuero mandato, tradita ſunt atque commiſſa. *Conſiſtorium Miſnenſe.*

In

In foro nundinario domus mercatorum abſoluitur, conſule Nicolao Ancſorgo, ædili Ambroſio Othobachio.

MDXLVI.

Hermano Vulpio in ludo illuſtri ſucceſſit Georgius Fabricius, euocatus Argentorato. Cuius ludi hoc tempore eſt eiuſmodi conſtitutio. Docentur trium linguarum, item trium artium dicendi fundamenta, cum Muſicæ & Arithmeticæ præceptis: hæ traduntur libellis vulgaribus: præcepta artium è libris Phil. Melanchthonis: ad quos adhibentur auctores præſtantiſſimi, in lingua latina Cicero, Terentius, Virgilius: in græca Iſocrates, Xenophon, Plutarchus, Heſiodus, Theognis, Phocylides, diſtinctis temporibus, nam vno anno ſinguli non exponuntur: & Virgilio interdum ſubſtituitur Horatius, interdum Ouidius, vt res fert, & captus adoleſcentulorum. Interijciuntur apud paruulos hiſtoriæ ſacræ, aut præcepta morum, explicata à Camerario, aut fabulæ Aeſopi ab eodem. Repetitiones lectionum & exercitationes ſcribendi nunquam intermittuntur, vt & inſpectiones morum ac ſtudiorum. Hæc ſtudia omnia præcedit doctrina Catechiſmi, quam breuiſſimè & diuinè præſcripſit vir ſanctę memoriæ D. Lutherus, & examen Phil. Melanchthonis, in quo doctrinę ſacræ eſt quaſi ſumma quædam accuratiſſimè comprehenſa. Conciones in templis annotare, & recitare neceſſe habent. Ne quis excuſatione ignorantię vtatur, claſſibus ſingulis poſt examina, quæ vere & autumno inſtituuntur, præſcribitur ordo ſtudiorum, quid diebus certis, & horis ſingulis, & publicè audiendum, & priuatim repetendum ſit. Preces fiunt cùm ſurgitur, cùm in lectionem itur, aut inde exitur, cùm ad menſas acceditur, aut reditur, cùm cubandum ſurgendumque eſt. Adeſt pueris ſemper inſpector, vel è præceptoribus vnus, vel ex ipſorum numero aut decurio, aut claſſicus. Tres ludos illuſtres inſpiciunt menſe ferè Auguſto, ambæ Academiæ Lipſienſis & Vitebergia. Pueros & adoleſcentulos nominandi poteſtatem habent: nobilitas, ciuitates, ac certa oppida, partim iure patronatus, partim benignitate Illuſtriſſ. Electoris: ex ijs qui nominantur, nemo infra annum vndecimum ſit, nemo quintum decimum excedat: etymologiam & Syntaxin nouerint, ratione ætatis. Aluntur per ſexennium, qui probi & modeſti fuerint & qui progreſſi ſunt liberaliter, ſpem ducalis habent ſtipendij. Victus ratio eiuſmodi eſt, vt in prandio dentur fercula quatuor, antecedat ientaculum: in cœna fercula tria, pręcedat merenda, ſequatur potus ante ſomnum. Præter hæc pueris quatuor, vnus pannus Miſnenſis datur annuatim in veſtem, & ſingulis anni quadrantibus, calcei. præſcriptum eſt Oeconomo, qui rem curat familiarem, quid eius curæ & officij ſit: præſcriptum item profeſſoribus, pręſcriptum denique diſcipulis: & quicunque ſuo munere fideliter ac legitimè fungitur, gratum ſine dubio facit Deo, & ſuæ meminit conſcientiæ, & præclarè meretur de adoleſcentia. Sunt autem in genere adoleſcentulis eiuſmodi leges præſcriptæ.

Ratio inſtitutionis & gubernatio ns ludi illuſtris.

MANDATVM DEI.

DEVTER. XXXI.

Leges

Leges verba legis huius coram omni Iſraël, audientibus eis, & in vnum omni populo congregato, tam viris, quàm mulieribus: paruulis & aduenis, qui ſunt intra portas tuas: vt audientes diſcant, & timeant Dominum Deum veſtrum, & cuſtodiant impleantque omnes ſermones legis huius.

AD EPHES. VI. EXOD. XX.

Filij obœdite parentibus veſtris in Domino, nam id eſt iuſtum. Honora patrem tuum & matrem: quod eſt præceptum primum in promiſſione: vt bene tibi ſit, & ſis longæuus in terra.

DEVTER. XXVI.

Maledictus qui non honorat patrem ſuum, & matrem ſuam.

AD EBRAE. VLTIMO.

Obœdite ijs, qui præſunt vobis, & obſecundate: vigilant enim ipſi pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, nam id eſt vobis inutile.

PROVERB. XXVIII.

Qui ſubtrahit à patre ſuo, vel à matre, & dicit, hoc non eſſe peccatum, Particeps homicidæ eſt.

SANCTIONES PIORVM.

NOE TOTI ORBI TERRARVM.

II. PET. II.

Deus primo mundo non pepercit, ſed octauum Noë, iuſticiæ præconem ſeruauit, diluuium mundo impiorum inducens.

JOSVA POPVLO.

IOSVAE XXII.

Obſeruate diligenter, vt diligatis Dominum Deum veſtrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, ſeruetisque præcepta eius, & adhæreatis ei atque ſeruiatis toto corde veſtro, & tota anima veſtra.

DAVID SOLOMONI.

PROVERB. IIII.

Teneat eloquia mea cor tuum, cuſtodi præcepta mea, & viues. Principium ſapientia: arripe illam, & exaltabit te: extolléris ab ea, cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo ſertum gratioſum: corona decora exornabit te.

TOBIAS FILIO.

TOB. IIII.

Omnibus diebus vitę tuæ in mente habeto Deum: & caue, ne alicui peccato conſentias, & prætermittas pręcepta Domini Dei noſtri.

AGVR DISCIPVLIS.

PROVERB. XXX.

Oculum qui ſubſannat patrem, & contemnit doctrinam matris ſuę, effodiant eum corui torrentis, & deuorent eum pulli aquilę.

LEX PRINCIPIS.

Pueri noſtri inprimis amare & religioſè colere, adorare, inuocare debent patrem Domini & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, filij ipſius: qui ſanctum Spiritum largitur credentibus verbo ſuo.

Noſtri pueri omne ſcelus flagitiumque, & omne ſiue naturæ ſeu prauæ conſuetudinis vitium abijciunto & emendanto, & coërcento cupiditates pueriliter exultantes.

Vetamus vſurpari blaſphemias, maledicta, mendacia, furta, ebrietatem, crapulam, ludos iocoſque turpes ac ſcurriles, obſcœna dicta, & quicquid manifeſtam atque animaduertendam turpitudinem continet.

Contumaces & malos primùm vindicta diuina corripiet, deinde & noſtra ſeueritas vlciſcetur: cuius, eos quibus adminiſtratio & cura ſcholę noſtræ commiſſa eſt, diligentes executores conſtituimus.

Veſtes omnes forma vſitata, non ſcurrarum aut militum more fieri curanto: armorum nullo genere cincti ſunto.

Qui domum ad parentes proficiſcuntur, vltra octo, & ad ſummum dies quatuordecim ne abſunto.

DECRETA MAGISTRORVM.

Omnes iuſſa præceptorum ſtudioſè & accuratè exequuntor: ijs inſcientibus è lectionibus & collegio ne abeunto.

Rixas & altercationes ne vſurpanto: offenſionum atque odij cauſas nulli præbento.

In templo ſacris reuerenter aſtanto, conciones piè attenteque adiunto.

Manè dato ſigno ſurgunto: libros compoſitos habento: ſtrepitus, turbas, clamorcſue, quibus aliorum ſtudijs obſtant, ne excitanto.

Ante & poſt cibum preces dicunto: & cum preces fiunt, cuncti aſſunto.

In ludo, ſuo quiſque loco & ordine ſedento: lectione finita, ſic vt modeſtos decet, cubicula petunto.

Si cunt in publicum, exemplum liberalis & grauis diſciplinę præ ſe ferunto.

Sermone tam apud magiſtros, quàm ſocios latino ſemper vtuntor.

Ad choreas & luſtra ebriorum ne accedunto: foris ne cubanto.

Ad lectiones antequam accedant, ea quę audienda ſunt, inſpiciunto & relegunto.

Ordinem ſtudiorum quid ſingulis ſit horis faciendum obſeruanto: neceſſaria annotanto: vſum ſcribendi nunquam omittunto: memoriam aſſiduè exercento.

Magiſtratus,

Magiſtratus, Theologos, præceptores, alios viros honeſtos, honore & reuerentia proſequantor.

Huc vſque relatæ leges ſcholaſticæ.

Eodem anno tranſlata huc Academia Lipſienſis eſt, propter tumultum bellicum, quo Lipſia grauiter eſt obſeſſa: Rector erat Conſtantinus Pflugerus.

In vico Albino, ædibus Thomæ Fabri Quæſtoris, puer infans negligentia ancillulæ, de ſuperiore feneſtra, membris illæſis decidit, non ſine miraculo. *Lapſus pueri.*

MDXLVII.

Die v. April. Dux Elector Iohannes Fridericus Miſnam capit deditione: die ſecundo pòſt luſtrat aditum Dreſdæ, manu exigua: quarto capit oppidum Hanam. Cùm hîc in ſuburbio Figulorum, manipulus militum incautius tractaret puluerem tormentarium, illi ipſi omnes vehementer læſi ſunt.

Die XVI. pueri nobiles è ludo illuſtri tres & viginti, Goldaccaro Turingo ſuadente, tanquam obſides, naui hinc mittuntur Vuitebergam.

Nomina eorum ſunt, qui miſſi Vuitebergam, Caſpar, Hugoldus, Laurentius, Schonbergij fratres, Apollo & Ditericus Ruliccij, Nicolaus & Alexander Milticij, Theodericus, Petrus, Echardus Ganſij, quibus erat adiunctus Blaſius frater meus, qui Vuitebergæ ab Hiſpano eſt in caput vulneratus, Georgius Carolouicius, Iohannes Berbiſdorfius, Honorius Grunbergius, Iohannes Vuarta, Nicolaus Erdmandorfius, Chriſtophorus Hartuichius, Alexander Pflugus, Chriſtophorus Leutſchius, Iohannes Staupicius, Georgius Spora, Theophilus Commerſtadius.

Die XIX. cùm de Cæſaris aduentu nunciaretur, & vexillum Cæſarianum, à neſcio quo captum, omnibus inopinantibus in vrbem hanc importaretur: Iohannes Fridericus caſtra ex vrbe vltra Albim transfert, in collem pagi Zeilæ. Militi autem eius perſuadere nemo potuit, adhuc in viuis eſſe Cæſarem.

Biduo pòſt inceditur pons ſublicius, ne Hiſpani tranſirent, & ipſum aſſequerentur. In itinere tamen à Caroli V. exercitu impeditus, & Mulbergo fugatus, in ſaltibus Lochauianis, ipſe & Erneſtus Dux Brunſuigius pugnantes capiuntur. Eius maximus natu filius vulneratur, ſed manus hoſtium euadit. *Elector Saxoniæ capitur.*

Deditionem vrbis huius IX. Calend. Maij, rurſus petunt pauci equites Hiſpani & Vngari, quæ dies ſeptendecim in poteſtate hoſtili fuit.

Baſilica v. Calend. Maij de cœlo tacta, hora quinta pomeridiana: turres tres, tectum, campanæ, organum conſumpta incendio: cùm eodem die mâne circa ſeptimam eſſent actæ gratiæ de capto Iohanne Friderico. Tacta etiam turris templi diuæ virginis in vrbe, ſed huius flamma ſtatim reſtinguitur. Nullum aliud fulmen aut anteceſſit, aut eſt ſecutum. Arx principis prope baſilicam à ciuibus ſeruatur.

Eodem anno in profeſto Pentecoſtes, obit reuerendus vir Valentinus Scriba, huius vrbis paſtor, qui eadem hora efferebatur, qua Rex

Mauricius Princeps, atque ingens cura ſenatus,
Incenſi inſtaurant hoc graue pontis opus.

Architectus fuit Vrbanus Beſler, ciuis Miſnenſis.

Infans in lucem editur, diuiſa fronte & cranio, ſine labijs, ſine aure dextera, oris loco exiguum habens foramen, ſine manibus & pedibus XVIII. Cal. Maij, diem integrum non fuit ſuperſtes. *Partus monſtroſus.*

Bernardo Pfluger Chriſtophorus Pfluger & Georgius Fabricius opt. ſpei alumno pater & Magiſter F. F. Obijt X. Cal. Iun.

Chare puer pulchras à me formatus in artes,
Quanta patri heu aufers gaudia, quanta mihi?
Eſtudijs veros tibi dum meditamur honores,
In teneris annis, vt roſa verna cadis.

MDXLIX.

Duæ moniales peregrinæ, Chriſtina Falceneria & Apollonia Mollerina Mulbergum ituræ, in Albi cum auriga pereunt VI. Non. Martij. *Mors indigna.*

Turris templi Mariani, quæ fulmine tacta fuerat, menſe Iulio cœpta inſtaurari: de eadem VI. Calend. Octobris, vnus ex operarijs decidens, cerebro illiſo moritur.

Iohannes VIII. Præſul, vitam cum morte commutat prid. Calend. Decemb.

Georgius Vualdelingerus conſul obit IIII. Non. Decemb. anno ætatis octuageſimo quarto.

Hiems acris, & niuoſa.

Ioannes Henricus Auguſti Elect. Sax. F. naſcitur Leucopetræ prid. Idus Ianuarij: infans decimeſtris mortuus prid. Idus Nouemb.

MDL.

Nicolaus II. de gente Carolouiciorum, Præſul Miſnæ creatur. In canonicatu ſucceſſit Carolo Milticio, qui in Rheno ſubmerſus eſt, factus deinceps Archidiaconus Niſicenſis: electus Præſul XVIII. Cal. Febr. præſente Iulio Pflugo Præſule Numburgano. Huius temporibus vir nobilis Ioachimus Kneutlingus Iurecons. à Sebaſtiano Pignino, Præſule Sipuntino, legatoq; pontificio, Auguſtæ impetrat, vt Canonici, quos Lipſienſis Academia vetere inſtituto Miſnæ, Merſburgi, Citij nominat, non neceſſe habeant aut ſtatutam alijs pecuniam ſoluere, aut ad tempus reſidere: propterea quód docendo profitendoq; ſtudioſis in Academia operam impendant. *Nicolaus II. Præſul.* *Libertas docentium.*

Iohannes Schleinicius Serhuſius, vir pietate & prudentia ſpectatus, obit Dreſdæ IIII. Cal. Febr. anno ætatis XLVI. Tale habet in templo Afrano cenotaphium:

Serhuſium domus eſt, clari virtute parentes,
Nomen Iohannes, gens mihi Schleinicia.
Mors eſt viſa quies, aliam ſcio ſperoq; vitam,
Hic cinis ipſe, nouus quando futurus homo eſt.
Hoc poſuit pietas fratrum officioſa ſepulchrum:
Mens & amor nobis quatuor, vnus erat.

M. Martinus Tectander paſtor Miſnenſis, & xxxvii iudicij Eccleſiaſtici, quod vtrunq; munus obire graue ipſi eſſet, locum mutat, menſe Iunio: Zittauiam hinc profectus, adhuc ibi munere Eccleſiaſtico fungitur.

Nauis mergitur in Albi, gubernator interit, ſocij quatuor ſeruantur, Cal. Nouem.

MDLI.

Fletus infantis in vtero. Infans puella quinto ante partum die, in aluo materna claros eiulatus edit X V. Cal. Nouemb. annum dimidium eſt ſuperſtes, demum ex anthematis puerilibus, ſeu (vt vulgò vocant) morbillis, ſanguine per totum corpus fluentibus obit: de quo prodigio extat noſtra ad Philip. Melanchthonem elegia. nam in baptiſmo fide iubendo affui, cum vxore clariſs. viri D. Iohannis Chentmani. Secuta biennij peſtis.

Parelii. Bis parelij viſi X I I. Cal. April. & X I I I. Cal. Ianuar. Secutum bellum contra Cæſarem.

Mulier fulmine exanimatur x. Cal. Iunij, Tempeſtas imbrium & fulminum tribus horis durat v i i i. Id. Iunij.

In pago Vucinpyhela, quaſi vini coilem dicas, domus multæ cre-*Draco ignitus.*mantur. E flamma & fumo Draco ignitus, vrbem verſus euolare viſus eſt, qui trans Albim longos tractus duxit, diu conſpiciendus. Eiuſmodi Dracones ab à veneficis, quibus ad furta vtantur, vulgi opinio eſt.

Leonora Auguſti Elect. F. naſcitur in arce Vuolkenſtenia prid. Non. Octob.

MDLII.

Bernardus Zieglerus vir nobilis, qui natus erat in hac vicinia, pago Zieglerorum Gaërnitio, Theologiæ doctor & linguæ ſanctæ profeſſor excellentiſſimus, moritur Lipſiæ I I I I. Non. Ian. anno ætatis L V I. plurimùm à literarum diuinarum, in quibus excelluit, ſtudioſis deſideratus. Audiuit adoleſcens Lipſiæ Antonium Margaritam Ebræum. Ziglero ſcripſit Epitaphium poëta præclarus Adamus Siberus:

Nobilis antiquo proauorum ſtemmate, longè
Nobilior veri cognitione Dei:
Bernhardus ſitus hoc poſt fata ſuprema ſepulchro
Ziglerus, tegitur corpus inane ſolo.
Fecerat hunc error monachum: ſed gratia Chriſti
Reddidit eximia relligione virum.
Qui lupus ergo prius fuerat, mutatur in agnum,
Paſtoris ſequitur iuſſa pedumq́; ſui.
Doctrinam calamo veram, linguaq́; profeſſus,
Qua docuit cura, ſedulitate, fide?
Sermonis, ſacra quo ſcripta volumina legis,
Non habuit quenquam cognitione parem.
Hunc cum Leucoreo colunt Philyraus Eiſter
Albi, nunc raptum mœſtus vterq; gemit.

Oſſa

Oſſa premit tellus, mentem felicia tecta,
In ſedes Chriſtus tranſtulit æthereas.

Maternus Badehornus iuuenis eximius D. Leonardi Iur. frater, anno ætatis trigeſimo & ſecundo moritur Lipſiæ prid. Cal. Maij in illuſtri quæſtura. Cùm dolores acerbos tota ferè ætate ſenſiſſet: poſt mortem ſectum corpus eſt, & in veſicula fellis duo & viginti lapilli inuenti, diſpari magnitudine, & angulati, ſubluteo colore omnes: quos vidit D. Iohannes Chentmanus, & in libro de calculis, in corporibus hominum inuentis, facit mentionem. *Lapilli in corpore humano.*

Tractus montium Sudetarum crepuſculi tempore XII. Cal. Maij, cum locis vicinis motu terræ concutitur, quem hæc vrbs mediocriter ſenſit. *Terræmotus.*

Philippus Mullerus, in ludo ſenatorio Muſicus, peſtis tempore, mortuo in ludo illuſtri, Georgio Zauſchio Diacono cum vxore & ſex filijs, eius in locum ſuccedit, III. Non. Septemb. Ludi paſtor eo tempore erat, Iohannes Teiclbachius: cuius domum etiam peſtis inuaſit: ſed Dei bonitas vxorem ipſi ſaluam reſtituit.

Catharina Vuenceſlai Numani Iureconſulti vxor, vndeuiginti liberorum parens, matrona honeſtiſſima, morbo ſubito extinguitur XIJ. Cal. Iunij.

Dimiſſi ſunt pueri ludi illuſtris XII. Cal. Iulij, propter contagionem peſtis, quæ famulam Oeconomi inuaſerat.

In vico ſuperius nominato, de ſuperiore domus parte Petri Pelicij piſtoris filia infans cadit, & non læditur. *Puellæ lapſus*

Peſte circiter duo millia hominum extinguuntur, cum lues inciperet menſe Iunio, & ad finem vſque anni duraret. Mulier in morbo, Agatha Altermana, per quatriduum ſudat ſanguinem: & quoties de fronte detergeretur, aliæ guttulæ erumperunt: moritur XIII. Calend. Octobris. *Peſtis.*

Fuit vini, frugumq; tanta abundantia, vt vaſa ad condendum deeſſent. *Copia frumentorum.*

Eliſabetha Auguſti Elect. Sax. F. naſcitur in arce Vuolckenſtenia 4. Cal. Decembr.

Iohannes Gengius Hornhemius Chymiæ & artis pharmacopææ ſtudioſiſs. obit XII. Cal. Ian. biennium ante ſuum herum Carolum Leuſchnerum, cui annos ſeruiuit triginta.

MDLIII.

Ipſis Calendis inchoantibus hunc annum, obit vir clariſſimus, Iohannes Riuius Atthendorienſis: cùm paulò antè ſepelijſſet vxorem, & filium natu minorem, & neptim, ſepultus extra vrbem, ante diui Volfgangi fanum, cum tali Epitaphio in lapide inſculpto.

IESV CHRISTO SACRVM.

Iohan. Riuio Atthendor. viro opt. & mag. mor. ſeueriſs. præclarè de præſentib. poſterisq. merito, ornato à principib. culto ab eruditis, cum Anna con. & Paulo Fil. morbo populari extincto, hac terra condito Georg. Fabricius Chem. Præceptori ſuo incomparabili. Obijt Cal. Ianuar. M. D. LIII.

DOMINVS ADIVTOR IN OPORTVNITATIBVS.

Tempeſta. Eodem anno tempeſtas violenta v. Id. Ian. fuit, qua villæ incenſæ, ædificiis & ſiluis clades illata. Mox v I I I. id. Martij nix profundiſſima & diuturna.

Matthias Marcus Dabereuſius olim præceptor, tunc collega meus, Suerinum ad ludi gubernationem vocatus, hinc diſcedit v I I. Id. Iunij.

Michaël Schleinicius, illuſtris Ducis Saxoniæ Auguſti adoleſcentis, olim Mareſchallus, in pugna Hildeshemia prope Peinam multis affectus vulneribus, & æneo tormento ictus oppetit Idib. Iulij: in templo pagi Siuershuſij cum Caſpare Milricio, vno ſepulchro conditus, anno ætatis x L v I I. In Afrano eius cenotaphium:

Pro patria pugnans iuſtis Michaelus in armis,
Pro patria cecidit vir generoſus humo.
Donec erit virtus laudi, laudabitur ipſe,
Inter præſtantes gloria rara viros.
Siuershuſa tenet corpus, mens incolit aſtra:
Schleinicia gentis fama decusq́ue, vale.

Terræmotus. Tractus ad Albim x v I. Cal. Septem. inter ſeptimam & octauam veſperi terræmotu quatitur, quo cacumina ædificiorum ita commota, quaſi deſuper omnia corruerent: quod genus arietationem vt puto nominant, philoſophi & hiſtorici.

Menſe Maio in ludum illuſtrem redire iuſſi adoleſcentes, qui peſtis cauſa dimiſſi erant, iamq́ue anno integro abfuerant. Erigitur iuxtà alius ludus, in quem ex Academia Lipſienſe ſtudioſi Theologiæ tranſlati ſunt. Antequàm ædificium, in quo habitaturi eſſent, extrueretur, apium examen ipſo meridie aduolauit, & in hortulo vicino de pruno arbore pependit, ſed colligi in alueare non potuit, ſtatimq́ue diſſipatum eſt. Primam concionem ad populum habuit, prima aduentus feria M. Laurentius Rulichius, qui ludo Theologico præerat.

Pridie Idus Nouemb. Sigiſmundus Badehornus, Leonardi Iur. pater, obit, qui in templo Mariano hoc habet epitaphium. Tabulam pinxit Lucas Lucæ F. Cranachius, patre ſummo artifice non inferior.

Sigmundi lapide hoc Badehorni membra quieſcunt,
In natis cuius vita ſuperſtes adhuc.
Ipſe fuit patriæ fidus prudensq́ue ſenator,
Cumq́ue ſua vixit coniuge luſtra nouem.

MDLIIII.

Iohannes Rosbachius illuſtris ludi primus œconomus, anno decimo adminiſtrationis, v I I. Id. Febr. vitam claudit: conditus in templo Afrano, cum hac tumuli inſcriptione:

Ad paſſum quiſquis ſuſpirat pectore Chriſtum,
Propitium votis ſentiet eſſe patrem.

Hoc

Hoc ego Roſbachius dimiſſo crimine teſtor,
Cui venia, in Chriſti ſanguine, multa fuit.

Hic fratris duos filios aluit ſuis ſumptibus in Academia Vitebergia, Iohannem & Nicolaum Roſbachios: ille mortuus Lomachij in miniſterio, hic Merſburgi adhuc docet in templo cathedrali. Ei ſucceſſit in Oeconomia Iohannes Fauſtus, Henrici coſ. Miſnenſis filius, paulò pòſt factus ſocer meus.

Alexander Auguſti Elect. F. Dux Saxoniæ naſcitur Dreſdæ I X. K L. Martij.

Chriſtophorus Leuſchnerus Medicus patri ſuo, tale poſuit in tabula picta monumentum. Carolo Leuſchnero, primo huius vrbis pharmacopæo, & Dorotheæ matri Erfurdianæ, Chriſtophorus Leuſchnerus D. F. & Anna Othenbachia filia, pietatis ergò poſuere. Obit M. D. L I I I I. menſe Maij. D. 30. H 9. M. 30. poſt meridiem.

Tempore poſtmeridiano, dimidio à Miſna milliario, occaſum verſus, menſe Octobris multi greges veſpertilionum per agros errarunt, duobus diebus: cùm id animal minimè gregarium ſit, & non niſi crepuſculò volare ſoleat. *Veſpertiliones.*

Valentinus Scheinus obit Cal. Nouemb. vrbis ſcriba: qui reliquit filium Calixtum Iureconſultum, inclytæ vrbis Lubecæ in Saxonia Doctorem, & ad Cæſarem, regem Daniæ, aliosq́ principes legatum, virum grauem & diſertum.

Caſtellum fontis in vrbem deducti, ante ædem Marianam, è lapidibus extruitur.

M D L V.

Viſi parelij mane circa octauam prid. Id. Ian. qui obſcura nube ſtatim contecti ſunt. Iterum I I I. Cal. Ian. tempeſtas ventorum & fulgurum per hanc totam ditionem fuit: multa templa, multæq́ arces de cœlo tanguntur. *Parelij.*

Georgius Schleinicius Schiricius, trium Ducum Saxoniæ conſiliarius, virtute & experientia multa præditus, qui Palæſtinam adoleſcens adierat, Dreſdæ moritur X. Cal. Februa. ætatis X L I I I. ibidem conditus. In Afrano tale habet cenotaphium:

Nobilitas, & opes, & clari fama laboris,
Et ſtudijs mores excoluiſſe bonis,
Magna viro laus eſt: ſed nil præclarius illa,
Quàm patriam, & verum quàm coluiſſe Deum.
Laude hac, Schleinicia de gente Georgius ortus,
In vita fuerat, morteq́, clarus erit.
Hunc tumulum nati charo poſuere parenti,
Et dulci coniunx officioſa viro.

Ludus Theologicus tollitur, & adoleſcentes ſtipendiati Lipſiam remittuntur. Quid Apium examen portenderit, declaratũ eſt. Maiorum ſapientia ſtatuit, eas profeſſiones, quæ ad Eccleſiam & Rempub. conſer-

uandam,& ad publicam concordiam ſtabiliendam pertinent,in locis celebribus,& magna doctorum frequentia eſſe exercendas.

Volfgangus Eilenburgius ludi ſenatorij adminiſtrationem accipit XVI. Cal. Iun. Eius nunc collegæ ſunt Thomas Faber Fribergius, vir eruditus & diligens,& poëta pius: Georgius item Ditericus,& Sigiſmundus Badehornus ciuium filij.

Hortum ſuum cœpit colere D. Chriſtophorus Leuſchnerus,eumq; ornauit mediocri ædificio,& muro lateritio cinxit. Culturam plantarum primùm exercuit Torgæ in horto honoratiſs. viri Ioachimi Kreichij: deinde in patriam ſuam, vrbem Miſnam,tanquam in coloniam tranſtulit plantas & arbores: quas propter ſtudioſos homines, ad finem huius ſcripti, nominatim adijciemus.

Iohannes IX. Præſul. Defuncto Nicolao II. Præſule, eligitur Vurcinæ IIII. Cal. Iun. Iohannes IX. de gente Haubitia,qui modò ex Italia venerat.

Elect. F. Dux Saxoniæ naſcitur Dreſdæ oct. Calend. Octobris.

Inter ſpacium non planè annuum tres moriuntur pontifices, Iulius III. & Marcellus II. Etruſci, & Paulus IIII. Neapolitanus. *Tumultus contra Præſulem.* Contra hunc Præſulem Iohannes Carolouicius, controuerſiam mouet triennio pòſt, in qua ciues aliquot Vurcinenſes occiſi, & Præſul ditione exutus eſt: quæ violentia ne progrederetur longius, illuſtriſs. Saxoniæ Elector, Dux Auguſtus,motum ſedauit,diœceſem Stolpenſem permutauit cum Mulbergia,& ditionem reliquam integram reſtituit.

Vir venerabilis Lucas Vueſener, ex Afrano Canonico, vrbis Diaconus,obit V. Idibus Decemb. ætate admodum prouecta.

M D L V I.

Ciuis Glashuttenſis lembo præteriens,non ſoluto naulo,prid.Cal. Martij ſubmergitur.

Cometa. Cometa viſus à die III. Non. Martij, vſq; ad vltimum Aprilis. Secuti tumultus Turcici & Liuonici, bellum Vngaricum, prælia Italica & Gallica.

Cœmeterium in vrbe prope ædem Marianam humo effoſſa cœptum contrahi, ad eam planiciem dilatandam,qua ad res venales ciuitas iam vtitur.

Domus ciuis cuiuſdam è regione Fori à Fœminis dicti,verſus portam Iudaicam ſeu Lanariam,vetuſtate corruit: familia & liberi per feneſtras ſeruati; focus ardens & iamiam ligneos parietes corripiens aquis reſtinguitur.

Cædes indigna. Serrarius quidam ad eandem portam iuxta templum habitans, tormento bombardico miniſtrum ſuum incautus traijcit XI. Cal. Septemb.

Obijt Erfurdiæ VIII. Cal. Septemb. vir venerabilis, in hac vrbe natus M. Sebaſtianus Steùda,iam ſeptuagenarius, qui docuit Magdeburgi,in Vallibus,in patria,Numburgi, Erfurdiæ. Diaconatus primùm geſſit: ſed Magdeburgi ſucceſſit, ad S. Spiritum Iohanni Fricebanſio paſtori: in Vallibus Volfgango Calliſto: Erfurdiæ, doctori Iohanni Langio: Miſnia & Numburgo preſſus calumnijs cedere cogebatur.

Primi ſtipendiarij. Eodem anno IX. Cal. Septemb. adoleſcentes ſex ſtipendiarij ludi illuſtris, primùm Lipſiam miſſi ſunt. Hieronymus Magdeburgius,qui in aulam

aulam Ludouici Heſſiæ Landgrauij venit, Gregorius Berſmanus, qui in ludo Portenſe docuit, poëta ſuauis: tres in miniſterio Eccleſiaſtico verſantur, Iohannes Siglicius, Antonius Reichius, Andreas Agricola. *ludo Miſnenſi.*

Incendium in domo Chriſtophori Pflugeri coſ. ſuſcitatur, V I I I. Calen. Septemb. cuius ædificium poſticum crematur. Iohannis Fruſchij Syndici Miſnenſis domus contigua conſeruatur. Hic & compater & affinis meus, in his Annalibus colligendis, ſuo ſtudio & beneuolentia plurimùm mihi profuit, libroſq; quos habuit, & alia liberaliter ſuppeditauit.

Vnius anni ſpacio, intra domos ciuium, orta quinquies ſunt incendia, ſed reſtincta ſine detrimento, Dei miſericordis bonitate. *Calamitates auerſæ.*

Viſæ trabes lucidæ in parte cœli aquilonari, poſt ſolis occaſum, Non. Septemb. Secutus Inter Albim & Muldam terræmotus, Cal. Octob. *Terræmotus.*

Ciuis quidam ex ægritudine & errore animi contraxerat Inſaniam, in quo morbo de domus tecto ſe præcipitat I I I I. Calend. Decembris.

MDLVII.

Albis menſe Ianuario bis frigore conſtitit: rupta glacie Cal. Febr. ita die altero excreuit, vt ædificijs vicinis, & cellis ſubterraneis plurimum daret damni. *Inundatio.*

Ioachimus Augusti Elect. F. naſcitur Dreſdæ V Calen. Maij.

Ad iudicium Eccleſiaſticum vocatus vir clarus, & eminens D. Iohannes Embden viri ornatiſſ. Leuini Iurec. & coſ. Magdeburgij filius: qui adhuc præeſt cum auctoritate.

Menſibus Septembri & Octobri arbores & plantæ, denuò flores emittunt: fraga matura decerpuntur I X. Cal. Octobr. roſæ, X V I. Calend. Nouemb. Morbus epidemicus paſſim graſſatur catarrho, tuſſi, raucedine. *Superfætatio.*

MDLVIII.

Infans in vtero materno ter claros eiulatus edidit, matre in templo audiente conciones I I I I. Non. Ian. Menſe altero infans editur in lucem incolumis. *Infans plorans in vtero.*

Sophia Leonardi Badehorni Iurecconſulti mater, V I I. Cal. Mart. obit, quæ tale habet epitaphium:

Hic tumulus Sophiæ eſt, Badehorno iuncta marito,
Quæ ter quinque thori pignora caſta dedit.
Illa ſui ſexus decus, hac bene vixit in vrbe,
Et nunc in cælis pignora chara videt.

Iohannes Fabricius filius meus primogenitus obit prid. Idus Martij, cuius tumulo eſt hoc diſtichon inſcriptum

D. O. S

Vixit quinque dies: viuo nunc omne per æuum,
In Chriſto factus rurſus imago Dei.

*

Mors mea, vita mea eſt.

Partus monſtroſus. Naſcitur x. Calend. Iulij infans monſtroſus, qui in capite carnoſos flexus habuit, vt nunc ingentes ſpiræ mulierum ſolent eſſe, quibus reticula & flammeola imponunt.

Cometa. Cometa viſus v i i i. Idus Auguſti, durauit vſque ad v i i i. Calend. Septemb.

Hector Auguſti Elect. Sax. filius naſcitur Dreſdæ Nonis Octobris.

MDLIX.

Caſus pueri. Filius Simonis Crameri ſenatoris, de feneſtra, in vico, quem ante bis nominaui, cecidit, primùm impingens brachio in valuam feneſtræ inferioris, & porrò in viam cadens ſilice ſtratam; ſine læſione tamen alicuius membri.

De his ternis liberationibus libro Pæanum II. ita meminimus:

Hoc vidit vrbs, quæ nobili
Prouinciæ nomen dedit,
Vna in platea, tres tribus
Vicibus cadentes, Angelo
Cuſtode vitam ducere.

Iohannes Krigmanus, qui Mauortium ſe nominauit, D D. Mauricij & Auguſti Saxoniæ Ducum in pueritia magiſter fuit, pietate & doctrina præſtans, paſtor Colonienſis ad Albim, moritur x v. Cal. Octob.

MDLX.

In hac vrbe fuit i x. Cal. Auguſti inclitus & illuſtris Princeps Iohannes Albertus, Dux Megalopolenſis: qui ludum illuſtrem diligenter inſpexit, & ab Illuſtriſs. Saxoniæ Electoribus præclarè inſtitutum, pro ſua ſapientia & iudicio excelſo, magnopere probauit.

Exemplum humanæ felicitatis. Georgius Commerſtadius, Iureconſ. in hac vrbe natus, Calcereuti arce ſua moritur v i. Cal. Ian. Reinerſdorfi in templo ſepelitur. Excellente dignitate tota vita præditus, & Ducum Saxoniæ quatuor conſiliarius, fortunæ inter homines felicis exemplum.

Portentum cœli ardentis. Cœlum ardens viſum i i i i. Cal. Ian. ab hora quarta matutina vſque ad ſextam.

Chriſtianus Auguſti Elect. F. Dux Saxoniæ naſcitur i i i. Non. Nouembr.

MDLXI.

Obiit i i i i. Non. Auguſti vir reuerendus Iohannes Albinus ſuperintendens, & i i i Vir conſiſtorij, qui in his terris docuit annos tres & viginti. In expeditionibus Illuſtriſs. Ducis Saxoniæ Mauricij, Belgica, Vngarica, Sueuica, Saxonica, ſecurus caſtra eſt: vir fide & conſtantia ſingulari. Cui Volffgangus Crellius Miſnenſis, vir eruditus, pietatis ergò hoc ſcripſit Epitaphium:

Qualis Ieremias, lachrymis qui plenus amaris
Aſpexit patriæ publica damna ſuæ,

Talis

Talis eras Albine, malis exercite curis,
Dum ſacrum duro tempore munus obis.
Ah quoties furor, & rabies liuoris acerbi,
Officij ceptas detinuere vias!
Ah quoties fida Chriſtum ne voce ſonares,
Subdolus aſtuta reſtitit arte Sathan!
Sed tua te pietas, & mens ſibi conſcia veri,
Juſsit in aduerſos fortiter ire duces,
Et meritum Chriſti ſacro defendere verbo:
Tantus in ardenti pectore zelus erat.
At nunc, feſſus vti duro certamine miles,
Arma ſolet, facta pace, referre domum:
Sic venerande ſenex, tua longo fracta dolore,
Jn terra recubant molliter oſſa ſinu:
Exurgentq́; iterum lætas rediuiua ſub auras,
Venerit huic mundo quando ſuprema dies.
Tunc tibi defenſæ reddentur præmia cauſæ,
Alba ſtola, & ſuperûm facta corona manu.
Jnq́; beatorum dulci lætabere cætu,
Pax vbi perpetuos floret amœna dies.
Jnterea dicat, tumulum quicunque ſalutat,
Hic ſunt diuini militis exuuiæ.

Andreas filius meus quartus, obijt XVIII. Cal. Sept. cuius tumulus ſic inſcribitur: D. O. S.

Viuis in amplexu Chriſti, dulciſsime fili,
Et quo lætetur mens tua ſemper habes.

*

Soluor morte mea, Chriſti virtute reſurgo.

MDLXII.

Cœmeterium extra vrbem ampliatum, & à lateribus additæ ſunt porticus.

Nocte præcedente Idus Martias viſum cœlum ardens, tertiò pôſt conſecutus typhon horrendus.

Tranſijt hâc impoſtor ille Iohannes Vader Turingus, VII. Cal. Aprilis. Aderât fortè tum in eodem hoſpitio legati Cæſarei, qui ei minabantur, ſe ad remos ipſum vincturos, ſi ad Imperatoris aliquam vrbem propius accederet. Eius fraus hypocritica & malefica eſt à Norinbergijs deprehenſa, in quorum vrbe virgis cæſus, atque ditione expulſus eſt. Meminit eius nebulonis fraudulenti, in libro de præſtigijs Iohannes Vierus Medicus Cliuenſis, vir doctiſſimus. *Impoſtor.*

Maria

Maria Auguſti Elect. F. Torgæ naſcitur. VIII. Martij.

Fridericus Vuilhelmus Dux Saxoniæ, Ioan. Vuilhel. F. primogenitus naſcitur Vinariæ XXV. Martij.

Obit Cal. Maij Ianfridericus Grimillerus, & pietatis & literarum ſtudioſus, cui paterno mandato tale factum epitaphium in templo Afrano.

D. IMM. S.

Hunc pietas tumulum ſibi vendicat, indole iuncta,
Quæ vita in pueri conſpicienda fuit.
Terra Boema dedit vitam. Miſena ſepulchrum,
Inq; Deo pacem Janfridericus habet.

Paulus Grimiller à Trebſeo Iohanni Friderico F. P. P. P. P. Obijt Cal. Maij ætatis ſuæ anno XV.

Maledicus perit. Eodem anno menſe Iulio, cum ebrius quidam per pontem Albinum tranſiret, & obuijs malediceret, lapſu decidens, in aqua perijt.

Simon Piſtorius Iureconſ. habitans Suſelicij, vno ab hac vrbe milliario, obit Non. Decemb. ducum Saxoniæ Cancellarius: qui talem habet ibidem in templo tumulum.

D. O. M.

Simon Piſtorius I. V. Doctor obijt III. Decem. Anno Chriſti M. D. LXII. ætatis LXXIII. pater liberorum XXIII.

Vita noſtra fidei vita eſt, non contemplationis:

Simon Piſtorius I. V. D. in erudita familia natus, magnis honoribus functus, eruditos & honoratos linquens filios ſuperſtites, quem vrbs Papia docuit, patria Lipſia ornauit, aula Saxonica obſeruauit, ſub hoc ſaxo corpore conditur, animo viuit felicitate ſempiterna. Obijt anno M. D. LXII. die III. Decemb. hora V. Pomeridiana.

Conditur hoc tumulo Simon Piſtorius, atque
A patre præclaro nomen auoq; tulit.
Saxonica vixit qui Cancellarius aula,
Vltra quinque gerens luſtra, regentis onus.
Ingenio præſtans, ſtudio indefeſſus, honore
Summus, conſilijs vtilis, ore potens.
Quod mortale fuit, tellus tenet, inclita fama
Nominis haud vllo ſtat violanda die:

P. C. P. C.

Patri clariſſi. filij modeſtiſſ.

Felicitas familiæ.

Nicolaus Med.	Valentinus Schmidburg Medicus.
Simon I. Med.	Henricus Schmidburg Iur.
Simon II. Iur.	Iohannes Pfeil Med.
Chriſtophorus Med.	Henricus Scheib Iur.
Modeſtinus Iur.	Materna de familia Auus, Auunculus, conſobrinus Sobrinusq;.
Filij Nepoteſque.	

Eodem

Eodem anno XIII. Cal. Ian. Haupoldus Schleinicius Iohan. filius Condæo duci Gallorum militans oppetit: qui tale habet in ſacello Afrano cenotaphium.

Haupoldum primis pugnantem vidit in armis
Gallia, Schleinicia nobile ſtirpe ſatum.
Ante Trecas cecidit, dum perſtat feruidus hoſtis,
Signa nequans vno ter repetita die.
Quem ſua gens, & quem mœſti fleuere parentes,
Sed lætum cernent mox meliore loco.

Blaſius filius meus quintus, obit prid. Calend. Ian. ætatis menſe ſeptimo, cum hoc titulo.

D. O. S.

Geſtauit teneris te ſedula mater in vlnis,
Nunc manus excelſi te fouet alma Dei.

★

Terrena vide, cœleſtia crede.

MDLXIII.

Iter hâc fecit IX. Calend. Maij, vir eruditus & honeſtus Georgius Littauius, cum ſeptem Polonis nobilibus, quibus ipſe in Academiã Lipſienſem deducendis erat adiunctus comes & Magiſter, cui triſtiſſimus iſte caſus nec opinanti accidit: nam ad Zettam fluuiolum, Lomacio vicinum, dum veniſſet, & adoleſcentes aliquot, animi cauſa iuxta currum ambularent: bombardam in curru emiſſurus, obuium ex improuiſo habet Valerianum Taſchitium, vnicam parentum prolem, cui frontem globo incautus traijcit. Georgius licet inuitus factum commiſerat, fuga ſalutem quærit, in qua luctu & mœſticia, vt aiunt, conſumptus eſt: ſed adoleſcens altero die extinctus, in templo Lomacenſe ſepelitur. *Caſus miſerabilis.*

In feſto Pentecoſtes menſe integro Albis excreuit. Ab Aprile vſque ad Auguſtum, raræ aut nullæ pluuiæ, ſed tempore meſſis, multæ. Prouentus frugum difficilis. *Caritas frumenti.*

Ioannes Caſimirus, Ioann. Friderici II. Ducis Saxoniæ F. naſcitur XII. Iulij.

Dorothea Auguſti Elect. Sax. F. naſcitur Dreſdæ IV. Non. Octob. hora 4. pomerid.

Eodem anno obit menſe Nouembri Nicolaus Mylius, viri clariſſ. Andreæ frater, qui in ludo Suerinenſe Muſicam docuit, Rectore Matthia Daberchuſio.

M. Alexius Prætorius Paſtor Miſnenſis, prid. Id. Octobris moritur, vir bonitate, doctrina, moderatione præſtans, Superintendens, & IIIVir Conſiſtorij, cui tabula poſita eſt cum hiſtoria Eliæ & Eliſæi, quam pinxit Samuel Orthobachius ciuis. Ei ſubſcriptum bonorum ciuium deſiderio tale epitaphium.

D. REDEMTORI S.

Cernis vt ignitis raptetur ad alta quadrigis,
Spectatus celſa mente, propheta Dei.
Sic quis Chriſtus amor, quis Chriſtum cura docere,
Ad cœli niues caſtra vehentur equis:
Inter quos etiam nunc tu lætaris Alexi,
Addite cœlicolis pars veneranda choris.
Et quem Miſniaca docuiſti paſtor in vrbe,
In claro illius lumine, lætus agis.

D. Alexio Prætorio doctr. moribusque Reu. de Eccl. opt. merito, ciues Miſnenſes grati poſ. Obijt anno ætatis XXXIX. Chriſti nati M. D. LXIII. M. O. D. XIIII. Concionem de eius morte in publicum edidit Volfgangus Bemus, eius Diaconus.

MDLXIIII.

Hiobi Magdeburgij collegæ mei vxor, Dei & mariti obſeruans obit XIII. Cal. Maij.

In hanc vrbem à ſenatu vocatus paſtor, venit V. Cal. Martij, reuerendus & doctiſſ. vir M. Caſparus Eberhardus, conſtitutus ſimul IIIVir iudicij Eccleſiaſtici: qui hoc tempore linguam Ebræam illuſtriſſ. Electoris mandato etiam docet in ludo illuſtri.

Naſcitur in hac vrbe Chriſtianus, Eraſmi à Pforta viri nobilis filius, Cal. Aprilis.

Pœna prouocatoris. Marcus Schuttigius alium ciuem prouocans inermem, ſuo ipſius gladio, octo conficitur vulneribus, VIII. Calendas Auguſti.

Frigus. A menſe Decemb. vsq; ad Mart. anni alterius, frigus valde intenſum.

Sigiſmundus & Georgius Kernij piſcatores pater & filius, hæc piſcium genera ex Albi numerarunt, quorum

I. Alij hoſpites ſunt, qui è mari aſcendunt, nec durant diutius, & tandem ſiderantur atque intereunt.

Lachs/ Eſox. Salmo barbarum eſt.

Stöer/ Sturio. Item barbarum. Iouius Silurum, Curio Secundus Attilum, Rondeletius acipenſerem eſſe putat.

Ziege vel Goltfiſch/ Vetula fluuiatilis, Alauſa Geſnero.

Halbfiſch/ paſſer.

Lampret/ Lampetra fictum. Nic. Perottus, & Car. Figulus aiunt muſtelam eſſe Auſonij.

Neunauge/ Muſtela leuis.

Wels/ Amia, vel (vt Geſnerus) Silurus, non verè.

II. Alij è fluminibus aut riuulis inferuntur,

Fore/ Aurata vel Variolus. Georgio Agricolæ putatur Salar eſſe Auſonij.

Aſchen. Thymallus, Ombra barbarum eſt.

Olrupen. Muſtela Bellonij.

Steinbeis/ Gobio fluuiatilis.

Babſt oder Mullen. Citharus.

Smerling/ Turdi.
Steinſchmerling/ Turdi ſaxatiles.
Eldritz/Bdella.
Stichling/Columbi.
Schlei/Scorpius. Geſnero tinca,neſcio quàm bene.
Aal/Anguilla.
Beisker/Muſtela varia. Hic ſolus piſcis emittit ſonum.
Alij proprij & quaſi domeſtici ſunt huius fluminis, 111.
Hecht/Lucius.
Carp/Carpio, barbarum eſt,Carpa Eraſmo. Cyprinus.
Leiner vel Morſling. Carpiones quibus neque lactes neque oua ſunt.
Streifberſing/Perca.
Kaulberſing/Perca minor,Agricolæ.
Parme/Mullus,Ciceroni barbatus,Barbus Auſonio.
Jeſen/Aloſa vel Alauſa, Claudianus, Obloniа plebis Aloſas.
Dibel ſeu Elten/è gobionum genere.
Rap. Proprius piſcis Albis, optimi ſaporis aſſatus, è genere Coracinorum. Capito fluuiatilis,Geſnero.
Bleße vel Braſen/Praſinus.
Heſeling/Aſellus.
Geuſer
Rotengel/Rubelli.
Zerten
Grundling/Funduli.
Ocklen/Weisfiſch/ Alburni.
Karas/ è carpionum genere.
Oberkottigen/Gobionis genus.
Schneppelfiſchgen/Phoxini Geſnero.
Krebs/Cancer vulgò, veriùs locuſta.
Schnecken/Cochleæ biualues, & turbinatæ.

Addam etiam Auium nomina, quæ aut in ipſo flumine viuunt,aut certè circa ripam verſantur, quarum mihi copiam fecit, vir diligentiſſimus, Iohannes Chentmanus: & quas ijs nominibus appellaui, quæ mihi viſa ſunt aptiſſima.

Brandgenſe/
à colore nigricante: vt Brandhirſch/Brandfuſchs.
Blesling/
è fulicarum genere, auis parua.
Bachſtelze/Waſſerſtelze.
Saxonibus ein ackermencken/Motacilla, Iunco.
Flaua, à colore ventris,
Viridis.
Eiſuogel/ Halcedo, Iſpis.
Ente/Anas
Groſente/Anas magna, Penelops: inſigni collo propter colorem puniceum & viridem.
Mittelente/ Boſcas, anas mediocris.

Krucentlein oder Krichentlein / Querquedula Varroni, anas parua.

Löffelente. Platea. Item Breitſchnabel/ à lato roſtro.

Langſchnabel. Longiroſtra.

Rote ente. Glaucium.

Tauchente. Mergus.

Mörente/wilde ente. Anas paluſtris

Weiſſe ente. à colore candido.

Bunte ente/ à colore vario.

Facke.

Gans. Anſer, Ganſa Plinio.

Löffelgans. Pandiroſtra

Schnegans/ quaſi niualis

Sehegans.

Schwemgans. Phalocorax. Iunio.

Welſche Gans. Anſer magnus, Penelops. Quicquid enim excellit magnitudine, id Germani appellant Italum.

Stoppelgans/Chenelops. vt Trochus Aſcanienſis exiſtimat,

Wilde Gans/quaſi fera & peregrina.

Himmelzige. Vanellus. Capella Theodoro Gazæ.

Kranich. Grus. Auis Palamedis. *Quæ Pygmeo ſanguine gaudet auis,* rex ranarum: iuxta apologum.

Kibitz. Gauia cinerea, Geſnero.

Mibe. Larus.

Magnus. groſſe mibe

Paruus, kleine mibe

Varius, bunte mibe

Giluus, cum pedibus rubeis, graue mibe

Cinereus, cum pedibus puniceis, aſcherfarbe mibe.

Albus, weiſſe mibe. Quorum hoc anno maxima fuit copia, cùm rari aliâs appareant, & tantùm Martio atque Aprili menſibus.

Münchle/Curruca aquatica. Atricapilla Gazæ.

Pilwenckgen/Fligenſtecher. Cynclus, Iynx. Muſcilega & Culicilega, quòd muſcas & culices inſectatur. Roſtro longiuſculo, vox eius tenuis & quaſi flentis. Auis veridica, nam quo loco ponit oua, vltra eum aquę fluminum non tranſcendunt. Ponit autem in ripa ſub aliquo lapide.

Rordümmel. Ardea ſtellaris, à colore & punctis: à voce, Onocrotalus. alijs nominibus eine Möſku vel ein Moſochſe/ quòd boatum vaccæ ſeu tauri imitetur.

Racke/à Saxonibus Harbolle, Phalaris.

Reiger. Ardea, auis Diomedis.

Weis/ candida, ætatis primæ.

Bunte/ varia, ætatis adultę.

Graue/cana, ætatis vltimæ.

Rote/ ardea rubea.

Braun/punicea.

Santreiger/ quaſi dicas, harenaria.

Rorſperling/

Rotſperling/quaſi dicas, paſſer harundineus.
Storch. Ciconia.
Schwartzer Storch, Ciconia tota nigra.
Schwalbe. Hirundo. Vide ad finem.
Schwan. Cygnus, Olor.
Schreiender Schwan/ quaſi clamoſus.
Schnepff/Salus.
Teucher. Mergus, quaſi vrinator.
Magnus, catarractes, coruus aquaticus. Roſtrum habet ſerratum, quibus piſces maiores ſecat per medium, vt veſci præda poſſit.
Niger, Waſſeramſel.
Flauus.
Varius.
Teucherlein. Mergulus, Pumilio.
Tittulcen.
Waſſerhünlein. Tryngas.
Waſſerrabe. Vide, Mergus Magnus.
Waſſerſchwalbe. Apus.

M D L X V.

Aemilia Auguſti Elect. Sax. F. naſcitur Dreſdæ V. Calend. Febr. obit eodem anno poſtrid Calend. Quintil. infans quinque menſium & totidem dierum.

Frigus remittit IIII. Non. Martij, cum graui aquarum incremento. Iugum pontis quartum á porta, glacie fractum, abripitur: quod refectum nunc eſt, & lapidibus extructum. Erant in ponte mortales multi, quos Deus ſeruauit à periculo. Qui in parte vlteriore remanſerant, tranſire nauibus non potuere: & ideo Dreſdam plerique ibant, vt ex hac ripa parte ad ſuos redirent. Docuit id adoleſcens, cui in alterum diem mane nuptiarum celebritas erat conſtituta, qui vt in tempore adeſſet, tutius iter Leandro Abydeno eſt ingreſſus.

Metallicus quidam fontem trans Albim prope diui Bartholomæi ædem, purgare, altiusque iuſſus effodere, ſubitò moritur, aura correptus lethali, quæ Suada vocatur lingua vernaculae: aër videlicet ſub terris contentus & incluſus, qui cùm liber & perflabilis non ſit, corrumpitur, & fit peſtilens. Colligitur in puteis aut antris aquatum, vt Varro nominat, ſtatiuarum. Aquis autem innatans & quaſi inhærens, quamprimùm mouetur, necat virulentia, vt foſſores vſu membrorum adempro, confeſtim concidant. *Aer lethalis.*

Hac æſtate columnæ ardentes, & multa chaſmata in cœlo ſæpius viſa ſunt. *Chaſmata.*

Virgo quædam fatua puellam triennalem ex vrbe ſecum educit: cumque iuxta Trebiſam iret, vbi riuus excreuerat, nudatam veſtibus eam traducit, pòſt in agro rurſus induit. Feſſa onere deponit miſeram, cœlo pluuio & ventis horrido. Manens in agro illa tota nocte, & dimidio diei ſequentis ab adoleſcente ruſtico reperitur, iacens in facie: ab eo portatur in villam vicinam Biſuitiam. Remiſſa ad parentes ſollicitos, & interrogata quis ſibi affuiſſet, dixit, albos catellos ſibi fuiſſe cuſtodiæ. Factum hoc in die caſtorum angelorum.

Eodem anno obiit Nicolaus Spechtus, paſtor ludi illuſtris, & IIIVir iudicij Eccleſiaſtici, XIIII. Cal. Octob. ſepultus ante aram in templo Afrano.

Mors Spechto requies nunc eſt, & patria cœlum,
Quæ bona Chriſte tuo poßidet ille bono.

In eius locum ſuccedit vir reuerendus M. Iacobus Lechnerus, Lincio vrbe Auſtriæ natus, qui prima vocatione profectus Norinbergam, ad diuum Laurentium docuit annos octo: altera Miſnam, vbi docere hoc anno incepit prid. Decemb. Idem IIIVir iudicij Eccleſiaſtici.

MDLXVI.

Maria Auguſti Elect. F. obit quadrima VIII. Id. Ianu.

Inundatio. Non. Febr. vrbs Miſnæ, quâ vicos decliues habet, fuit nauigabilis, propter Albis inundationem: per tres portas cymbis & lintribus nauigatum eſt, Aquenſem, Albinam, Laniam: per hanc etiam ſic ibatur, vt nautę vertices cogerentur ſubmittere, ne ſuprà impingerent. Durauit inundatio diebus nouem.

Eodem anno Non. Maij. obiit in ludo Suerinenſe, Nicolaus Sarctorius, hîc natus: morbus fuit pleuritis: munus, docere Muſicam.

Fulmen. Arx Miſnenſis VIII. Cal. Iunij de cœlo tangitur, hora tertia veſpertina: tectorium cameræ vnius crematur: firmiſſima tigna tecti, & trabes iligneæ ita fiſſę, vt loco fomitis eſſe poſſent. Fulmen per omnia conclauia perrupit, ſuper feneſtras tranſiens, & infra eaſdem euadens, vsque ad cellariorum fundamenta.

Excedit ex hac vita VI. Non. Iulij Magdalena, venerabilis & opt. viri M. Caſpari Eberhardi natu maior filia, annum duodecimum nata, præclaræ ſpei puella,

Irriguo floret veluti flos blandus in horto,
Demittitq́; graui tactus ab imbre caput:
Occidit in teneris ſic vernans Magdalis annis,
In paradiſiacis plantula viua roſis.

Lapides tofacei. Rabſchicius pagus eſt Milticiorum, ſupra vrbem Miſnam, à ſiniſtra viæ, quâ itur Fribergum: ad eum in ripa fragmentum Orycis inuentum, quod vnicornu vocant, eſtque pro vero habitum. Ad eundem pagum mons eſt tofaceus: cuius materiæ ſunt, terra, harena, marga, & ſuccus lapideſcens: in eo tofo natura figuras varias, fiſtularum, ſtiriarum, columellarum expreſſit. Corium eius, quod ſucco lapideſcente ſuperinducitur, colore album: interdum læue ac planum, interdum ſcabrum & fiſſum, modò cerebri, modò vuarum ſpecie turgidum. Ex eo homines noſtri vrunt calcem, & tofo ad muros, cementi vice vtuntur. In eodem reperiuntur conchæ planæ & turbinatæ, & videntur folia alni impreſſa: eſtque lapis iſte minus friabilis. Colligenda manuum firmitas in Maximino Imperatore, qui ſenex lapides tofaceos, vt ſcribit Capitolinus, fricare potuit. Hæc prolixius narro, quia philoſophus præſtans Georgius Agricola, tofi huius ſæpe meminit, De rebus foſſilibus, in editione librorum ſuorum ſecunda.

Ioannes

Ioannes Erneſtus, Ioan. Friderici II. F. Dux Saxoniæ naſcitur Coburgi IX. Iulij.

In domo honeſti ciuis Volfgangi Beri, Volfgangi Coſ. filij, Simonis Richteri ciuis filius, de ſuperiore feneſtra, famulæ negligentia decidit, primùm offendens in plauſtri partem, inde cadens in viam ſiliceam: ne læderetur, defenſus eſt cuſtodia Angelica XV. Cal. Octob. *Lapſus pueri.*

Alexander Dux Saxoniæ, Auguſti Elect. F. Adminiſtrator Epiſcopatus Merſburgenſis, Dreſdæ obit diarrhœa VIII. Idus Octob. adoleſcens XIII. annorum, quem exceſſit menſibus ſeptem, diebus duodeviginti: Fribergæ ſepultus.

Bellica tormenta IX. Cal. Ian. hàc tranſuecta ſunt, ad obſidionem Gothanam, traducta per eos hortos, qui menſe Februario aqua fuerant profunda tecti, & vſque ad ramos arborum nauigabiles.

M D L X V I I.

Iohannes Siegelius in hoc oppido natus, vir integer & eruditus docet Benſenæ, in finibus Boëmiæ, patronum habens Fridericum Salhuſium nobilem virtute & pietate præſtantem.

Ditericus Schleinicius, Iohan. F. obit in caſtris ad Gotham, V. Cal. Aprilis: ſepultus Saltzę in diui Bonifacij. Miſnæ tale habet cenotaphium.

Ingenij præſtans & nobilitatis honore,
Schleinicius titulos hîc Ditericus habet.
Qui veluti viridi flos immaturus in agro,
Morte cadit, primum prælia tyro gerens.
Credidit in Chriſtum, cui ſe commiſit, & eius
Vulneribus viuens, regna ſuperna tenet.

Volfgangus Bemus, illuſtris dominæ Catharinæ, duorum Saxoniæ Electorum matris, concionator aulicus. Ea defuncta in patriam ſe confert, Eccleſiæ Miſnenſis Diaconus, & Profeſſor linguę Ebraicę primus, in ludo illuſtri. Moritur XVI. Calend. Iulij, ætatis anno ſecundo & quadrageſimo. Ei ſuccedit vir venerabilis Vrbanus Hantſchmanus, patria Orlamundanus... trantio genitus.

In hac vrbe natus M. Iohannes, Iohannis F. Morticlus, moritur X. Cal. Octobris Sundershuſiæ, generoſi & fortiſſimi Comitis Guntheri Suarceburgij concionator, integritate vitæ, & morum rectitudine eximia præditus.

Nuncius Torganus Dreſda veniens, in pago Sornitio nauiculam aufert, vt domum fortaſſe citius veniret, ſed in pontis Miſnenſis pilam impingens, mergitur III. Calend. Octobris.

M D L X V I I I.

Anna Auguſti Elect. Sax. F. naſcitur Dreſdæ XVII. Cal. Febr.

Difficultatem annonę huius anni, non prouentus frugum malignus effecit, ſed hominum auarorum execranda conſpiratio: de quibus ſcriptum eſt, viſcera impij crudelia ſunt. *Caritas ex tyrannide.*

Obit xv. Cal. Martij anno ętatis quinto & ſeptuageſimo Gerdrudis Mollerina, ludo puellari præfecta, matrona pientiſſima, quæ docuit in hac vrbe Catechiſmum & preces annos tres & viginti. Cum hoc dicto Dauidico vitam poſuit, IN TE DOMINE SPERAVI, NON CONFVNDAR IN AETERNVM. quòd his verbis, linguæ non ignara, protulit.

Lapſus pueri. Eraſmus filius Volfgangi Bemi Diaconi, anno ſuperiore defuncti, de feneſtra delapſus, manu Angelica, ne quid ei aduerſi accideret, defenditur, puer annorum quatuor, III. Id. Iunij.

Puerpera in morbo capitis graui, in puteum ſe abijcit, XI. Cal. Iulij. Puteus terra oppletur, & alius non procul inde foditur.

Oppreſſi operarij. Opprimuntur ruina montis, operarij duo ruſtici, qui ad ædificationem domus venatoriæ, materiam parieti faciendo fodiebant, III. Non. Iulij.

Tria pontis iuga è ligneis facta lapidea ſunt, quorum vltimum eſt hoc anno abſolutum, cùm ſingulis annis facta ſint ſingula.

Nocte intempeſta, quæ ſecuta eſt diem VII. Calend. Augusti, poſt ſtellarum traiectiones frequentiſſimas, ſtatim poſt horam duodecimam, terræ motus ſequitur. Initiò auditus fremitus, poſtea facta concuſſio, quod genus μυκίζαν Philoſophi nominant.

Dardanarij tyranni. Tempus metendis frugibus hoc anno ſerenum & commodiſſimum, meſſis copioſa, præter ſpem & vota Dardanariorum, qui ex egentium penuria & fame quæſtum facientes, diteſcere iniuſtè & turpiter cupiunt, & ipſos tyrannos auaricia vincunt.

Obit placidè XIII. Cal. Octob. viri venerabilis M. Bartholomæi Clamorini Diaconi Miſnenſis vxor, die poſt partum decimo.

Suſtinuit partus, ſed non ſuperare dolores,
Inuictaq; necis triſtia iura poteſt:
Sed quia Chriſte tuo confiſa eſt ſanguine iuſto,
Vualpurgis, ſæuam vicit & illa necem.

Poſt occaſum ſolis VII. Cal. Oct. viſum Chaſma, in parte orientali, quod ad occidentem ſe extendebat, & ad cœli ferè aſcendebat medium. Motus in eo varij, & coruſcationes flammeę, per quas etiam ſtellæ erant conſpicuæ: durauit horas ferè quatuor.

M D L X I X.

Ceruus XVI. Cal. Martij vrbem introijt, vsque ad forum veniens, deinde per eandem qua venerat portam, exibat.

Moritur phthiſi Cal. Februarij in ludo illuſtri Laurentius Otho Hertzbergius, qui cùm admoneretur à præceptore, vt delictorum meminiſſet, & à Chriſto eorum veniam atque remiſſionem expectaret: reſpondit, Nullum amplius delictum noui, quia Chriſtum habeo redemptorem.

Chaſma. Veſperi VI. Id. Martij viſum eſt chaſma in plaga Septentrionali.

Albis aliquot cubitorum altitudine creuit Id. Mart. biduo typhones vehementiſſimi, & torrens Trebiſa tertiò glacie conſtitit.

Rurſus viſa ſunt chaſmata XV. & XIII. Cal. April. Moritur domi meæ

meæ XII. Calend. Aprilis, nobilis & modeſtus adoleſcens, Hugo à Maxen Luſatius, in templo Afrano magnificè ſepultus.

PARATVM EST COR MEVM DOMINO,
PARATVM EST COR MEVM.

DEO OMNIPOTENTI SACRVM.

Hugo decus gentis Maxenæ, flore iuuentæ
Concidit: vt rigua flos ſpecioſus humo.
Fatalem in morbis varijs cùm cerneret horam,
Ad Chriſtum toto pectore verſus, ait:
Eſt tua delictis maior clementia noſtris,
Victor, Chriſte tuo ſanguine, mortis ero,
In te credo vnum, corpus tibi pono caducum,
Inq; tuam patiens omnia trado manum.
HVGO Dei viuens templum fuit, atque quieſcens
Nunc, colit in cœlis aurea templa Dei.
Eliſabetha parens, dilectaq; nomina fratrum,
Hoc mœſti titulum conſtituere loco.

OBIIT AN. ÆTATIS XVIII.

Hugoni à Maxen Luſatio, genere & virtute nobili, in Chriſto pientiſſ. defuncto XII. Calend. April. Elizabeth à Gersdorf Mar. Iohan. Fr. conſang. Martinus & Venceslaus frat. germani, hoc mon. vnan. pon. cur. an. Chriſti M. D. L X I X.

Poſt vndecimam, & iterum poſt quartam horam, VI. Non. Maij, tres ſoles viſi, quorum extrema duo corpora iris ſupernè coniungebat: nocte ſequente totidem viſæ lunæ: vna corpori vero impoſita, altera ad latus dextrum adiuncta. *Parelij & paraſelenij.*

Moritur ludi illuſtris quæſtor Volfgangus Gerſtenbergius, XIII. Calend. Iunij, qui ſuo muneri diligenter præfuit ſexennium.

Cremantur per incendiarium Calend. Iunij, domus tres, & ſeptem horrea, vltra traiectum Albis inferiorem.

De cœlo tangitur XVIII. Cal. Iulij, domus Pauli Papæ, vrbis huius ſenatoris & ſcribæ, hora quarta pomeridiana. Fulguris flamma in lecto incendit ſtramen, ſed ſtatim extincta eſt. Eodem die, & eadem hora tangitur Fribergi templum diui Petri. *Fulmen.*

A die XII. Calend. Iulij, vsque ad XIII. Cal. Aug. ingentes & ferè continuæ pluuiæ. Albis incrementa capit ſexies. Vir quidam qui ligna excipiebat cimbula, mergitur. Agris illata eluuione magna vaſtitas, non ſolùm imbribus de cœlo, & in locis quibusdam grandine, ſed etiam ruptis fluminum & piſcinarum aggeribus. *Pluuia eſta..*

Tempeſtas

Tempeſtas fulminum XIIII. Calend. Auguſt. durauit ab hora octaua, vſque ad quartam pomeridianam. In hac vrbe tactum templum ludi ſenatorij hora prima. In locis vicinis ſtrata ſunt in agris, & in ſtabulis armenta, & paſſim exanimati homines, & ruſticus ille adoleſcens Biſuttius, qui puellam ſeruauit, de quo dixi antea, tactus, arſit triduum toto corpore, poſtea mortuus.

Inter ortum vernum & æſtiuum x. Cal. Auguſti, & diebus tribus ſequentibus ſingulis ſingulæ viſæ irides, paulò ante crepuſculum integris ſemicirculis luciſſimæ. Secutæ frequentes pluuiæ.

Ambroſius Orthobachius, vrbis huius conſul, in liberis elocandis hactenus pater felciſſimus, duabus filiabus orbatur intra dies quinque. Martham enim puerperam effert XVI. Calend. Octob. vxorem optimi viri Volfgangi Eilenburgij: Catharinam viduam XIII. Calend. Octob. nuptam Volgango Blade ciui honeſtiſſimo.

x. Calend. Octob. media nocte ingentes coruſcationes durarunt horis duabus, ab vndecima vſque ad primam. Eo die obijt Margaritha vxor Hugoldi Schleinicij, quæ vidua vixit, annos ſex & quadraginta. Mariti tumulum lege ſuprà 1523.

VIII. Cal. Octob. ante tertiam veſpertinam, viſi parelij, extrema corpora iris lactea coniungebat.

M D L X I X.

Iudicij Eccleſiaſtici IIII. Vir D. Paulus Crellius Theologus huc venit v. Id. Octob.

Id. Octob. Hiobo Magdeburgo, qui annos viginti ſeptem hic docuit, ſuccedit M. Fridericus Benſoldus, Profeſſor Academiæ Ienenſis.

Propter continuas pluuias vindemia differtur in finem Nouembris.

Auguſtus Auguſti Elect. Sax. F. naſcitur Dreſdæ x. Cal. Nouemb.

VIII. Id. Decemb. in pago Neudorffo Diœceſis Hanenſis puella nata, parte anteriore corporis aperta, inteſtinis propendentibus, obijt quarto à partu die.

M D L X X.

Morbus puerilis exanthematum initio huius anni graſſatur. Viſum eſt pridie Id. Ianu. Chaſma in plaga ſeptentrionali ab hora vndecima noctis, vſque ad tertiam matutinam.

XIII. Cal. Feb. in pago, nomen à Siffrido quodam habente, quem Haubiciorum familia poſſidet, puella naſcitur capite grandi, ſine oculis, ſine naſo, minutiſſimo ore & lingua, auribus intortis. In fronte ſpecies fuit hermaphroditi. Inter enitendum, triplum parte poſteriore cranium ſtillando emiſit. Totum corpus flaccidum atque emortuum: adeo vt leui tactu cutis detraheretur.

Pictura manifeſta morum huius ſeculi, cui modò ad pietatem & diſciplinam ſenſus omnes hebent & deſunt. Cerebrum amplius nullum eſt, & impudicitia habitat in fronte, & vires naturales tam animi quàm corporis prorſus elanguerunt.

Suſcitatur ignis XVIII. Calend. Feb. in duobus locis: ſed ſtatim reſtinguitur.

Eodem die Apoplexia ante aram concidit Chriſtophorus Col. Miſnenſis

nenſis in Cmela Luttichiorum pago. Vxor eiusdem mærore confecta, vndecimo die pòſt etiam ſubitò extinguitur.

Die 13. Cal. Feb moritur nobilis matrona Anna Reehenbergia, in templo vrbis ſepulta.

Diebus ſingulis Albis aliquot vlnarum altitudine creuit, vnde Inundatio talis facta, qualis hominum memoria non fuit. Secuta ædificiorum labes & agrorum vaſtitas. Incepit 4. Cal. Feb. & durauit vsque ad octauum Id. eiusdem menſis. Fuit iisdem diebus magna etiam ventorum tempeſtas.

Auguſtus II. Auguſti Electoris filius 23. Ianuar. Dreſdę moritur menſes natus duos, dies xxv.

Ancillula ciſtā heri perſcrutans & candelam incautius pulueri tormentario admouens ignem excitat, & ſeipſam lethaliter lædit. ix. Cal. Martij.

In ſenatu iii. Cal. Maij apoplexia concidit vir honeſtus & integer Donatus Badehornus, Leonardi Iureconſulti frater, & vrbis huius ſenator, qui die nono pòſt moritur.

Intra anni ſpacium duo alij ex ſenatoribus Iohannes Sorgenfreius & Simon Cramerus ſunt mortui.

Incendium factum in culina ludi illuſtris, familiæ negligentia. xvi. Cal. Iun. quod maiorem terrorem attulit, quàm damnum periculoſum tamen fuit & Dei beneficio reſtinctum.

Eodem die hora nona veſperi viſum eſt Chaſma igneum.

Rurſum 10. Cal. Iun. aliud Chaſma lacteum.

ix. Kl. Iun. manè hora v. matut. naſcitur Ioannes Dux Saxonię, Ioan. VVilhelmi filius ſecundus.

Septimo die poſt incendium x. Cal. Iunij è diuturno morbo illa ipſa hora inter ſextam & ſeptimam matutinam, moritur Gregorius Seidendorfius. Is ante menſem ſomnium recitauerat de lapide in tumulo ſuo inueniendo, quod poſtea ſic accidit. nam effoſſa in Afrano terra ingens ſaxum inſtrumentis remouendum fuit. Cruciatu magno ſeptimanas decem laborauit cum patientia & inuocatione filij Dei, mori cupidus: corpus apertum, & hulcus putridum inter pulmones & ſplenem inuentum, & ren ſiniſter totus flaccidus. Is talem habet tumuli inſcriptionem.

D. O. S.

Qui patriam in cælis, qui vitam in morte putabat,
Et morbi placida mente ferebat onus:
Gregorius ſaxo nunc Seidendorfius iſto
Conditur, & tumulo gaudia pacis habet.

Obijt die 23. Maij Anno Chriſti MDLXX.
Oeconomus ludi illuſtris. III.
Municipatus noſter in cælis eſt

Huic ſucceſſit Iohannes Michael Miſnenſis.

Viſi Non. Iun. quinque ſoles in ortu mane circa quintam, tres durauerunt vsque ad dimidium horæ octauæ.

Eodem tempore rate fracta viri duodecim in Albim ceciderunt, qui tamen omnes ſeruati ſunt.

Nonis

Nonis Iunij anno M D L X X. nuptiæ Heidelbergæ ſolenniter celebratæ ſunt Eliſabethæ Auguſti Elect.F.cum Ioanne Caſimiro Comite Rheni Palatino & Duce Bauariæ.

Rurſus VI. Id. Iunij tres ſoles viſi poſt ortum, inter quintam & ſextam: & alij ijsdem horis ante occaſum.

Halo iridis coloribus circa ſolem hora nona matutina conſpicuus, ſecuti venti.

Moritur phtiſi VII. Cal. Aug. Vuolfgangus Eberhardus D. Caſpari Superintendentis filius, ludi illuſtris alumnus, cùm menſes fermè ſeptem ægrotaſſet. Sepelitur in templo Afrano.

XI. Cal. Nouemb. tempeſtates ortæ, quæ durarunt vsq; ad IIII. Nonas Nouemb. Secutæ Albis & Trebiſæ inundationes.

XVII. Cal. Decemb. viſa paraſelina poſt horam ſeptimam.

XVII. Cal. Ianu. ab hora ſeptima vſque ad octauam viſum Chaſma lucidiſſimum in plaga ſeptentrionali.

In profeſto natalis Chriſti viſa parelia hora tertia pomeridiana.

Ioan. VVilhelmus Dux Saxoniæ, trahea equeſtri deſcendens ex arce Heidelbergenſi, periculoſiſſimè excutitur: contractoque naſo mento & temporibus, diuinitus conſeruatur die IX. Decemb.

Sub idem tempus Georg. Fridericus Marchio Pegnitium flumen gelu concretum tranſiturus, fracta glacie, ſubmerſionem vix euaſit: pereunt XVI. equites nobiles.

M D L X X I.

IIII. Non. Ian. viſi ſoles quatuor ipſo meridie ſplendidiſſimi, tres durauerunt ab vndecima vsque ad primam. Superior minus lucidus per horam dimidiam, quem ambiuit iris pulcherrima. Effectus præſagij.

Ioachimus II. Marchio Elector moritur Berlini 3. Ian.

Johannes Marchio moritur Cuſtrini 13. Ian.

Adolphus Auguſti Elector. Sax. filius naſcitur Stolpenæ VIII. Iulij.

Maria Ioan. VVilhelmi Ducis Saxoniæ filia Vinariæ naſcitur VII. Nouemb. hora XII. merid.

Auctor Annalium D. Georgius Fabricius moritur XIII. Iulij. anno M D LXXI. & ſepelitur Miſnæ in choro templi Afrani, cum hoc Epitaphio.

CHRISTO SACRVM

D. Georgius Fabricius Chemnicenſis, pietate, eruditione, ingenij monumentis, nominisq; celebritate apud exteros quoque clariſſimus, Euangelij illuceſcentis tempore Poëta Chriſtianus excellens, Grammaticus acutus, Hiſtoricus Saxoniæ Electorum elegans, Scholæ Illuſtris Miſnæ annos XXVI. fideli & felici inſtitutione Rector induſtrius, laborum ſanctorum patiens, doctiſſimis omnibus charus, ſuis deſideratus, ætatis annos LVI. M. II. D. XIX. complens anno Chriſti Seruatoris M. D. LXXI. M. Iulio D. XIII. in functione pia plè defunctus eſt: Quicquid mortalitatis habuit, in hoc quietis cubiculum poſteris memor. cauſa venerand. depoſitum eſt. M. Magdalena vxor, Georgius, Iacobus, Henricus, Chriſtianus, Magdalena, Margreta, Anna liberi orphani, marito & patri deſideratiſſ. mœſtiſſ. deſid. mon. vnanim. pon. cur. M D L X X I.

Viuus de ſe ipſo.

Fabricius ſtuduit bene de pietate mereri:
Sed, quicquid potuit, gloria Chriſte tua eſt.

LECTORI

LECTORI.

Accipe Lector hortum non Damaſci, non Heſperidum, ſed Miſnenſem: qui quamuis illis ſimilis non ſit; talis tamen eſt, vt habeat delectationem, & vt patriam commendet, & nobilitet dominum. Noſtrum cœlum non eſſe aſperum aut horridum, terram non infrugiferam aut inhoſpitalem, hic ipſe hortus docet, multis plantis conſitus peregrinis, & ſinu atque gremio herbas fouens, & benignè producens flores amœniſſimos: quem cùm rigauerim fonticulis poetarum, erit etiam aſpectu pulchrior, & gratia atque odore iucundior. Vale.

Abſinthium Ponticum. Rômiſch Wermut.
Ouid. 3. de Ponto.
Triſtia deformes pariunt abſinthia campi. Idem 5. Triſt.
Cana prius gelido deſint abſinthia Ponto. Abſinthia ietra, à guſtatu dicuntur à Lucretio. Herba funebris apud maiores noſtros, quam feretris imponebant, & in cœmeterijs plantabant.

Abrotonus. Stabwurtz.
Iſidi ſacra. Lucan. 9.
Et larices, fumoq́ grauem ſerpentibus vrunt
Abrotonum.

Abutilon Auicennæ. Welſche gelbe Pappeln.

Acanthus verus. Welſch Berenklaw.
Virg. 2. Georg. *baccas ſemper frondentis acanthi.*
Acanthus aptus operi topiario: vndè ab eodem, mollis & tortus dicitur; mollis, quia ductilis: tortus, quia flecti poteſt.

Achillæa
Ex ſyderitidum generibus, vulnerum præſens remedium.

Aconitum
Proſerpinæ ſacrum: etymologiam exponit Ouid. 7. Met.
Quæ quia naſcuntur dura viuacia caute,
Agreſtes aconita vocant. Idem aconita lurida vel ab effectu, vel à triſti florum colore, Auſonius dira, à poteſtate nocendi. Naſcitur in Creta, vt Lucan. lib. 4.

Ageratum verum. Klein welſch Frauenmüntz.
Quidam putant Eupatorium eſſe Meſuæ.

Agnus ſeu Vitex. Pfefferbaum.

Alcea Veneta. Venediſche Pappeln.

Allium Creticum Welſcher Knoblauch.
Medendo hemicranio aptum. Serenus,
Allia vel piperis ternis terna addita granis
Trita lines.
Deteſtatur omne allium. Horat. Epod. 3.
Parentis olim ſiquis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edit cicutis alliū nocentius. Prouerbia ſunt, Allia & fabas ne com-

 edas

edas. Item, Allium & tithymallum terere, quod eſt duplici moleſtia afficere, cùm altera herba offendat fœtore, altera noceat arroſione.

Allium montanum,

acceptum à viro doctiſs. Conrado Geſnero.

Alſine — Meußöhrlein.

Amarantus criſtatus — Groſſe Liebröſle.

Florem habet non marceſſibilem, ad quem Petrus Apoſtolus alluſiſſe putatur, cùm dicit κληρονομίαν ἀμάραντον, quem Paulus nominat τῆς δικαιοσύνης στέφανον. Columella dixit, Immortales amarantos, propter vigorem & pulchritudinem perpetuam.

Amni, verum.

Amomum. — Welſch Peterſilien / vulgò.

Amygdalus. — Mandelbaum.

Arbor in Thaſo præſtantiſſima: de ea ſe Phyllis regina ſuſpendit deſiderio mariti Demophoontis: vnde arbor ipſa, vmbra Phyllidis apud Palladium.

Anagyris

Frutex peregrinus. Prouerbium eſt, Anagyrim commoues, cùm res aliquâ tractando fit moleſtior.

Anemone — Rothe Camillen.

Flore rubeo, flos Adonidis, qui ex eius cruore creuiſſe fingitur.

Anethum.

Virg. in Buc.

Narciſſum & florem iungit bene olentis anethi.

Columella lib. 10.

Et bene odorati flores ſparguntur anethi.

Angelica hortenſis — Welſche wolriechende Camillen.

Anthemis

Antirrhinon — Welſcher Orant.

Flore eſt albo & rubeo.

Apium hortenſe — Eppich.

Herba coronaria in certaminibus Nemeis, & in conuiuijs Romanorum. Horatius Carm. 4. 11.

eſt in horto

Phylli nectendis apium coronis,

Eſt hederæ vis. Eadem coronabantur ſepulchra: vnde Prouerb. Apio nihil opus eſt. Apium quia humidis locis naſcitur ad ripas, dicitur vdum, ab Horatio Carm. 2. 7. & quia diu viret, ab eodem viuax 1. 36. Virg. in Buc. etiam ſaporem innuit,

Floribus atque apio crines ornatus amaro.

Aquilegia — Akaley/ tiriacks kraut.

Folijs duplicatis, colore alba, punicea.

Arizarum,

quod ſum conſecutus opera viri clariſs. Ioachimi Camerarij Medici, vt & plures alias plantas.

Ariſtolochia — Oſterluci.

rotunda, vera

longa, vulgaris. Hoc nomen ex inuenta re reperit, rem ipſam inuentor è ſomnio, vt ait Cic. de Diuinatione.

Arona.

Atona

Folijs maculoſis.

Atrhegonon

Artemiſia minor — Beifuß

Aſarum. — Haſelwurtz.

Aſparagus maior, Italicus. — Spargenkraut.

Hinc Prouerbium Auguſto Cæſari vſitatum, Celerius quâm coquantur aſparagi. Iuuenal. ſat. 11. *montani*

Aſparagi, poſito quos legit villica fuſo. Meminit Martialis in Xenijs.

Item Col.

Et bacca aſparagi ſpinoſa proſilit herba.

Aſphodelus ſilueſtris

verus, luteus, albus.

Atriplex

Ex olerum ſatiuorum genere. Col.

Et grauis atriplici conſurgit longa faſelus.

Atriplex Hiſpana

Vulgò ſpinachia.

Baccaris Matthioli,

Virg. in Buc. *baccare frontem*

Cingite: ne fati noceat mala lingua futuro.

valens contra faſcinum. Ibid.

Errantes hederas paſſim cum baccare tellus,

Miſtaq; ridenti colocaſia fundet achanto.

Balſamine, vtraque — Balſamkraut.

Col. *Fer calathis violam, & nigro permiſta liguſtro*

Balſama, cum caſia nectens, croceosq; corymbos.

Barbula hirci

Flore purpureo, cuius ſemen miſit medicus excellentiſſimus Petrus Matthiolus.

Beluider

A pulchro aſpectu, verum eius nomen ignotum.

Berberis frutex. — Sauerdorn.

Beta — Mangolt.

alba, rubicunda, & nigra. Mart. lib. 13.

Fatua fabrorum prandia, betæ. Idem 5.

Pigroq; ventri non inutiles betas.

Botrys. — Treublein Kraut.

Braſſica. — Koel.

Eius genera ſunt Apiana, criſpa, marina, Italis Soldonella. Caule fior, qui Genuæ in precio eſt. Col.

Sed cùm iam valido turgeſcit lurida caule

Braſſica, cumq; tument pallentia robora beta.

Braſſica capitata — Heuptkraut.

A quibuſdam dicitur caputium. Vuillichius.

Bryonia baccis rubeis — Gichtrübe.

Bugloſſum verum — Welſch Bugloſſen.

Calamintha — Kornming.

Caltha duorum generum. — Ringelblumen.

Virg. in Buc.

 Mollia

Meliſſus pſittacum nominat.

Mollia luteola pingit vaccinia caltha. Columella,

Preſſaq́ flammeola rumpatur fiſcina caltha.

Prudent. Cath. *roſarijs*

Omnis flagrat humus,calthaq́ pinguia ,

Et molles violas, & tenues crocos

Fundit.

Carduus

Artiſcoci,Italis.

Carex

genus iunci. Vir. *& carice paſtus acuta.*

Centaureum maius. Rha ponticum

A Centauro Chirone dictum,à quo βοτανικὴν Achilles didicit. Lucretius 4. *Abrotaniq́ graues , & triſtia Centaurea.* Triſtia Virgilius exponit graueolentia. A loco nominat Lucanus, 9.

Et panacea potens, & Theſſala centaurea.

Cepa Zwibel.

Lacrymoſa, quia cìet lachrymas, vndè prouerbium Biantis ; Cepas edere : & noſtræ linguæ , De cepis loquentem audiens,de porro intelligens: cùm de homine minimè attento loquimur. De ſacrificijs fortunæ , cognomento Fortis,

Columella;

Allia cum cepis Cereale papauer anetho

Iungite.

Chamæciſſos

Chamædaphne Kellershals.

Chamædrys vera.

Chamæpytis Je lenger je lieber.

Chelidonia. Schelkraut.

Serenus *Sæpe chelidoniæ rapidum ſociatur acetum.*

Idem, *Sæpe chelidonia ex acido perducta liquore*

Sanauit. loquitur autem de aurium & capitis vicijs.

Cichoreum Italicum Wegleucht/ Hindleufft.

Horat. Carm. 1. 31. *Me paſcunt oliuæ*

Me cichorea , leuesq́ maluæ. Eius ſpeciem eſſe Intybum autumat Seruius, In 1. Georg. *& amaris intyba fibris.*

Ciſtus mas & fœmina

Clymenon

Colocaſia

Mart. 8. *Lenta minus gracili creſcunt colocaſia filo.*

Plena magis nimio lilia ſole cadunt.

Colutea arbor Welſch Senetbaum.

Plautus in Perſa,

Commiſce mulſum,ſtruthea,coluteaq́ appara.

Coris.

Cornus arbor baccifera,

cuius fructus primùm albus, tum flauus, poſtea ſanguineus, vnde Horatius fructum eius vocat rubicundum: matureſcit in initio autumni. vndè Ouidius, corna autumnalia. nam ea corna, quæ lapidoſa vocat Virgil. 2. Georg. fructus ſunt cynosbati fruticis. Creſcit iſta arbor

è ſemine

è ſemine lapilli, quem continet, non ſurgens ſurculo, vt arbores cæteræ, ſed inſtar graminis, è terra erumpens. NB.

Coronopus
Corruda.

Col. *aſparagi corruda ſimillima filo* eſt enim aſparagus agreſtis.

Crocus Martius, vel ſilueſtris.
Crocus hortenſis,

à poëtis laudatur crocus è Cilicia: vnde Prouerb. eſt, Ferre crocum in Ciliciam, qui & alio nomine Corycius. Virg. in Battarum, *Corycio croceus editus aruo.* Laudatur idem è Sicilia, qui & Sicanius. Laudatur è Lydia, montis Tmoli, de quo Virgilius 1. Georg. *nónne vides croceos vt Tmolus odores, India mittit ebur?* Placet item colore.

Virg. 4. Georg. *caſiamq́, crocumq́, rubentem.* Ouid. 1. de arte.

Nec fuerant liquido pulpita rubra croco. Placet denique odore.

Iuuenal. 7. *Spirantesq́, crocos.*

Cucumis ſilueſtris
ſatiuus.

Virg. 4. Georg. *tortusq́ per herbam*
Creſceret in ventrem cucumis.

Col. *Et tenero cucumis, fragiliſq́, cucurbita collo.* Ibid.
Intortus cucumis, prægnansq́, cucurbita ſerpit.

Cucurbita rotunda, longa Kürbs.

Propert. 4. *Cæruleus cucumis, tumidoq́, cucurbita ventre.*

Virg. in Moreto, *Et grauis in latum demiſſa cucurbita ventrem.* Seminoſa ſeu *σπερμάδιος* vocatur in ſcazonte Priapeo, & ibidem Priapus ipſe ait, *Cucurbitarum ligneus vocor cuſtos.* Apuleij prouerbium eſt, Cucurbita glabrior. & apud Diphilum, Aut florem aut cucurbitam: quod Eraſ. exponit. Caput cucurbitinum pro grandi, ex Hermippo Comico annotauit Iunius, in Adagijs.

Cyaneus Italicus. Welſche Kornblumen.
Cyclaminus.

Inde prouerb. Cyclaminon infodere flumini.

Cyperus Galgenwurtzel.
Cuminum Kümmel.

Comeſtum vel hauſtum, inducit pallorem faciei, vnde Horat. Epiſt. 1.
biberemq́, ex ſangue cuminum.

Serenus imitatione Perſij, *grana cumini*
Pallentis mandens, viſus exhalat in ipſos. Idem,
Pythagora cognata, leui condita cumino. Cuminum ſerere, de maledicis dicitur, ſermone vulgato: item, Cuminum ſecare, de auaris & ſordidis.

Cytiſus.

Virg. in Buc. *Florentem cytiſum, & ſalices carpetis amaras.*

Daucus Creticus verus.
Delphinium trium generum Welſche Ritterſporn.
Dictamnus albus Weiß diptam wurtzel.

Virg. 12. *Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,*
Puberibus caulem folijs & flore comantem
Purpureo. Statius Sil. lib. 7.

Idaa profert quam Creta ſub vmbra

Dictamni florentis opem. Sed hæc de vero Cretico dictamno intelligantur.

Dipſacus ſilueſtris. Tuchmacher Karten.

Carduum fullonum nominat doctiſſimus Iunius.

Dorychnion, vel halicacabus peregrinus.

Doronicum Gemſenwurtzel.

Dracunculus verus,

Opera clariſſimi medici Iacobi Schadij, vt & aliæ plantæ multæ. huius prima germinatio ſerpentis maculoſi refert formam.

Dulcis radix Francica Lackritz.

Draba Welſch Salatkraut.

Ebenus vel Sanctum lignum,

ex horto Patauino, quem colendum curat illuſtris ſenatus Venetus.

Elichryſon odoratum Italicum

Eruca & Erucula. Weiſſer Senff.

Venerem excitans, omnibus poëtis nota & nominata.

Virg. in Moreto, *Venerem reuocas eruca morantem.*

Ouidius 2. de Rem.

Nec minus erucas aptum eſt vitare ſalaces,

Et quidquid Veneri corpora noſtra parat. Colum.

Et quæ frugifero ſeritur vicina Priapo,

Excitet vt Veneri tardos eruca maritos.

Auctor carminis Priapeij,

Et ipſe longa nocte dormiat ſolus,

Libidinoſis incitatus erucis.

Eruum Erbeiß.

alienum ab illo fructu, quem nos piſa appellamus, aptus tamen ſaginandis bobus. Virg. in Buc.

Eheu, quàm pingui macer eſt mihi taurus in eruo?

Plaut. in Moſt.

Eruum daturin' eſtis, bobus quod feram? eſt autem ὄροβος, non (vt Priſcianus annotauit) ἐρύζα. Eruilia ſunt eruorum purgamenta, vt fabarum fabilia.

Eruum lumentis prodeſt, homini noxium. Hoc deprehenſum in Thracia. Qui enim vrbem Aenum habitant, cùm tempore famis Eruum comediſſent, doloribus genuum vniuerſi laborarunt.

Eryſimon. Heidrich.

Euphorbium

Serenus, labrum Veneris vocat.

Fabæ Bonen.

Mart. lib. 5. *Et pallens faba cum rubente lardo.* Inde ſermones vulgati. Terent. in Eun. Faba in me cudetur: pro, ego luam pœnas facinoris alterius. Fabam iactare, pro, rem incertam dijs committere. Varro lib. 1. de vita P. R. In ſacris fabam iactant noctu, ac dicunt ſe Lemures domo, extra ianuam eijcere. Faba interdum pro calculo, quia fabis eligebantur magiſtratus: vnde, Fabæ nummus, pro empto ſuffragio. &, Fabæ arroſor, qui dabat improbum ſuffragium. &, A Fabis abſtinendam,

dum,hoc eſt, à principatu, vt nonnulli interpretantur. A Sereno,cognata Pythagoræ dicitur. Apud Alſatios rex conuiuij die Theophanias faba declaratur, quæ cum pane piſta, eoq; in domeſticos diuiſo, cùicunq; obtigerit,rex proclamatur. Fabilibus victitat, pro tenuitet aut ſordidè viuit, vt penuriæ tempore homines veſci furfuribus coguntur. Lomentum eſt farina è faba, qua vtebantur ad rugas emendandas. Mart. lib. 6. deea loquitur, *Aut tegitur pingui terq́, quaterq́, faba*. Pali deæ paſtorum cremabant fabales ſtipulas, vt in Faſtis Ouidius teſtatur.

Ferula, frutex Italicus.

Ea vſi literarum magiſtri ſunt,qua manus cedebant diſcipulorum, Mart. 10. *Ferulæq́, triſtes, ſceptra pædagogorum.*

Vndè gaudens Iuuenal. quòd illas caſtigationes ſeueras, non amplius ſubiret ætate, ait,

Et nos ergo manus ferulæ ſubduximus.

Domitianus Marſus de Orbilio Grammatico plagoſo,

Si quos Orbilius ferula, ſcuticaq́, cecidit. Eam vidi in promontorio Miſeno,ne quis ſoli Africæ aſſeribat. Clearchus ferulam nominauit arborem non arborem.

Ficus

Arbor fructificans: ea quæ caret fructibus, aſpectu pulchrior eſt & lætior, quam ficum ſterilem vocat Iuuenalis ſatyra 10. alij ſcriptores caprificum. Ouidius ait ficum baccis cœrulam,Horatius pullam, reſpectu videlicet maturitatis. In tenacem dictum eſt, Ficum diuidere: In petacem, Ficum petere: in ſordidum, ficum vorare: in irriſorem, Ficum monſtrare, natum è Barbaroſſæ Imp. ludibrio. Ficulnum vocatur,quidquid leue & infirmum: vt ficulnus paxillus, ficulna mens,ficulnum auxilium. Vinculum ficulnum pro tenace. Truncus ficulnus,vt Horatius, inutile lignum. Ficus Mercurialis,apud Athenienſes,& ficus Ruminalis, apud Romanos dictæ: illa quòd iuxta vias eſſet poſſeſſori & viatori communis, hæc quòd ſub ea expoſiti & alti eſſent Romulus & Remus, quæ & in nummis antiquis argenteis exprimitur.

Filix Farren.

Horatius Serm. 1. 3. *Neglectis vrenda filix innaſcitur agris.* Filicatæ pateræ, Ciceroni. Eſt igitur inter topiarias herbas, & quia agros corrumpit,quos denſitate occupat, ideo dicitur inuiſa aratris, à Virg. 2. Georg.

Galbanum.

Columella, *Et noxia galbana ſucco.*

Geniſta frutex,

vndè humilis à Virgilio: naſcitur ad ripas, vt idem,

flumina latè

Curua tenent: vt molle ſiler,lentaq́, geniſta.

Gentiana Enzian.

Gladiolus Indicus

Hunc opera D. Ludouici Camerarij accepi, vt & alias plantas.

Glaux vel Glaucium,

in quam piſcator Glaucus mutatus eſt. Ouid lib. 7. & 13.

Hedera Epphch.

nigra & alba, mas & fœmina, Baccho ſacra. Ouid. 3. Faſt.

hedera eſt gratiſſima Baccho.

Et 1. Triſt.

Deme meis hederas Bacchica ſerta comis. eſt & hæc topiaria, & coronaria: à poëtis errans,& nexilis,& flexipes. Vnde Horat. 1. *Laſcivis hederis ambitioſior.* Conſule & illud prouerb. Hedera vtl poſt anriſtheria. Eadem in ſacris populariter vrebantur Thraces & Aegyptij: illi etiam gladios & ſcuta ea coronabant. De eius vſu Serenus: *At ſuccis hedera pulchreſcit fœda cicatrix:*

Hediſaron

Helenium,ſeu enula Alandwurtzel.

E lachrymis Helenæ natum, vt ait Plinius. Horat. Serm. 2. 8. *enulas ego primus amaras*

Monſtraui incoquere. Idem 2. 2.

Cum rapula plenus

Atque acidas mauult enulas. Columella,

Capparis & triſtes enulæ.

Heliochryſon,

quo Prolomæi reges Aegyptij deos ſuos coronarunt,vt ſcribit Gyraldus.

Heliotropium maius & minus. Sonnenwirbel.

In hanc puella Clitie eſt conuerſa. Ouid.4. Metam.

Helleborum album

nigrum verum.

Catullus, *Suauiolum triſti triſtius helleboro.* Hor. epiſt. 2. 2.

Expulit helleboro morbum,bilemq́ meraco.

Ouidius 4. de Pont.

I, bibe dixiſſem, purgantes pectora ſuccos. Iugerum hellebori, pro magna eius copia: &,Helleboro opus habere, de homine mentis parùm ſanæ, Prouerbia ſunt.

Hellebori ſpecies,conſiligo Leußkraut.

Helleborine

Helxine, ſeu parietaria Winden.

Herba parietaria dictus eſt per iocum Imp. Traianus, propter inſcriptiones & ſtatuas plurimas, omnibus locis poſitas.

Hemerocallis Rein lilien.

Horminium maius,minus Scharlach.

Hyacynthus orientalis & vulgaris.

A puero in eum florem conuerſo, ſecundum fabulas poëtarum, à Virgilio nominatur ferrugineus. Eo in ſacris loco coronarum vrebantur Hermionenſes. Columella,

Nec non vel niueos, vel cæruleos hyacinthos. Dicitur ab eodem flos Oebalius, non Aeacius, vt eſt in vulgatis exemplaribus. Lonchius Eleg. lib. 2.

Nec ferrugineus, Tyriòue ſimillimus oſtro
Flos tener, Oebalio ſanguine tinctus, abeſt.

Hyſſopus flore albo Eiſop.

Acceptus à viro bono & induſtrio Iohanne Romero, aromatorio Arenſtadienſe in Turingia.

Holoconitis Hippocratis Dulichini Italis.

Hydro-

Hydropiper Waſſerpfeffer.

Hioſcyamus Bilſenkraut.

Iaſmenus frutex

albis & luteis floſculis, muſci odorem ſpirantibus.

Iberis

Inguinaria Aeginetæ.

Aſter Atticus ab eodem: creditur & illitu, & attactu, & (quod ſuperſtitioſum eſt) ſola appenſione hulcera bubonia ſanare.

Iris Illyrica, verna, vulgaris. Violwurtzel.

Iſatis Waid.

Colitur in agro Turingico.

Iuncus Binſen.

Ouidius 8. Metam.

Lenta ſalix, vlvaq; leues, iunciq; paluſtres.

Propertius 4.

Me notas & iunco braſſica vincta leui.

Iuncus limoſus, quia in limo naſcitur, apud Virgilium.

Lucan. lib. 5. *Sed ſterili iunco, cannaq; intexta paluſtri.*

Labruſca,

vitis agreſtis, vt Maruſca ficus agreſtis, genere neutro.

Virg. in Culice. *Denſaq; virgultis auidè labruſca petuntur.*

Lactuca Salat.

Lactucarum varia genera. Mart.

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat auorum,

Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes? Idem 5.

Et vtrunque porrum, ſeſſileſq; lactucas. Colum.

Salutari lactuca ſapore. Vide eius genera, quæ ibidem diligentiſſimè & prolixè deſcribit.

Ladanum frutex.

Lapathum hortenſe maius. Sauerampfer.

Horat. Epod. 2. *Aut herba lapathi prata amantis.* Col.

Lubrica iam lapathos, iam thanni ſponte vireſcunt.

Laurus Lorberbaum.

Arbor poëtarum & vatum inſigne. Horat. Car. 4. 2.

Laurea donandus Apollinari. Seneca in Agam.

Effrena Phœbus entheas laurus quatit. item victorum & triumphatorum: vnde ante domum Auguſti ſtabant.

Ouid. 4. Faſt. *State Palatina laurus.* Eadem ad aram Herculis Maximi Romæ adhibebatur. Etiam vſitata magis, vndè qui tuti eſſe vellent, admonebantur, vt virgam laurinam geſtarent. In ignem coniecta valdè crepat: vndè Lauro clamoſior dicitur, qui garrulus eſt. Et laurum in muſtaceo quærere, eſt in re nullius momenti laudem affectare. De Homero & Virgilio ſcitè canit Statius 4. Sil.

Nectis odoratas & Smyrna & Mantua Laurus.

loquens videlicet de ſingulari poëtæ vtriuſque excellentia. Idem 1. de Stella poëta & eius nupta,

Maluit & noſtra laurum ſubtexere myrto.

Lauri folia deuorabant, qui nolebant vinum ſibi nocere.

Mart. lib. 5.

folia

folia deuorat lauri,
Merumq́ cauta fronde, non aqua miſcet.
Laurus Alexandrina frutex
hoc nomine Græco Rhododaphne, & frutex Nerius. In Libya fiunt ex hoc frutice fiſtulæ, tantis viribus prouenit. Rhododaphne, vt & arbutus, homini ſunt venena, capillis cibus. Prudent. in Hamartigenia.
Noxius in teneris ſapor aſtuat ecce frutetis
Cùm prius innocuas tulerit natura cicutas.
Roſcidus & viridem, qui veſtit flos rhododaphnen,
Pabula laſciuis dederit ſincera capellis.
Lepidium maius — Römiſche Kreſſe.
Leucoia varia — Muſcatenblümle.
Col. *Candida Leucoia, & flauentia lumina Calthæ.*
Libanotis — Weirauch wurtzel / Roßmarin.
Liguſticum.
Hoc Laſer nonnulli eſſe putant, cuius copia in Africa Cyrenaica. Catullus Epigr.
Quàm magnus numerus Libyſſa harena
Laſer piciferis iacet Cyrenis.
Liguſtrum — Reinweiden.
Frutex ab oſſea duricie, alio nomine Beinholtz / quo noſtri vtuntur ad dentifricia, vt Itali lentiſco. Ab Ouidio niueum, à Virgilio album appellatur à flore: vndè etiam prouerbium, Liguſtro candidius. 13. Met.
Candidior folio niuei Galatea liguſtri. — Colum. 10.
Fer calathis violam, & nigro permixta liguſtro
Balſama.
nomine contrario, quia reſpicit ad fructum, quieſt baccarum nigrarum. Alij diuerſa eſſe putant fruticem hunc, & herbam eiuſdem nominis.
Lilium album — Lilgen.
Natum fingunt è lacte Iunonis: ab Horatio breue dicitur, quia non nimium durat: Ouid. 5. Met.
Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit.
Idem 4. Faſt. (lib. 1.
Ipſa crocos tenues, liliaq́ alba legit. Vndè, Candidior lilio, Martial.
Lilium rubens, luteum, canens.
Ouid. 12. Met. *Interdum canentia lilia geſtet.*
Lithoſpermon vulgare,
& quod Itali vocant lachrymam Iobi.
Lonchitis — Spikanten kraut.
Lotos ſatiua — Siebengezeit.
Ouid. 10. Met. *Amnicolæq́ ſimul ſalices, & aquatica lotos.*
Lunaria — Meerviolen.
Lupinus hiſpanicus
flore cœruleo.
Lupinus ſilueſtris
flore luteo. Huius crebra mentio in poëtis. Mart. 5.
Et feruens cicer, & tepens lupinus. Virg. 1. Georg.
Aut tenues fœtus vicia, triſtiſq́ lupini
Suſtuleris. Horat. in Epiſt.

Nec tamen

Nec tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis. Ouidius de medicamine, lupinos commendat ad tingendam faciem.

Lupulus — Hopfen.

Lychnis coronaria, flos Iouis ſilueſtris — Marienröſle.

Lyſimachium — Weiderich.

Malache.

Col. *Et malache, prono ſequitur quæ vertice ſolem.*

Malua — Poppeln.

Mart. lib. 3. *Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis.*

Molles autem, quia ſunt (vt Horatius ait) *graui*

Maluæ ſalubres corpori.

Mart. 10. *Exoneraturas ventrem mihi ruſtica maluas*

Attulit, vnde malua mollior vel mitior, ſermone vulgi dictū (eſt.

Malua criſpa, vel Syriaca.

Malum Armeniacum — Vngriſche Amareln.

Nactus ſum opera honeſti & diligentis viri Herduigi, ciuis Vratiſlauien- (ſis.

Malum punicum

Floret, fert fructum, ſed non plane matureſcit.

Mandragora — Alraun.

A quibuſdam, herba Circea, vel quòd Circe vſa in veneficijs ſit, vel quòd circa promontorium Circeum vberius proueniat in Campania.

Serenus, *Mandragoræ guſtu ſopor additus altus.* Id non ignorauit Hamilcar Carthaginenſis contra Lybes pugnans: nam vinum corrumpens mandragora, obrutos ſomno hoſtes cecidit: eadem arte Iulius Cæſar piratas Cilices ſomno victos iugulauit ad Miletum, vt ſcribit Poliænus, Columella de horto,

Quamuis ſemihominis veſano gramine fœta

Mandragora pariat flores, mæſtamq́ cicutam.

Hanc plantam dedit honoratus ac prudentiſſimus vir Ioachimus Kreichius ſenator Torgenſis, & aromatarius.

Mariſca — Wilde Feigen.

Ficus agreſtis & inſipida. Mart. 7.

Infanti melimella dabo, fatuasq́ mariſcas.

Marrubium

Columella, vocat amarum.

Melantium.

Col. *gracili melantia grata cumino.*

Melilotus Appula, vera — Rechter Steinkle.

Lotichius in Nicro,

flore comantem Luteolo meliloton.

Meliſſa Turcica

Menta — Krausmüntz.

odore acerrino Ouidius 10. Met.

in olentes vertere mentas. Mart. 10.

Nec deeſt ructatrix menta, nec herba ſalax. Per hanc intelligit erucam, quæ ſemen genitale auget: vt idem menta extinguit. Adagium eſt, Mentam tempore belli neque feras, neque metas: quo ſignificatur ab ea abſtinendum temporibus periculoſis, tanquam quæ non addat animos, ſed minuat. Menſas tergebant antiqui mentis. Ouid.

Ouid. 8. Met.

Aequatam mentæ exterſere virentes.

Mentaſtrum

Millefolium Garbe.

A forma & multitudine foliorum. Serenus,

Herbaque quæ folijs nomen de mille recepit.

Inter vulnerarias recenſet idem, Græcè στρατιώτης.

Milium Aethiopicum Mehr Hierſche.

Morion Theophraſti Dolwurtz.

Myrrhis

Myrtus frutex Tarentina

Sacra Veneri, quòd multis mulierum morbis medetur: naſcitur ad litora, vt ipſe vidi in Campania. Mart. lib. 4.

Nec plus lotos aquæ littora myrtus amat.

Laudatiſſima eſt in Aegypto, & in Laconia. Virg. In Batta.

Et violæ omne genus hîc eſt, Spartanaq́; myrtus. Facilimè læditur frigore. Idem in Buc.

teneras defendo à frigore myrtos. & Ouid. 2. Eleg.

metuentem frigora myrtum. Eſt inter arbores odoratas. Idem

Roſmaris, & laurus, nigraq́; myrtus olent. (3. de arte,

Eandem & pullam vocat Horatius Carm. 1, 25. & bicolorem Ouid.

Muſicus Muſicum myrto inuitat. prouerbium eſt. (10. Met.

Napellum

Narciſſus Italicus albus

Luteus Zeitloſen.

Purpureus.

Virg. in Buc. *Pro molli viola, pro purpureo Narciſſo.*

Idem 4. Georg. *Nec ſera comantem Narciſſum.* pro, ſerò producen-

Naſturtium Kreſſe. (tem flores.

Iubentur naſturtium edere apud Comicos, qui minus habent animorum aut virium. Cibus fuit Perſarum. Varro in Vopiſco, Naſturtium non vides ideo dici, quòd naſum torqueat? Columella,

Cæcis naſturcia dira colubris.

Nepeta

Seu pulegium agreſte. Serenus de hydrope depellenda,

Appoſituq́; leues nepetæ guſtuq́; iuuabunt.

Nymphea Scheblumen.

Nuſquam maior, quàm in ſtagno Paduſæ, prope Ferrariam.

Olea arbor Oelbaum.

Alligata vittis, aut geſtata manu, inſigne pacis fuit, ideo & Mineruæ ſacra, vndè pacifera, pacalis, & pacata dicta. Virg. 7. *ramumq́; innectit oliuæ.* Idem 2. Georg.

Placitam paci nutritor oliuam. lentè creſcit, perpetuò viret, ad ducentos annos viuit. Hinc ſunt illa, Virg. in Buc. *prolem tardè creſcentis oliuæ.* 2. Georg.

Palladia gaudent ſilua viuacis oliua. Ouid. 8. Met.

ramis ſemper frondentis oliuæ. ideo oliua tantùm coronari Iouem, ſcribit Phurnutus, quia frondens ſemper eſt, ἀειθαλής.

Horat. Carm. 1, 7.

Vndique

Vndiq; decerptam fronti præponere oliuam. quaſi Prouerb. loquitur, hoc eſt, è quauis materia laudem ingenij quærere. A colore flaua, pallens, albens, rectè dicitur, pro anni ſeu maturitatis tempore. Horat. Epod. 16.

Germinat & nunquam fallentis termes oliua.

Olus atrum,

Columella, olus pullum,

Atq; oleris pulli radix, lacrymoſaq; cepa.

Onobrychis Italica

Origanum, vel onitis

Origanum Italicum Welſcher toſt.

Orchis vera Knabenkraut.

Alio nomine, Satyrion, herba incendens Venerem, grandes radices habens. Eobanus,

Miſcueris dictam Satyrorum à moribus herbam,
Vrticaq; leui ſemina trita manu.
Heu mihi ne caſtas ſpectatum vade puellas,
Iſte furor nulla diſſimulatur ope.

Ochros

Oſyris vera

Flore purpureo.

Oxalis, rumicis genus Sauerampfer.

Variorum generum.

Ozymum Baſilien à grauitate odoris. Parens ſcorpionum, qui in locis calidis tam ex virente herba, quàm arida gignuntur. Aemil. Macer in Orinthógonia, genere maſculino, *Inter præteritas numerabitur ozymus herbas.*

Pæonia, Pfingſtroſen

à Pæone medico, vndè herbæ Pæoniç, pro ſalutaribus & efficacibus. Virg. 7. *Pæonijs reuocatum herbis.*

Panacea,

Vulgò, Omnimorbia. Virg. 12.

Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam panaceam.

Papauer trium generum

album Mohe.

nigrum

corniculatum

Papauer inducit ſomnum, vndè ſoporiferum. Serenus,

amica papauera ſomno. Idem,
madidum tritumq; papauer,
Quo lita frons, facilem præbebit nocte quietem. Inducit obliuionem, vndè Lethea papauera. Inducit denique mortem, ſi vſus eius modum excedit. nam & ſuccus nimius (quem noſtri lac papauerum dicunt) mortifer eſt: & panes ſeu placentæ ex eo factæ. Quia autem in offis & cibis eius fructu vtimur, ideo veſcum, hoc eſt, edule, ſeu cibis aptum à Virgilio, & ab eodem Cereale dicitur, ex eo paſtilli fiunt. Fructus fert innumeros.

Quid, 5. Triſt.

Quotue ſoporiferum grana papauer habet:

vndè &; grauidum Auſonio. Capita papauerum decutere, eſt primates tollere in Repub. ſumptum de hiſtoria Romana. Papaueris grana numerare, laborem ſignificat inutilem ſumere. Eſt & agreſte; Serenus,

Atta ao melli iungas agreſte papauer.

Paſtinaca

Pentaphyllum Fünffingerkraut.

Pepon

In ciborum delicijs fuit, & nunc eſt. Apud vetuſtiſſimos fuit prouerbium, Pepone mollior: & pepones dicebantur homines effoeminati, publico conuicio.

Petaſites Peſtilentzkraut.

Phaſganion

Alio nomine Xiphium. Serenus,

Aut de phaſganio radix decocta paluſtri.

Phyllitis, vel Scolopendria

Peucedanum

Piperitis, ſiliquaſtrum Frawenkraut.

Piſa

Plantago minor & maior Wegerich.

Polypodium Engelſüß

Polygonum Wegtritt.

Porrum Lauch.

Horatius ad Mecoenatem Serm. 1, 6. de coenula vili & domeſtica loquens ait,

inde domum me

Ad porri & ciceris refero, laganiq; catinum. Porri ſectiui, ſeu ſectilis fila nominant Iuuenal. ſat. 14. & Mart. in Xenijs. Idem de capitato porro,

Mittit praecipuos nemoralis Aricia porros. & Colum.

& mater Aricia porri.

Cibus autem eſt ſutorum, ex ſententia Iuuenal. ſatyr. 3.

quis tecum ſectile porrum

Sutor, & elixi veruecis labra comedit? Eodem delectabatur Nero Imperator, vndè dictus porrophagus. E porro capitato coronae fiebant Telluri. Colum.

Nunc capitis porri longo reſoluta capillo

Laetetur, mollemq; ſinum Staphilinus inumbret. Porri radices Serenus crinitas vocat.

Porſentilla

Portulaca

Pſyllion Flöhkraut

Pulegium Poley.

D. Hieronymus ait pulegium apud Indos pipere eſſe precioſius. E pulegio corona prodeſt contra vertiginem. eſtq; potens (vt ait Serenus) capiti medendo. Cic. ad Tironem, Ad Leptae rutam pulegio mihi tui ſermonis vtendum eſt, hoc eſt, ad eius vehementiam tua ſuauitate.

Pyrethrum

Pyrethrum — Berthram

Serenus, *Purgatur cerebrum manſa radice pyrethri.*

Quinquefolium generum duorum

Ranunculus

Rhamnus

Rhamni ſpecies: gerens ſpinas duplices rectas, & hamatas: è qua corona Chriſto Deo impoſita, complicata fuiſſe putatur.

Raphanis — Rettich

Rapum — eine Rübe.

Oblongum, qualia ſunt apud nos: rotundum, vt ad Rhenum creſcunt inſtar mammillarum, quarum dimidia pars eminet ſupra terram. Mart. in Xenijs,

Quæ tibi brumali gaudentia frigore rapa
Mittimus, in cælo Iuppiter eſſe ſolet.

Rhodia

Ribes frutex — Johannes beerle.

Ricinus

Roſæ — Roſen.

Roſa flos inſignis, Index veris. Col. *roſa præbet honores*
Calitibus, templisq́ Sabæum miſcet odorem.
Tibull. lib. 1.
Floret odoratis terra benigna roſis. Horat. Carm. 2, 3.
& nimium breues
Flores amœna ferre iube roſa. Ijs ſpargebant menſas, lectos, atria. Roſam ſeram, quæ poſt tempus vernum refloreſcebat, expetebant diuites. Apud nos interdum ſub autumni initium denuo florent, vt hoc anno factum eſt, medio menſe Septemb. Horat. Carm. 1, 38.

Mitte ſectari roſa, quò locorum Sera moretur. ea enim maiore conſtabat precio. Roſaria Pæſtana, à Virgilio, Blandina à Propertio laudantur: à Pæſto & Blanda Campaniæ vrbibus: Melitenſis à Cicerone, Damaſcena ab alijs, quæ hodie in hortis noſtris plantatur. Cic. 5. Tuſculana, An tu me in viola putas, aut in roſa dicere? pro, in loco maximè voluptuario. Roſeum apud poëtas quidquid eſt, aut candore eximium, vt genæ, ceruix, labella: aut rubedine perſpicuum, vt pudor roſeus. Scite Columella,

Nimij roſa plena pudoris. Inueniuntur roſæ candidæ, purpureæ. De hac Columella,

Iam roſa miteſcit, ſarrano clarior oſtro. & quæ his opponuntur, coloris quaſi diluti, pallentes, vt, Nemeſianus Carthaginenſis,

mihi lilia nigra videntur,
Pallentesq́ roſæ: ſed candida lilia fient,
Purpureaq́ roſa.

Luteæ, quæ ſunt odore minus gratæ: inueniuntur etiam quæ in ſpinis non naſcuntur. Roſis tribus vtitur in ſuis inſignibus, familia præclara Schleiniciorum: è qua Præſules fuerunt Numburgi, Merſburgi, & Miſnæ: & abbates duo Chemnicenſes. Nomina multorum recenſuimus in his Annalibus. Roſam primam carpere, prouerbiale eſt,

Mmm 2 Ouidius

Ouidius in Hero.

Eſt aliquid primis pomaria carpere ramis,
Et tenero primam deligere vngue roſam.

Mart. lib. 10.

Vt roſa delectat, metitur quæ pollice primo.

Item illud eiuſdem,

Et riget amiſſa ſpina relicta roſa. & hoc ab aliis annotatum eſt.

Vrtica ſæpe propinqua roſa eſt.

Roſmaris.

Onid. 12. Met. *Vt modò rore maris, modò ſi violáue roſáue*
Implicet: interdum canentia lilia geſtet. Inde penatibus corona fiebant. Horat. Carm. 3, 23.

Paruos coronantem marino
Rore deos, fragilique myrto.

Ruſcus frutex,

è quo ſcopæ fiunt, *ſæpes ruſco horrida* apud Columellam.

Ruta Raute.

Col. *Rutaq́ Palladia baeca victura ſaporem.*

Ouid. 2. de Rem.

Vtilius ſumes acuentes lumina rutas. Virg. in Moreto,

Comas apij graciles, rutamq́ rigentem. Obſiſtit venenis, & in lipothymia, reuocat animum aceto macerata. Radix rutæ, ætate ligneſcit, quod lignum ſi incenditur, non inſuauem odorem emittit. Sertum rutaceum in ſuis habent inſignibus, duces Saxoniæ Electores, & duces Allobrogum. Eſt etiam ruta ſilueſtris.

Sabucus.

Serenus, *Fugitur & fucus dederis quos parua ſabucus.*
Idem, *Conueniet tenera radix decocta ſabuci.* Eſt apud eundem nomen arboris, vt, de eius pomis,

Vel frons lentiſci, vel triſtia poma ſabuci.

Item de acinis,

Prodeſt ex paruis acinos potare ſabucis.

Saluia minor odoratiſſima.

Saluia ſilueſtris

Salniam vocat Serenus elelisphacon, vt eſt in gloſſa exemplaris Lugdunenſis.

Saiiunca.

Virg. in Buc. *Lenta ſalix quantum pallenti cedit oliuæ,*
Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis.

Samſucum Meiitan.

Col. *Nataq́ iam veniant hilari ſamſuca Canopo.* Loquitur autem de Aegyptio. Dicitur amaracus alio nomine.

Virg. 1. Aeneid.

vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aſpirans complectitur vmbra.

Sanguinaria

à nouis inſulis, herba Martis appellata, rumicis ſpecies.

Sanguiſorba

Sanguiſorba — Hergotsbertle.
Hæc Italis pimpinella.
Satyrion
Herba faſcinalis, à Satyris appellata.
Scabioſa — Apoſtemen kraut.
Scilla — Ein Meerzwibel.
Aliâs ſquilla, vndè Prouerb. E ſcilla non naſcitur roſa, aut hyacinthus. Item alterum, Scillam è ſepulchro vellito, de quibus Eraſmus.
Scordium.
Scorpioides.
Sedum maius & minus — Haußwurtz.
Col. *Profuit & plantis latices infundere amaros*
Marrubij, multoq́; ſedi contingere ſucco.
Serpillum — Kümmel.
Virg. in Buc. *Allia, ſerpillumq́; herbas contundit olentes.*
Seſeli Creticum — Beerwurtz.
Silphium
Herba apud Africanos Cyrnenſes omnium laudatiſſima, & pulcherrima: quod cùm Batti regis imagine ſuis nummis inſculpſerunt, hanc etiam quidam putant eſſe noſtrum leuiſticum.
Siliqua Græca — Johansbrodt
Frutex eius, vulgari nunc Græcorum lingua, Xylodendron. Naſcitur etiam in Campania, fructus ſapore dulcis eſt.
Sinapis — Senf.
Lacrymoſa apud Serenum. Col.
Seq́; laceſſenti fletum factura ſinapis. Idem,
Decet mordax haurire ſinapi. Plaut. in Pſeud.
Teritur ſinapis ſcelerata: cùm illis qui terunt, priusquam triuerint, oculi vt extillent, facit.
Siler — Gritzelmören
Iunius acutiſſimus putat eſſe Carottas, quas noſtri Mören appellant, alij gelbe Ruben.
Siſymbrium.
Smilaces.
A puella Smilace in hanc herbam mutata, vnà cum Croco amatore, vt Ouidius 4. Metam.
Smyrnium
Solanum
Lege Eraſmum in Prou. Strychnum bibit.
Solatrum — Nachtſchaten.
Sparganium.
Spartum Hiſpanicum
Spica
Spina alba — Mariendiſtel
Stachys.
Staphylodendron arbor. — Pimpernüßlein.
Fructum fert & ſiliquam auellanis ſimilem, tota aſpectu pulchra.

Stæchas Arabica

Sycomorus.

Arbor peregrina pulchra, de qua Iudas ſuſpendiſſe ſe perhibetur.

Symphytum, conſolida maior Waltwurtz.

Tages Africaniſche negeln.

Flos ex Africa deportatus, è ruinis Carthaginis bello Tunetano, ſingulari pulchritudine: ſed odore ingrato & fetiente.

Teucrium verum

Quod in ruinis Romæ inueni.

Thlaſpi Kerretich

Raphanus maior.

Thymbra

quæ & Satureia, & cunila, odore grata, Statius 1. Sil.

Floribus innumeris, & olenti ſpargere thymbra. Serenus,

Ac thymbra ſpeciem, quam commemorant cephaloden,

Prædixit ſpleni Deus Ida poſſe mederi. intelligit autem Apollinis oraculum. Thymbra viuere eſt, victu mundo & tenui viuere, & contentum paucis eſſe. E thymbra non effeceris lanceam, cùm de re loquimur, minimè conueniente aut commodata.

Thymus Welſcher quendel.

Multis locis celebratus à Virgilio tanquam cibus apum gratiſſimus. Thymo dulcior, ait in Buc. prouerbialiter. In Attica & Sicilia nobilis, vndè Cecropius & Hyblæus, & odorem eius in melle deprehendi, idem auctor eſt in Georg. In Aeneide,

redolentq́; thymo fragrantia mella.

Mart. lib. 5.

Hyblæis madidas thymis placentas. Gratus thymus dicitur, quòd odore delectet. Ouid. 5. Faſt.

Ad violam, & cytiſos, ad thyma grata voco.

Item Seneca,

Et mixta odoro Lesbia cum thymo.

Tithymallus myrſinites Wolffsmilch.

lactuca marina. Tithymallo oculos inungere, ſibi damnum ipſi inferre, Lege Prouerb. Tithymallus Laconicus. Adoleſcentes qui ſtudent barbam nutrire, tithymallo genas maláſue inungunt, cuius acredo cùm mirificè faciem deformet, fiunt alijs riſui.

Tragacantha

Tragium Dioſcoridis

Trichomanes, ſeu polytrichon

Trifolium Klehe

Tripolium

quod nonnulli Heſperium vocant, quia flos eius poſt ſolis occaſum, ſpirat ſuauiſſimè.

Triticum Bactrianum Indianiſch korn

Tuſſilago

Typha Narrenkolben.

Lanugo eius auribus incidens parit ſurditatem: naſcitur in piſcinis, & locis vliginoſis.

Valeriana Baldrian.

Veneris capillus, Mauerpfeffer.

Plinio Adiantum. herba viridis perpetuò, aquis accola, & aquis non madeſcens. Lotichius Eleg. lib. 2.

Quaq́ licet riuis gaudens, aſpergine nulla
Vda fit, aut pluuijs tecta madeſcit aquis.

Veratrum album Nieſwurtz.

Lucret. lib. 4. *Praterea nobis veratrum eſt acre venenum,*
At capris adipes & coturnicibus augent. Perſ. ſat. 1.
non hic eſt Ilias Acci Ebria veratro: id eſt, non moror eum, qui helleboro quaſi ebrius eſt, & inſania laborat.

Veratrum nigrum

Vide ſuprà, Helleborum. Veratro nigro regis Argiuorum filias, ira Iunonis furentes, ſanauit Melampus.

Verbaſcum Künigskertz.

Etiam album & nigrum.

Verbaſcum montanum
purpureum.

Verbena Eiſenkraut.

Verbena βοτάνη pro quauis herba. Teren. in Andr
Ex ara hinc ſume verbenas tibi. Cic. 6. Verrina, Ennam cùm veniſſem, præſto mihi ſacerdotes Cereris cum infulis ac verbenis fuerunt. Virg. in Buc.
Verbenasq́ adole pingues, & maſcula thura.

Plaut. in Truc. *Fer huc verbenam & thus.* Hor. Car. 4, 11.
ara caſtis vincta verbenis. Eadem quæ & verbenaca, de qua Plin. 25, 9. Hac Iouis menſa verritur, domus purgantur, luſtranturque.

Vettonica.

Serenus, *Vettonica manſus ſiccabit lumina ſuccus.*

Violæ Violen/feilgen.

Indicium verni temporis hic flos eſt. Reperiuntur apud nos nigræ, albæ, pallentes, cœruleæ, item duplicatæ violæ.

Horat. Carm. 3, 10. *Et tinctus viola pallor amantium.* cum alijs floribus iunguntur, pulchritudinis cauſa, Stat. 1. Sil.
Tu modò fronte roſas, violis modò lilia mixta
Excipis. Coronæ, quæ Laribus imponebantur, violaceas fuiſſe, vnus prodit Iuuen. Sat. 12. *laribusq́ paternis*
Thura dabo, atq́ omnes viola iactabo colores.

Dijs item Manibus ſacras oſtendit Ouid.
Tegula porrectis ſatis eſt vallata coronis,
Et ſparſa fruges, paruaq́ mica ſalis,
Inq́ mero mollita Ceres, violaq́ ſoluta,
Hac habeat media teſta relicta via. Serenus.
Infectum violis oleum bene conſulit auri.

Vlpica.

Col. *Alliaq́ infractis ſpicis & olentia latè*
Vlpica.

Vmbilicus Veneris.

Vrtica — Neſſeln.

Vrtica iners — Todeneſſeln.

Viuere herbis & vrtica, eſt apparatu tenui & oblato viuere apud Horat. Epiſt. 1, 12.

Si fortè in medio poſitorum, abſtemius herbis
Viuis, & vrtica. Et apud nos prouerbium eſt, Vrtica maturè mordax, verè eſt vrtica. Ouid. 11. de Arte,

Aut piper vrticæ mordacis ſemine miſcent.

Xyphion, quod victoriale vocant.

Xyris maior, minor. — Wandleuſſen kraut.

F I N I S.

SIFFRIDI MISNENSIS PRESBYTERI EPITOMES LIBRI II.

JOHANNES VOGELIUS.

Vive liber genio felici, vade beato
Auſpice doctorum clara ſub ora virûm;
Plurima tu memoras vrbis Miſneidos acta,
De riuo nomen quæ regionis habet.
Et, quæ Siffridus diuerſas geſta per oras
Collegit, placida ſimplicitate refers.
Viue liber, viuat tecumq; Georgius autor,
Carmina qui Phœbo digna canente facit.
Et ſanctos Chriſti Muſas deducit in hortos,
Ne leue quid læſa relligione, ſonent.
Quo, teneris pueros formando magiſter ab annis,
Vix vnquam melior virgea ſceptra gerit.
Vera puto, & multos præſtanti nomine teſtor,
Qui quondam ipſius membra fuere ſcholæ.
Nunc Ducibus populisq; ſimul virtutibus, arte,
Et pura Chriſti cognitione placent.
Fata viro parcant: ſed poſt quoq; funera præſens
Diſcipulis, & per ſcripta ſuperſtes erit.

GEOR-

GEORG. FABRICII CHEMNICENSIS

VIRO MAGNIFICO ET ORNATISS. D. LEONHARDO BADEHORNO IVR. ET CON. LIPSIENSI, S. D.

AD QVEM POTIVS MITTEREM Siffridum Miſuenſem, veterem Chronologum, quam ad te vir Magnfice, inueni neminem: nam & ſuauiſſima coniunctio in patria inter nos fuit, & ſocietas apud exteros fidelis, nec ex hac vrbe vllum habeo amicum aut neceſſarium antiquiorem, & maiore doctrina atq; dignitate excellentem. Annalibus autem patriæ tuæ hunc adÿcere auctorem placuit: & quia Miſnenſis fuit, & argumentnm meo non valde diſſimile tractauit, & quia tempornm ſuorum vir non indiligens: vixit enim ante annos ducentos & ſexaginta duos. Excerpſi ex illius libris hæc Epitome, quæ ad noſtrum propoſitum viſa ſunt aptiſſima, & qnæ aut in alÿs non inneniuntnr, aut certè commemorantnr breuius vel obſcnrius. Nam poſt creationem mundi in ſuo operè ea recenſet, quæ in libris ſacris traduntnr, & hiſtorias addit Eccleſiaſticas ſanctorum, quæ apud ſcriptores veteres Græcos & Latinos leguntur ornatius & copioſius. Sunt & alia Chronica Miſnenſia, propria huius vrbis. Vnnm, quod in clade Auſtiana deſinit, nondum in vulgus editum, ſcriptum lingua vernacula. Alternm, quod eſt Veterocellenſe, quod ſolum nomen Chronici Miſuenſis nunc obtinet: eſtq; è Conrado Presbytero Lanterbergio, magna ex parte deſnmptum: de quibus erit alius aliqnando dicendi locus. Nnnc Siffridum ciuem tuum tradimus, & ſnb anctoritate nominis tni grauiſſima communicamus cnm mnltis: Opnſculum breue, ſed, vt ipſe, vir ſanè modeſtus ait, ſibi propter intelligentiæ tarditatem, & rernm inopiam, valde laborioſum. Spero te, vir Magnifice, hoc mnnnſculnm exiguum pro noſtra vetere neceſſitndine, & pro mea omni tempore debita tibi obſernantia, boni conſulturnm. Vale. E lndo illuſtri Miſnæ, Idib. Sept. anno à nato Chriſto ſeruatore, M. D. LXIX.

SIFFRIDI

SIFFRIDI
PRESBYTERI
MISNENSIS EPITOMES LIBER I.

DE MARTIANO IMPERATORE ET VANDALIS,

CCCCLVIII.

MARTIANVS Imperator regere cœpit. hic religioſus fuit, & egentibus multa beneficia præſtitit. Huius tempore Vandali Romam ceperunt & ſpoliauerunt.

Abbas ordinis Ciſtercienſis in monaſterio, quod Volcoroda dicitur, ſitum in Turingia, trium virginum corpora de Colonia Agrippina tranſtulit, effoſſa terra, per Thymonem quendam, quæ illi erant in ſomnis monſtrata. *Volcoroda monaſterium.*

DE SIMPLICIO PAPA.

CCCCLXV.

Simplicius Papa à ſancto Petro LI. ordinatur. hic conſtituit, vt nullus Pontifex ſibi ſucceſſorem conſtituat: ſicut & ſanctus Clemens inſtituit.

DE REGE VANDALORVM HVNERICO.

CCCCLXXVII.

Hunericus rex Vandalorum trecentos triginta tres Epiſcopos catholicos, & eò amplius exiliat, & quibuſdam linguas amputat, qui tamen poſtea bene prædicarunt verbum Dei: ſed vnus eorum propter fornicationem, dono illo eſt priuatus. *Elingues locuti.*

DE ATHANASIO IMPERATORE, ET DE SCHISMATE ROMANO.

CCCCXCIII.

Athanaſius Imperator regere cœpit, & diſcordia magna Romæ facta eſt in electione Papæ, quibuſdam eligentibus Symmachum, quibuſdam Laurentium. Igitur in illa diſcordia Romæ, multa homicidia, tam ciuium Romanorum, quàm clericorum & ſacerdotum, facta ſunt; ſed Symmachus præualuit.

De

DE OLYMPIO ARRIANO.

Pœna blaſphemiæ. Arrianus quidam Olympius, dum lauaret in balneo, & de fide ſanctę Trinitatis blaſphemias loqueretur, ſubitò igneus gladius de cœlo veniens, ipſum interfecit.

DE ANASTASIO IMPERATORE.

Anaſtaſius Imperator, hæreticus Arrianus, in flumine perijt.

DE ERINFRIDO REGE TVRINGORVM.

Erinfridus Turingus. Tempore Anaſtaſij Imperatoris & Theodotici regis Veronenſis, dux Turingorum fuit Erinfridus, qui in vxorem acceperat regis Francorum Theodorici filiam. Facta diſcordia inter eos, rex Francorum Theodoricus bellum intulit duci Turingię Erinfrido, ſororis ſuæ marito: ipſumque humiliare cupiens, auxilium Saxonum poſtulauit, & ſtipendia tribuit quindecim principibus eorundem. Saxones tum nondum poſſederant illam prouinciam, quę nunc Saxonia dicitur, terraque Turingię tunc ad fluuium Albim terminabatur, in iis metis, quibus tunc Magdeburga metropolis eſt conſtructa, quæ nondum erat ciuitas: & Saxones necdum fidem Chriſtianam receperant, nec baptiſma eratq; tunc Turingia terra ſpacioſa, quæ à natione Francorum protendebatur, vsque ad Oceanum, contra ſeptentrionem. In hoc prælio rex Fridericus, qui & Theodoricus, vbique præualuit tantùm, vt captis munitionibus ducis, ipſum tandem multis exercitibus tam Francorum quàm Saxonum vallauit in ciuitate, quæ Schidingen dicitur, ſita ad ripam fluminis, quod dicitur Vngeſtrute. Cùm ergo dux Erinfridus manus obſidentis effugere non valeret: ducifſa, germana ſcilicet regis, miſit ad regem Francorum flebiliter ſupplicans, ne ſororem ſuam viduam fieri, & filios eius orphanos pateretur. Rex miſertus ſororis & filiorum, ipſorum precibus annuit: factaque pace, & portis ciuitatis apertis, ingreſſus ciuitatem, cum duce & populo, cœpit amicè conuiuari: Saxones autem in campis foris remanſerunt. Quidam verò miles ducis, Iringus nomine, tale conſilium dedit regi & duci, vt quia Saxones Turingis non promerentibus, ſuper ipſos ſtipendia belli recepiſſent, ipſi pro eo merito reciperent talionem. Hoc conſilio apud regem approbato, quidam venandi gratia ciuitatem exijt, conſiliumque Saxonibus detexit. Saxones irruentes in ciuitatem, regem & ducem cum vniuerſo populo, qui in ciuitate repertus fuerat, occiderunt. deinde in reliquum vulgus Turingorum ſęuientes, quicquid maſculini ſexus inter fluuios Albim & Vngeſtrute proſtrauerût, & ſic illas partes Turingiæ vsq; in hodiernum diem Saxones poſſederunt.

* Erinfridus ab aliis omnibus Herminfridus non recte dicitur, nam Erinfridi nomen etiam apud Caſſiodorum in epiſtolis legitur: vt habent antiqua exemplaria manuſcripta.

DE THEODORICO VERONENSE. D.XIX.

Mors fabuloſa. Iuſtinus Maior zelo fidei perſequebatur Arianos, quos Theodoricus Veronenſis, qui imperium vſurpauerat, Romæ fouit: ſed dicto Iuſtino, Papa Iohanne mediante, vtrobique ad tempus eſt ceſſum. Tandem Theodoricus Veronenſis malè perijt, in montem Aetnam detruſus.

* Idem ſcribitur de Hattone antiſtite Moguntino, qui Albertum comitem Pabebergium prodidit,& Henricum I. Ducem Saxoniæ,poſtea Imp.prodere voluit.

DE IVSTINIANO.

DXXVII.

Iuſtinianus Imperator regnauit annis XXVIII. hic leges per multa volumina diffuſa compendioſè collegit,faciens codicem. Multos ad fidem conuertit, & multa bona fecit: ipſe etiam ſententiam promulgauit, ne pagani vel hæretici militarent, dans eis tres menſes induciarum conuerſionis ad fidem.

Pagani in exercitum Imp. non admiſſi.

DE FESTO HYPANTES.

DLI.

Sub Pelagio Papa, & Iuſtiniano Imperatore, ſumpſit initium apud Conſtantinopolim, vt Hypante Domini, id eſt, Purificatio beatæ Mariæ virginis ſolenniter celebraretur.

Hypante Domini.

* ὑπαντὴ ab obuiatione & amplexu Simeonis: quod more Ebræo purificatio, ab apparitione ſtellæ ἐπιφάνεια nominatur. Hypantis nomen etiam Gemblacenſi & Vrsbergenſi notum.

DE LONGOBARDIS.

DLXVIII.

Narſes Patricius in Italiam Longobardos duxit. Longobardi quondam Vinuli dicti, de quadam inſula Teutoniæ tranſmigrantes, terram ſibi ad habitandum quærebant. Tranſeuntes autem Turingiam,cùm & ipſi eſſent Teutonici, quendam ſibi Turingum in regem elegerunt. Inde caſtra mouentes ad Gallias profecti ſunt: & ibidem, quandam terram incolentes,per multos annos demorati, & inde rurſus recedentes per Narſen Patricium in Italiam (vt iam dictum eſt) deducti ſunt. Pugnaturi cum Italicis,cæſariem mulieribus ſuis circa mentum ligabant,vt viri crederentur, quia tunc temporis viri barbam nutriebant. Quia ergo in illo congreſſu longis barbis vſi ſunt,longibardi ſunt appellati,à longa barba, quia in lingua eorum Longum dicitur Lang/barba Bard. Iſti quondam Mercurium coluerunt,quem Gotham vocabant: vnde adhuc in Teutonico Deus dicitur Goth. Vinuli ergo,qui & Longobardi, magnam ſtragem facientes, Italiam expugnabant, quam extunc poſſederunt vſque in hodiernum,& Teutonici idiomatis obliti,Latini facti ſunt.

Longobardi.

Narſes eunuchus patricius Romanus.

DE PESTE ROMANA.

DLXXXI.

Romæ peſtis inguinaria fuit. Fuit autem peſtis ingninaria apoſtema ſiue inflatura in inguine,tam ſæua,vt homines in via, in menſa, in ludis, in colloquijs ſubito morerentur. Itaque cum quis ſternutabat,ſæpe cum ipſa ſternutatione ſpiritum exhalabat. Vnde cùm aliquem ſternutantem quis audiebat,ſtatim accurrens,Deus te adiuuet,acclamabat. Et abinde adhuc conſuetudo ſeruatur, vt cùm aliquem ſternutantem audimus, Deus te adiuuet,acclamemus. Rurſus cùm aliquis oſcitabat frequenter &

Peſtis inguinaria.

Ouid. 5. Triſt.

Quotàc ſoporiferum grana papauer habet:

vndè &; grauidum Auſonio. Capita papauerum decutere, eſt primates tollere in Repub. ſumptum de hiſtoria Romana. Papaueris grana numerare, laborem ſignificat inutilem ſumere. Eſt & agreſte; Serenus,

Attae melli iungas agreſte papauer.

Paſtinaca

Pentaphyllum — Fünffingerkraut.

Pepon

In ciborum delicijs fuit, & nunc eſt. Apud vetuſtiſſimos fuit prouerbium, Pepone mollior: & pepones dicebantur homines effœminati, publico conuicio.

Petaſites — Peſtilentzkraut.

Phaſganion

Alio nomine Xiphium. Serenus,

Aut de phaſganio radix decocta paluſtri.

Phyllitis, vel Scolopendria

Peucedanum

Piperitis, ſiliquaſtrum — Frawenkraut.

Piſa

Plantago minor & maior, — Wegerich.

Polypodium — Engelſüß

Polygonum — Wegetrit.

Porrum — Lauch.

Horatius ad Mecœnatem Serm. 1, 6. de cœnula vili & domeſtica loquens ait,

inde domum me

Ad porri & ciceris refero, laganiq; catinum. Porri ſectiui, ſeu ſectilis fila nominant Iuuenal. ſat. 14. & Mart. in Xenijs. Idem de capitato porro,

Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros. & Colum.

& mater Aricia porri.

Cibus autem eſt ſutorum, ex ſententia Iuuenal. ſatyr. 3.

quis tecu[illegible] porrum

Sutor, & elix[illegible] labra comedit? Eodem delectabatur [illegible]ro Imperator, v[illegible] orrophagus [illegible] rro capitato coronæ fie[illegible] Telluri. C[illegible]

Nunc ca[illegible] reſoluta

Latetur [illegible]um Staphi[illegible] Porri radices Sere[illegible]

[illegible]initas v[illegible]

Pc[illegible]

[illegible]

[illegible] H[illegible] oſius. E pule[illegible]

[illegible]io [illegible] Serenus) capiti

[illegible] mihi tui ſermonis

[illegible]ate.

Pyrethrum

Pyrethrum Berthram

Serenus, *Purgatur cerebrum manſa radice pyrethri.*

Quinquefolium generum duorum

Ranunculus

Rhamnus

Rhamni ſpecies: gerens ſpinas duplices rectas, & hamatas: è qua corona Chriſto Deo impoſita, complicata fuiſſe putatur.

Raphanis Rettich

Rapum eine Rübe.

Oblongum, qualia ſunt apud nos: rotundum, vt ad Rhenum creſcunt inſtar mammillarum, quarum dimidia pars eminet ſupra terram. Mart. in Xenijs,

Quæ tibi brumali gaudentia frigore rapa
Mittimus, in cælo Iuppiter eſſe ſolet.

Rhodia

Ribes frutex Johannes berle.

Ricinus

Roſæ Roſen.

Roſa flos inſignis, index veris. Col. *roſa præbet honores*
Cælitibus, templiſq́; Sabæum miſcet odorem.
Tibull. lib. 1.
Floret odoratis terra benigna roſis. Horat. Carm. 2, 3.
& nimium breues
Flores amœna ferre iube roſa. Ijs ſpargebant menſas, lectos, atria. Roſam feram, quæ poſt tempus vernum refloreſcebat, expetebant diuites. Apud nos interdum ſub autumni initium denuo florent, vt hoc anno factum eſt, medio menſe Septemb. Horat. Carm. 1, 38.
Mitte ſectari roſa, quò locorum Sera moretur. ea enim maiore conſtabat precio. Roſaria Pæſtana, à Virgilio, Blandina à Propertio laudantur: à Pæſto & Blanda Campaniæ vrbibus: Melitenſis à Cicerone, Damaſcena ab alijs, quæ hodie in hortis noſtris plantatur. Cic. 5. Tuſculana, An tu me in viola putas, aut in roſa dicere? pro, in loco maximè voluptuario. Roſeum apud poëtas quidquid eſt, aut candore eximium, vt genæ, ceruix, labella: aut rubedine perſpicuum, vt pudor roſeus. Scite Columella,
Nimij roſa plena pudoris. Inuen[...]tur roſæ candidæ, purpureæ. De hac Columella,
Iam roſa miteſcit, ſarrano [...] qu[...] ponuntur, coloris quaſi diluti, pal[...] [...]enſis,
mihi lilia nigr[...]
Pallenteſq́; roſ[...]
Purpureaq́; roſ[...]
Luteæ, quæ ſunt odo[...] [...]æ in ſpi[...]
non naſcuntur. Roſis[...] [...]præ[...]
Schleinlciorum: è qua[...] [...]& M[...]
næ: & abbates duo Ch[...] [...]m[...]
his Annalibus. Roſam[...]

Ouid. 5. Triſt.

Quotúe ſoporiferum grana papauer habet:

vndè & grauidum Auſonio. Capita papauerum decutere, eſt primates tollere in Repub. ſumptum de hiſtoria Romana. Papaueris grana numerare, laborem ſignificat inutilem ſumere. Eſt & agreſte; Serenus,

Atta eo melli iungas agreſte papauer.

Paſtinaca
Pentaphyllum — Fünffſingerkraut.
Pepon

In ciborum delicijs fuit, & nunc eſt. Apud vetuſtiſſimos fuit prouerbium, Pepone mollior: & pepones dicebantur homines effœminati, publico conuicio.

Petaſites — Peſtilentzkraut.
Phaſganion

Alio nomine Xiphium. Serenus,

Aut de phaſganio radix decocta paluſtri.

Phyllitis, vel Scolopendria
Peucedanum
Piperitis, ſiliquaſtrum — Frawenkraut.
Piſa
Plantago minor & maior — Wegerich.
Polypodium — Engelſüß
Polygonum — Wegetrit.
Porrum — Lauch.

Horatius ad Mecœnatem Serm. 1, 6. de cœnula vili & domeſtica loquens ait,

inde domum me
Ad porri & ciceris refero, laganiq́ catinum. Porri ſectiui, ſeu ſectilis fila nominant Iuuenal. ſat. 14. & Mart. in Xenijs. Idem de capitato porro,

Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros. & Colum.
& mater Aricia porri.

Cibus autem eſt ſutorum, ex ſententia Iuuenal. ſatyr. 3.

quis tecum ſectile porrum
Sutor, & elixi veruecis labra comedit? Eodem delectabatur Nero Imperator, vndè dictus porrophagus. E porro capitato coronæ fiebant Telluri. Colum.

Nunc capitis porri longo reſoluta capillo
Lætetur, molleḿq́ ſinum Staphilinus inumbret. Porri radices Serenus crinitas vocat.

Porſentilla
Portulaca
Pſyllion — Flöhkraut
Pulegium — Poley.

D. Hieronymus ait pulegium apud Indos pipere eſſe precioſius. E pulegio corona prodeſt contra vertiginem. eſtq́; potens (vt ait Serenus) capiti medendo. Cic. ad Tironem, Ad Lepτæ rutam pulegio mihi tui ſermonis vtendum eſt, hoc eſt, ad eius vehementiam tua ſuauitate.

Pyrethrum

Pyrethrum Berthram

Serenus, *Purgatur cerebrum manſa radice pyrethri.*

Quinquefolium generum duorum

Ranunculus

Rhamnus

Rhamni ſpecies: gerens ſpinas duplices rectas, & hamatas: è qua corona Chriſto Deo impoſita, complicata fuiſſe putatur.

Raphanis Rettich

Rapum eine Rübe.

Oblongum, qualia ſunt apud nos: rotundum, vt ad Rhenum creſcunt inſtar mammillarum, quarum dimidia pars eminet ſupra terram. Mart. in Xenijs,

Quæ tibi brumali gaudentia frigore rapa
Mittimus, in cælo Iuppiter eſſe ſolet.

Rhodia

Ribes frutex Johannes berle.

Ricinus

Roſæ Roſen.

Roſa flos inſignis, index veris. Col. *roſa præbet honores*
Cælitibus, templiſq́; Sabæum miſcet odorem.
Tibull. lib. 1.
Floret odoratis terra benigna roſis. Horat. Carm. 2, 3.
& nimium breues
Flores amœna ferre iube roſa. Ijs ſpargebant menſas, lectos, atria. Roſam ſeram, quæ poſt tempus vernum refloreſcebat, expetebant diuites. Apud nos interdum ſub autumni initium denuo florent, vt hoc anno factum eſt, medio menſe Septemb. Horat. Carm. 1, 38.

Mitte ſectari roſa, quò locorum Sera moretur. ea enim maiore conſtabat precio. Roſaria Pæſtana, à Virgilio, Blandina à Propertio laudantur: à Pæſto & Blanda Campaniæ vrbibus: Melitenſis à Cicerone, Damaſcena ab alijs, quæ hodie in hortis noſtris plantatur. Cic. 5. Tuſculana, An tu me in viola putas, aut in roſa dicere? pro, in loco maximè voluptuario. Roſeum apud poëtas quidquid eſt, aut candore eximium, vt genæ, ceruix, labella: aut rubedine perſpicuum, vt pudor roſeus. Scite Columella,

Nimij roſa plena pudoris. Inueniuntur roſæ candidæ, purpureæ. De hac Columella,

Iam roſa miteſcit, Sarrano clarior oſtro. & quæ his opponuntur, coloris quaſi diluti, pallentes, vt, Nemeſianus Carthaginenſis,

mihi lilia nigra videntur,
Pallenteſq́; roſæ: ſed candida lilia fient,
Purpureaq́; roſa.

Luteæ, quæ ſunt odore minus gratæ: inueniuntur etiam quæ in ſpinis non naſcuntur. Roſis tribus vtitur in ſuis inſignibus, familia præclara Schleinicioruni: è qua Præſules fuerunt Numburgi, Merſburgi, & Miſnæ: & abbates duo Chemnicenſes. Nomina multorum recenſuimus in his Annalibus. Roſam primam carpere, prouerbiale eſt.

Ouidius in Hero.

Eſt aliquid primis pomaria carpere ramis,
Et tenero primam deligere vngue roſam.

Mart. lib. 10.

Vt roſa delectat, metitur quæ pollice primo.

Item illud eiuſdem,

Et riget amiſſa ſpina relicta roſa. & hoc ab aliis annotatum eſt.

Vrtica ſæpe propinqua roſa eſt.

Roſmaris.

Ouid. 12. Met. *Vt modò rore maris, modò ſi violáue roſaúe*
Implicet: interdum canentia lilia geſtet. Inde penatibus corona fiebant. Horat. Carm. 3, 23.

Paruos coronantem marino
Rore deos, fragilíq; myrto.

Ruſcus frutex,

è quo ſcopæ fiunt. *ſæpes ruſco horrida* apud Columellam.

Ruta — Raute.

Col. *Rutaq; Palladia bacca victura ſaporem.*

Ouid. 2. de Rem.

Vtilius ſumes acuentes lumina rutas. Virg. in Moreto,
Comas apij graciles, rutamq; rigentem. Obſiſtit venenis, & in lipothymia, reuocat animum aceto macerata. Radix rutæ, ætate ligneſcit, quod lignum ſi incenditur, non inſuauem odorem emittit. Sertum rutaceum in ſuis habent inſignibus, duces Saxoniæ Electores, & duces Allobrogum. Eſt etiam ruta ſilueſtris.

Sabucus.

Serenus, *Vngitur & ſuccis dederit quos parua ſabucus.*
Idem, *Conueniet tenera radix decocta ſabuci.* Eſt apud eundem nomen arboris, vt, de eius pomis,

Vel frons lentiſci, vel triſtia poma ſabuci.

Item de acinis,

Prodeſt ex paruis acinos potare ſabucis.

Saluia minor odoratiſſima.

Saluia ſilueſtris

Saluiam vocat Serenus elelisphacon, vt eſt in gloſſa exemplaris Lugdunenſis.

Saliunca.

Virg. in Buc. *Lenta ſalix quantum pallenti cedit oliua,*
Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis.

Samſucum — Meieran.

Col. *Nataq; iam veniant hilari ſamſuca Canopo.* Loquitur autem de Aegyptio. Dicitur amaracus alio nomine.

Virg. 1. Aeneid.

vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aſpirans complectitur vmbra.

Sanguinaria

à nouis inſulis, herba Martis appellata, rumicis ſpecies.

Sanguiſorba

Sanguiſorba Hergotsbertle.
Hæc Italis pimpinella.
Satyrion
Herba faſcinalis, à Satyris appellata.
Scabioſa Apoſtemen kraut.
Scilla Ein Meerzwibel.
Aliâs ſquilla, vndè Prouerb. E ſcilla non naſcitur roſa, aut hyacinthus. Item alterum, Scillam è ſepulchro vellito, de quibus Eraſmus.
Scordium.
Scorpioides.
Sedum maius & minus Hauſzwurtz.
Col. *Profuit & plantis latices infundere amaros*
Marrubij, multoq́ ſedi contingere ſucco.
Serpillum Kümmel.
Virg. in Buc. *Allia, ſerpillumq́, herbas contundit olentes.*
Seſeli Creticum Beerwurtz.
Silphium
Herba apud Africanos Cyrnenſes omnium laudariſſima, & pulcherrima: quod cùm Batti regis imagine ſuis nummis inſculpſerunt, hanc etiam quidam putant eſſe noſtrum leuiſticum.
Siliqua Græca Johansbrodt
Frutex eius, vulgari nunc Græcorum lingua, Xylodendron. Naſcitur etiam in Campania, fructus ſapore dulcis eſt.
Sinapis Senf.
Lacrymoſa apud Serenum. Col.
Seq́ laceſſenti fletum factura ſinapis. Idem,
Decet mordax haurire ſinapi. Plaut. in Pſeud.
Teritur ſinapis ſcelerata: cùm illis qui terunt, priuſquam triuerint, oculi vt extillent, facit.
Siler Gritzelmóren
Iunius acutiſſimus putat eſſe Carottas, quas noſtri Móren appellant, alij gelbe Ruben.
Siſymbrium.
Smilaces.
A puella Smilace in hanc herbam mutata, vnà cum Croco amatore, vt Ouidius 4. Metam.
Smyrnium
Solanum
Lege Eraſmum in Prou. Strychnum bibit.
Solatrum Nachtſchaten.
Sparganium.
Spartum Hiſpanicum
Spica
Spina alba Mariendiſtel
Stachys.
Staphylodendron arbor. Pimpernüßlein.
Fructum fert & ſiliquam auellanis ſimilem, tota aſpectu pulchra.

Stæchas Arabica

Sycomorus.

Arbor peregrina pulchra, de qua Iudas ſuſpendiſſe ſe perhibetur.

Symphytum, conſolida maior Walltwurtz.

Tages Africaniſche negeln.

Flos ex Africa deportatus, è ruinis Carthaginis bello Tunetano, ſingulari pulchritudine: ſed odore ingrato & feriente.

Teucrium verum

Quod in ruinis Romæ inueni.

Thlaſpi Merretich

Raphanus maior.

Thymbra

quæ & Satureia, & cunila, odore grata, Statius 1. Sil.

Floribus innumeris, & olenti ſpargere thymbra. Serenus,

Ac thymbræ ſpeciem, quam commemorant cephaloden,

Prædixit ſpleni Deus Ida poſſe mederi. intelligit autem Apollinis oraculum. Thymbra viuere eſt, victu mundo & tenui viuere, & contentum paucis eſſe. E thymbra non effeceris lanceam, cùm de re loquimur, minimè conuenientc aut commodata.

Thymus Welſcher quendel.

Multis locis celebratus à Virgilio tanquam cibus apum gratiſſimus. Thymo dulcior, ait in Buc. prouerbialiter. In Attica & Sicilia nobilis, vndè Cecropius & Hyblæus, & odorem eius in melle deprehendi, idem autor eſt in Georg. In Aeneide,

redolentq́; thymo fragrantia mella.

Mart. lib. 5.

Hyblæis madidas thymis placentas. Gratus thymus dicitur, quòd odore delectet. Ouid. 5. Faſt.

Ad violam, & cytiſos, ad thyma grata voco.

Item Seneca,

Et mixta odoro Lesbia cum thymo.

Tithymallus myrſinites Wolffsmilch.

lactuca marina. Tithymallo oculos inungere, ſibi damnum ipſi inferre, Lege Prouerb. Tithymallus Laconicus. Adoleſcentes qui ſtudent barbam nutrire, tithymallo genas maláſue inungunt, cuius acredo cùm mirificè faciem deformet, fiunt alijs riſui.

Tragacantha

Tragium Dioſcoridis

Trichomanes, ſeu polytrichon

Trifolium Klehe

Tripolium

quod nonnulli Heſperium vocant, quia flos eius poſt ſolis occaſum, ſpirat ſuauiſſimè.

Triticum Bactrianum Indianiſch korn

Tuſſilago

Typha Narrenkolben.

Lanugo eius auribus incidens parit ſurditatem: naſcitur in piſcinis, & locis vliginoſis.

Valeriana

Valeriana Baldrian.

Veneris capillus, Wauerpfeffer.

Plinio Adiantum. herba viridis perpetuò, aquis accola, & aquis non madeſcens. Lotichius Eleg. lib. 2.

Quaq́, licet riuis gaudens, aſpergine nulla
Vda ſit, aut pluuijs tecta madeſcit aquis.

Veratrum album Nießwurtz.

Lucret. lib. 4. *Praterea nobis veratrum eſt acre venenum,*
At capris adipes & coturnicibus augent. Perſ. ſat. 1.
non hic eſt Ilias Acci Ebria veratro: id eſt, non moror eum, qui helleboro quaſi ebrius eſt, & inſania laborat.

Veratrum nigrum

Vide ſuprà, Helleborum. Veratro nigro regis Argiuorum filias, ira Iunonis furentes, ſanauit Melampus.

Verbaſcum Künigskertz.

Etiam album & nigrum.

Verbaſcum montanum
purpureum.

Verbena Eiſenkraut.

Verbena βοτάνη pro quauis herba. Teren. in Andr.
Ex ara hinc ſume verbenas tibi. Cic. 6. Verrina, Ennam cùm veniſſent, præſto mihi ſacerdotes Cereris cum infulis ac verbenis fuerunt. Virg. in Buc.
Verbenasq́, adole pingues, & maſcula thura.

Plaut. in Truc. *Fer huc verbenam & thus.* Hor. Car. 4, 11.
ara caſtis vincta verbenis. Eadem quæ & verbenaca, de qua Plin. 25, 9. Hac Iouis menſa verritur, domus purgantur, luſtranturque.

Vettonica.

Serenus, *Vettonica manſus ſiccabit lumina ſuccus.*

Violæ Violen/ feilgen.

Indicium verni temporis hic flos eſt. Reperiuntur apud nos nigræ, albæ, pallentes, cœruleæ, item duplicatæ violæ.

Horat. Carm. 3, 10. *Et tinctus viola pallor amantium.* cum alijs floribus iunguntur, pulchritudinis cauſa, Stat. 1. Sil.
Tu modò fronte roſas, violis modò lilia mixta
Excipis. Coronæ, quæ Laribus imponebantur, violaceas fuiſſe, vnus prodit Iuuen. Sat. 12. *laribusq́, paternis*
Thura dabo, atq́, omnes viola iactabo colores.

Dijs item Manibus ſacras oſtendit Ouid.
Tegula porrectis ſatis eſt vallata coronis,
Et ſparſa fruges, paruaq́, mica ſalis,
Inq́, mero mollita Ceres, violaq́, ſoluta,
Hac habeat media teſta relicta via. Serenus.
Infectum violis oleum bene conſulit auri.

Vlpica.

Col. *Alliaq́, infractis ſpicis & olentia latè*
Vlpica.

Vmbilicus Veneris.

Vrtica — Neſſeln.

Vrtica iners — Todeneſſeln.

Viuere herbis & vrtica, eſt apparatu tenui & oblato viuere apud Horat. Epiſt. 1, 12.

Si fortè in medio poſitorum, abſtemius herbis
Viuis, & vrtica. Et apud nos prouerbium eſt, Vrtica maturè mordax, verè eſt vrtica. Ouid. 11. de Arte,

Aut piper vrticæ mordacis ſemine miſcent.

Xyphion, quod victoriale vocant.

Xyris maior, minor. — Wandleuſſen kraut.

FINIS.

SIFFRIDI
MISNENSIS PRESBYTERI EPITOMES LIBRI II.

JOHANNES VOGELIVS.

Vue liber genio felici, vade beato
Auſpice doctorum clara ſub ora virûm;
Plurima tu memoras vrbis Miſneidos acta,
De riuo nomen quæ regionis habet.
Et, quæ Siffridus diuerſas geſta per oras
Collegit, placida ſimplicitate refers.
Viue liber, viuat tecumq; Georgius autor,
Carmina qui Phœbo digna canente facit.
Et ſanctos Chriſti Muſas deducit in hortos,
Ne leue quid læſa relligione, ſonent.
Quo, teneris pueros formando magiſter ab annis,
Vix vnquam melior virgea ſceptra gerit.
Vera puto, & multos præſtanti nomine teſtor,
Qui quondam ipſius membra fuere ſcholæ.
Nunc Ducibus populisq; ſimul virtutibus, arte,
Et pura Chriſti cognitione placent.
Fata viro parcant: ſed poſt quoq; funera præſens
Diſcipulus, & per ſcripta ſuperſtes erit.

GEOR-

SIFFRIDI PRESBYTERI MISNENSIS EPITOMES LIBER I.

DE MARTIANO IMPERATORE ET VANDALIS.

CCCCLVIII.

MARTIANVS Imperator regere cœpit. hic religioſus fuit, & egentibus multa beneficia præſtitit. Huius tempore Vandali Romam ceperunt & ſpoliauerunt.

Abbas ordinis Ciſtercienſis in monaſterio, quod Vol- *Volcoroda*
coroda dicitur, ſitum in Turingia, trium virginum cor- *monaſteri-*
pora de Colonia Agrippina tranſtulit, effoſſa terra, per *um.*
Thymonem quendam, quæ illi erant in ſomnis monſtrata.

DE SIMPLICIO PAPA.

CCCCLXV.

Simplicius Papa à ſancto Petro LI. ordinatur. hic conſtituit, vt nullus Pontifex ſibi ſucceſſorem conſtituat: ſicut & ſanctus Clemens inſtituit.

DE REGE VANDALORVM HVNERICO.

CCCCLXXVII.

Hunericus rex Vandalorum trecentos triginta tres Epiſcopos catho-
licos, & eò amplius exiliat, & quibuſdam linguas amputat, qui tamen *Elingues*
poſtea bene prædicarunt verbum Dei: ſed vnus eorum propter fornica- *locuti.*
tionem, dono illo eſt priuatus.

DE ATHANASIO IMPERATORE, ET DE SCHISmate Romano.

CCCCXCIII.

Athanaſius Imperator regere cœpit, & diſcordia magna Romæ facta eſt in electione Papæ, quibuſdam eligentibus Symmachum, quibuſdam Laurentium. Igitur in illa diſcordia Romæ, multa homicidia, tam ciuium Romanorum, quàm clericorum & ſacerdotum, facta ſunt: ſed Symmachus præualuit.

DE OLYMPIO ARRIANO.

Pœna blaſphemiæ. Arrianus quidam Olympius, dum lauaret in balneo, & de fide ſanctę Trinitatis blaſphemias loqueretur, ſubitò igneus gladius de cœlo veniens, ipſum interfecit.

DE ANASTASIO IMPERATORE.

Anaſtaſius Imperator, hæreticus Arrianus, in flumine perijt.

DE ERINFRIDO REGE TVRINGORVM.

Erinfridus Turingus. Tempore Anaſtaſij Imperatoris & Theodotici regis Veronenſis, dux Turingorum fuit Erinfridus, qui in vxorem acceperat regis Francorum Theodorici filiam. Facta diſcordia inter eoſ, rex Francorum Theodoricus bellum intulit duci Turingię Erinfrido, ſororis ſuæ marito: ipſumque humiliare cupiens, auxilium Saxonum poſtulauit, & ſtipendia tribuit quindecim principibus eorundem. Saxones tum nondum poſſederant illam prouinciam, quę nunc Saxonia dicitur, terraque Turingię tunc ad fluuium Albim terminabatur, in ijs metis, quibus tunc Magdeburga metropolis eſt conſtructa, quæ nondum erat ciuitas: & Saxones necdum fidem Chriſtianam receperant, nec baptiſma eratq; tunc Turingia terra ſpacioſa, quæ à natione Francorum protendebatur, vſque ad Oceanum, contra ſeptentrionem. In hoc prælio rex Fridericus, qui & Theodoricus, vbique præualuit tantùm, vt captis munitionibus ducis, ipſum tandem multis exercitibus tam Francorum quàm Saxonum vallauit in ciuitate, quæ Schidingen dicitur, ſita ad ripam fluminis, quod dicitur Vngeſtrute. Cùm ergo dux Erinfridus manus obſidentis effugere non valeret: duciſſa, germana ſcilicet regis, miſit ad regem Francorum flebiliter ſupplicans, ne ſororem ſuam viduam fieri, & filios eius orphanos pateretur. Rex miſertus ſororis & filiorum, ipſorum precibus annuit: factaque pace, & portis ciuitatis apertis, ingreſſus ciuitatem, cum duce & populo, cœpit amicè conuiuari: Saxones autem in campis foris remanſerunt. Quidam verò miles ducis, Iringus nomine, tale conſilium dedit regi & duci, vt quia Saxones Turingis non promerentibus, ſuper ipſos ſtipendia belli recepiſſent, ipſi pro eo merito reciperent talionem. Hoc conſilio apud regem approbato, quidam venandi gratia ciuitatem exijt, conſiliumque Saxonibus detexit. Saxones irruentes in ciuitatem, regem & ducem eum vniuerſo populo, qui in ciuitate repertus fuerat, occiderunt. deinde in reliquum vulgus Turingorum ſęuientes, quicquid maſculini ſexus inter fluuios Albim & Vngeſtrute proſtrauerũt, & ſic illas partes Turingiæ vsq; in hodiernum diem Saxones poſſederunt.

* Erinfridus ab aliis omnibus Herminfridus non rectè dicitur, nam Erinfridi nomen etiam apud Caſsiodorum in epiſtolis legitur: vt habent antiqua exemplaria manuſcripta.

DE THEODORICO VERONENSE. DXIX.

Mors fabuloſa. Iuſtinus Maior zelo fidei perſequebatur Arianos, quos Theodoricus Veronenſis, qui imperium vſurpauerat, Romæ fouit: ſed dicto Iuſtino, Papa Iohanne mediante, vtrobique ad tempus eſt ceſſum. Tandem Theodoricus Veronenſis malè perijt, in montem Aetnam detruſus.

* Idem

* Idem ſcribitur de Hattone antiſtite Moguntino, qui Albertum comitem Pabebergium prodidit,& Henricum I. Ducem Saxoniæ,poſtea Imp.prodere voluit.

DE IVSTINIANO.

DXXVII.

Iuſtiniann Imperator regnauit annis XXVIII. hic leges per multa volumina diffuſa compendioſè collegit,faciens codicem. Multos ad fidem conuertit, & multa bona fecit: ipſe etiam ſententiam promulgauit, nè pagani vel hæretici militarent, dans eis tres menſes induciarum conuerſionis ad fidem.

Pagani in exercitum Imp. non admiſſi.

DE FESTO HYPANTES.

DLI.

Sub Pelagio Papa, & Iuſtiniano Imperatore, ſumpſit initium apud Conſtantinopolim, vt Hypante Domini, id eſt, Purificatio beatæ Mariæ virginis ſolenniter celebraretur.

Hypante Domini.

* ὑπαντὴ ab obuiatione & amplexu Simeonis: quod more Ebræo purificatio, ab apparitione ſtellæ ἐπιφάνεια nominatur. Hypantis nomen etiam Gemblacenſi & Vrsbergenſi notum.

DE LONGOBARDIS.

DLXVIII.

Narſes Patricius in Italiam Longobardos duxit. Longobardi quondam Vinuli dicti, de quadam inſula Teutoniæ tranſmigrantes, terram ſibi ad habitandum quærebant. Tranſeuntes autem Turingiam,cùm & ipſi eſſent Teutonici, quendam ſibi Turingum in regem elegerunt. Inde caſtra mouentes ad Gallias profecti ſunt: & ibidem, quandam terram incolentes,per multos annos demorati,& inde rurſus recedentes per Narſen Patricium in Italiam (vt iam dictum eſt) deducti ſunt. Pugnaturi cum Italicis,cæſariem mulieribus ſuis circa mentum ligabant,vt viri crederentur, quia tunc temporis viri barbam nutriebant. Quia ergo in illo congreſſu longis barbis vſi ſunt,longibardi ſunt appellati,à longa barba, quia in lingua eorum Longum dicitur Lang/barba Bard. Iſti quondam Mercnrium coluerunt,quem Gotham vocabant: vnde adhuc in Teutonico Deus dicitur Goth. Vinuli ergo,qui & Longobardi, magnam ſtragem facientes, Italiam expugnabant, quam extunc poſſederunt vſque in hodiernum,& Teutonici idiomatis obliti,Latini facti ſunt.

Longobardi.

Narſes eunuchus patricius Romanus.

DE PESTE ROMANA.

DLXXXI.

Romæ peſtis inguinaria fuit. Fuit autem peſtis inguinaria apoſtema ſiue inflatura in inguine,tam ſæua,vt homines in via, in menſa, in ludis, in colloquijs ſubito morerentur. Itaque cum quis ſternutabat,ſæpe cum ipſa ſternuratione ſpiritum exhalabat. Vnde cùm aliquem ſternutantem quis audiebat,ſtatim accurrens,Deus te adiuuet,acclamabat. Et abinde adhuc conſuetudo ſeruatur,vt cùm aliquem ſternutantem audimus,Deus te adiuuet,acclamemus. Rurſus cùm aliquis oſcitabat frequenter &

Peſtis inguinaria.

continuò, & ſubitò, ſpiritum exhalabat: vnde cùm aliquis ſe velle oſcitare ſentiebat, continuò ſignum crucis ſibi imprimere feſtinabat, & hæc conſuetudo vſque nunc ſeruatur.

DE MAVRICIO IMPERATORE.

DLXXXIII.

Mauricius Imperium adeptus, regnauit annis XX. Iſte compulit Beatum Gregorium electum in Papam ſuſcipere Præſulatum, & tamen poſtmodò ipſum ſanctum perſequebatur.

DE MIRO PRODIGIO.

Serpentum multitudo luem gignit.

Quodam tempore Tiberis fluuius alueum egreſſus, in tantum excreuit, vt ſuper muros vrbis efflueret, & plurimas domos euerteret. Tunc etiam per Tiberim multitudo ſerpentum, cum dracone magno, in mare deſcendit, ſed à fluctibus præfocati, & ad littus proiecti, totum aërem ſua putredine corrumpunt: & ſic plaga peſſima, quam inguinariam vocant, ſecuta eſt, ita vt etiam corporali viſu ſagittæ cælitùs venire, & ſingulos quoſque percutere viderentur.

DE COSDRA REGE PERSARVM.

DCXII.

** Fuit hic Coſdras ſeu Coſtroës II. qui regnauit an. 38. men. 3.*

Coſdras Salmoneum Virgilij imitatus.

Heraclius imperium eſt adeptus. Ipſe fuit LXI. Imperator à Cæſare Auguſto. Anno imperij ſui III. permittente Deo flagellari populũ ſuum, per ſæuiciam paganorum, Coſdras rex Perſarum omnia ferè regna terrarum ſuo imperio ſubiugauit. Ieruſalem veniens, à ſepulchro Domini territus rediijt, ſed tamen partem crucis ſanctæ, quam Helena ibidem reliquerat, aſportauit. Volens ab omnibus coli vt Deus, currum ex auro interlucentibus gemmis fecit, & ibidem ſolem & lunam, & ſtellarùm imagines collocauit: per ſubtiles etiam & occultos ductus, quaſi Deus, deſuper aquam infundebat, & in ſpecu ſubterraneo, equi quadrigas trahentes in circuitu, vt quaſi currum mouerent, & tonitru ſimularent. Filio igitur ſuo regno tradito, in tali fano profanus reſidet, & iuxta ſe crucem Domini collocans, appellari ſe ab omnibus Deum volebat, & ſicut legitur in libro naturali, de officio, ipſe Coſdras in throno reſidens, tanquam pater, lignum crucis à dextris poſuit loco filij, & *

Clemangius

* Hoc videtur fabuloſum, ſed & Conrado II. Imperante, Franci in Palæſtinam militatum profecturi, anſerem in naui vexerunt loco ſpiritus ſancti, vt eſt in Annalibus Saxonicis: capram, vt in Turingicis. Id fortaſſe monachi cuiuſdam eſt ſomnium. In concilio Piſano, cui Baldazar Coſſa præſidebat, cum inuocaretur ſpiritus ſanctus, bubo aduolauit, vt ſcribit Clemangius.

gallum à ſiniſtris, loco ſpiritus ſancti: ſe verò patrem iuſſit nominari. Tunc Heraclius Imperator exercitum copioſum collegit, & contra filium Coſdræ, iuxta Danubium fluuium, dimicaturus aduenit. Tandem vtriſque principibus placuit, vt ipſi ſuper pontem lapideum ibi confligerent: & qui victor exiſteret, ipſe ſine damno vtriuſq; exercitꝰ imperium vſurparet. Decretũ etiam exijt, vt quicunq; principem ſuum iuuare præſumeret, crurib. & brachijs abſciſſis, continuò in flumine mergeretur. Et Heraclius totum ſe Deo obtulit, & ſanctæ cruci ſe, deuotione

tione qua potuit, commendauit. Ambobus itaque in eō flictu durantibus, Heraclio victoriam Deus tribuit, & cunctum exercitum ſuo imperio ſubiugauit, adeò vt vniuerſus populus Coſdræ, fidei Chriſtianæ ſe ſubdiderit, & ſacrum baptiſma ſuſceperit. Coſdras autem ignorabat exitum belli, quia cùm omnibus odio eſſet, id à nemine ei intimatur. Heraclius improuiſo ad eum peruenit, & in throno aureo eum ſedere reperiens, eidem dixit, Quia lignum ſanctæ crucis ſecundum modum tuum honoraſti, ſi baptiſmum & fidem Chriſti ſuſceperis, adhuc vitam & regnum, acceptis à te pacis obſidibus, obtinebis: ſin hoc implere contempſeris, gladio meo te feriam, & caput tuum præcidam. Cùm ille acquieſcere nollet, extracto gladio eum protinus decollauit.

DE IMPIETATE ET CAEDIBVS.

DCXXXIX.

Conſtantius, tertius filius Heraclij regnare cœpit: ſed quarto menſe fraude nouercæ ſuæ Martianæ, occiſus eſt à germano ſuo Heraclona veneno. Heraclonas occiſo fratre ſuo, regnauit cum matre Martiana duobus annis. Tunc Conſtans dicti Conſtantini filius, matrem & filium mutilauit naribus & lingua, & per ſenatum imperat annis XXVII. *Perfidia in fratrem.*

DE CONSTANTE IMPERATORE.

DCXLIX.

Conſtans Imperator hæreſin abdicauit, & Romam veniens, Eccleſiam S. Petri multis donis ſublimauit, & Longobardos refrenauit. Ipſe in Sicilia fraude ſuorum in balneo perijt, qui Mimum quendam Imperatorem creant.

DCLXX.

Conſtantinus IIII. Conſtantis filius imperium adeptus eſt, & Mimum interfecit.

DE IVSTINIANO IMPERATORE.

DCLXXXIX.

Iuſtinianus II. filius Conſtantini IIII. imperium adeptus, regnauit annos x. Hunc Leontius patricius, naſo & labris mutilauit, & tribus annis regnum occupauit. Tiberius autem Abſimarus Leontio naſum amputauit, & in monaſterium detruſit, & ipſe regnauit annis ſeptem. Tandem Iuſtinianus Imperator verus, auxilio Terebelli regis Bulgariæ vtrunque cepit, & per plantas trahi præcepit, & eorum corda calcauit, populo acclamante, ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & ſic decollati ſunt. Hunc Iuſtinianum Philippus, quem in Pontum relegauerat, occidit, & regnauit anno vno. Ipſe fuit hæreticus & adulter. *Crudelitatis exempla.*

DE OSVALDO ANGLORVM REGE.

DCCIII.

Anglici reges Christiani.

Oſualdus rex Angliæ, filius Achæ, ſororis ſancti regis Edmundi, qui etiam pro fide occubuit, frater Oſuini, patris Oſtridæ, reginæ Merciorum, vir fuit magnarum eleëmoſynarum. In die Paſchæ ab Adriano Epiſcopo Lindifarnenſi diuina audiens, cùm linguam ignoraret epiſcopus, rex populo interpretabatur. Ea die dum multi pauperes confluerent, & omnia iam victualia eſſent diſtributa, diſcum argenteum fecit confringi, & dari pauperibus. Cui Epiſcopus congratulans, & manum eius oſculans dixit, Nunquam putreſcet hæc manus. Quod eſt factum, & permanet vſque hodie. Die ac nocte diuinis vacabat, & aut ſupinis aut flexis manibus gratias agebat. Fratre ſuo Eanfrido ab impijs perempto, ducem Britonum cum multis ſuper ſe venientem, ipſe erecto crucis vexillo, ſuperauit, in loco qui dicitur Denisbruna. Nono igitur regni ſui anno, ætatis verò XXVIII, à rege Merciorum, qui per prædeceſſorem ſuum Eduinum peremerat in Maſerueldo, Oſualdus orans pro ſalute animarum, in prælio occubuit: cuius caput cum brachijs & manibus ignominioſè ſtipite ſuſpenditur. Corpus verò per ſupradictam neptem ſuam Oſtridam, in monaſterio Eichelredo ſepelitur. A fratre verò ſuo Oſuino caput eius Lindifarni, brachia & manus in regia vrbe conduntur.

Denisbruna.

Oſualdi regis cædes.

DE THEODOSIO.

Theodoſius violenter coactus, ſuſcepit imperium, & regnauit anno vno. Hic Anaſtaſium Imperatorem magno prælio vicit, & eum fieri clericum coëgit, & Presbyterum ordinari fecit. Similiter & ipſe Theodoſius poſtquam regnauit anno vno, factus eſt clericus, & reſiduum tempus vitæ ſuæ in pace tranſegit.

DE PRIMO MOGVNTINO ARCHIEPISCOPO.

DCCXXVII.

Gregorius III. Papa ordinatus, ſanctum Bonifacium ordinauit archiepiſcopum Moguntiæ, & ei pallium dedit. Nam Moguntina Eccleſia antea fuit ſub archiepiſcopatu Vormacienſe, ſed archiepiſcopatus translatus eſt à Vormacia in Moguntiam.

Vormacienſis Eccleſia, Moguntina ſuperior.

DE DIVO BONIFACIO.

Bonifacius duos epiſcopos ordinauit, Burchardum & Vuillebaldum, & his curam ſui ordinis impertiendo, alterum Vurceburgi, alterũ Eichſtete intronizauit. Eccleſiam quoq; beatæ virginis in Erfordia, cathedralem eſſe conſtituerat, ſed ſuaſu literarum Papalium, quod decreuerat, renouauit. Tandem ſenio feſſis membris, conſenſu & conſilio regis Pipini, qui fratri ſuo Carolomano ſucceſſerat, comitẽ olim peregrinationis ſuæ, Lullum ſucceſſorem ſibi deſtinauit. Eobanum quoq; epiſcopũ conſecrans vrbi, quæ dicitur Vtrecht, ad ſubſidium ſui laboris, præpoſuit, presbyteros diaconosq; ordinauit, monachos per loca diuerſa deſtinauit. Ex quibus præcipui fuerunt Vuinreuig, Vualther, Adelher, presbyteri. Haymund, Schitbald. Diaconi, Vuacher, Gundher, Hulleger, Bertolf.

Bonifacius Turingorum Apoſtolus.

Hi con-

Hi coniuncti fuerunt vinculo charitatis, & participio laboris, iuncti ſunt etiam palma miſiſterij, & corona cœleſti. Vuillebaldus de Saxonia fuit oriundus, & à parentibus vſque ad triennium tenerè educatus, ſubitò ægritudine grauiſſima rapitur. Et cùm deſperaretur ab omnibus, vouetur à parentibus, vt eum faciant monachum, ſi dominus ſuperſtitem illum relinquat. Traditus igitur ſacris ſtudijs in cœnobio Vualtheim, proficiebat acerrima ſcientia & religione. Factus iuuenis patrem adijt, eumq; multis exhortationibus, peregrinandi laborem ſubire, pro amore cœleſtis patriæ perſuaſit, aſſumpto ſimul altero Vunebaldo germano. Itaq; mari tranſito, Lucam in Hetruriam deuenerunt, vbi defunctum patrem terræ mandarunt. Egreſſus inde, in monte Caſſino monachorum numero ſe ſociauit, ſed omnes laudabili conuerſatione præceſſit.

DE LEONE IMPERATORE.

Leo II. Imperium adeptus regnare cœpit. Hic in Chriſtianos & Eccleſiam Dei impius & crudelis fuit, Domini ſaluatoris, & eius glorioſæ genitricis imagines, & aliorum ſanctorum in medio ciuitatis Conſtantinopolitanæ incendio tradidit: & multos Chriſtianos, qui non aſſenſerant huic impietati, decollari fecit. *Iconomachia.*

Beda presbyter venerabilis mortuus eſt in Anglia.

DE CONSTANTINO LEONIS FILIO.

DCCXLII.

Conſtantinus V. filius Leonis Imperatoris, imperium adeptus regnauit annis xxxiiii. Hic pernicioſiſſimus erat, & recedens à Deo, ac inſiſtens luxurijs, & magicis maleficijs, & ſacrificijs Idolorum, & inuocationibus dæmonum, & perſecutionibus Eccleſiarum, malisq; varijs ſupercreſcens, non minus crudelis, quàm Diocletianus.

DE CAROLI MAGNI PROGENIE.

Natus eſt Carolus Magnus, eodem anno, de cuius genealogia hîc aliqua ſunt dicenda. Mortuo Pipino Groſſo, qui fuit maior domus regni Francorum, Carolus Martellus filius eius, tres filios reliquit, Carolomanum, Pipinum, & Grifonem. Regnum tunc Francorum ab Aquitania vſque ad Bauariam protendebatur: quod regnum à Priamo, nepote Priami Magni Troiani, mortuo apud Paduam ab Antenore proceſſit: ſicut Romani ab Aenea: ſed per Cæſarem ſubiectum fuit Romanis. Poſtea cum Valentinianus Imperator quoſdam populos, qui Alani dicuntur, vincere non poſſet, fecit edictum, vt qui eos vincerent, decem annos à tributo liberi eſſent. Vnde Teutonici huius gloriæ cupidi, illos ſtrenuè delent, & inde Franci appellati ſunt. Sed rex eorum Carolus Martellus, Francos in duas partes diuiſit: partem illam, in qua Sequana *Genealogia Caroli.* *Alani populi.*

 & Lige-

& Ligeris, quæ Gaudiana dicebatur, currunt, Franciam & populos Francigenas, id eſt, à Francis genitos appellauit, & in Teutonico Kerlingen idiomate ſuo: alteram verò partem, in qua Rhenus currit, Franconiam, cuius populi Franci dicuntur. Pipinus filius Caroli Martelli duxit in vxorem Berchtam, filiam Heraclij: & genuit ex ea Carolum Magnum.

DCCL.

Pipinus pater Caroli vnctus eſt in regem à ſancto Bonifacio, archiepiſcopo Moguntino, iubente Papa Zacharia.

DCCLXXXI.

Conſtantinus VI. filius Leonis Quarti, imperium adeptus, regnauit cum matre ſua Irene annis XVII. cumq; opprimeretur Eccleſia Romana à rege Langobardorum Haiſtolpho, nec inueniret auxilium ab ipſo Imperatore Conſtantino: Pipinus rex, pater Caroli Magni, Romanos ab Haiſtolpho liberauit, & factus eſt Romanus patricius, & multas gentes vicit. Intereuenerat enim pactio inter Papam, & principes Teutoniæ, & Romanos, vt deuictis Langobardis, & alijs imperium vaſtantibus, imperium ad Teutonicos transferretur. Translatum ergo eſt ad eos, in perſonam Caroli Magni, filium regis Pipini.

Imperium venit ad Francos.

DCCXCVI.

Leo IIII. Papa CI. eſt ordinatus, ſedit annis XX. menſes VI. Ipſe vngit in Regem & Imperatorem Carolum Magnum, Papini filium.

DCCCI.

Ab vrbe Roma condita M. D. LII. Carolus Magnus Pipini regis filius, imperium adeptus LXXVII. Imperator à Cæſare Auguſto, regnauit annis XLVI. quem Leo Papa vnxit & conſecrauit, & magnificè coronauit. Tunc à cuncto populo clamatum eſt in hunc modum, „ Carolo Magno Romanorum Auguſto, & pacifico Imperatori, à Deo coronato, vita & victoria. „ Leo Papa illi claues confeſſionis S. Petri, & vexillum vrbis Romanæ, cum alijs muneribus miſit. Carolus iſte dilatauit fidem catholicam, fundauit monaſteria & Eccleſias: æquus fuit Iudex diuiti & pauperi, ad eleemoſynas largus, diuinis intentus. Cùm igitur eſſet Chriſtianiſſimus, & circa diuinum cultum ſollicitus, rogauit magiſtrum ſuū Alboinum, vt hiſtoriam & officium componeret de ſancta Trinitate, vt per hoc errores emendarentur, & dubia diſcederet deuotio, & ſecuritas fidei augeretur. Quibus peractis, cœpit feſtum Trinitatis à multis charius amplecti, & peragi, maximè à Germanis & Gallis, quorum principum auctoritate fuerat ordinatum. Hic Carolus expugnauit Sclauos, & repulit paganos, vicit Saxones, ſubegit Vngaros. Longitudo eius octo pedum, facies eius palmum & dimidium habebat, in longitudine, barba vnum palmum. Militem armatum ſuper equum ſedentem à vertice ſimul cum equo ſcindebat. Militem armatum rectè ſtantem, ſuper manum ſuam à terra vſq; ad caput leuabat ſola manu. Leporem integrum, aut duas gallinas edebat, vinum modicum & lymphatum bibebat. In prandio tantum ter bibit, in cœna raro. Corpore decorus, ſed vultu ferus, vt ſcribit Turpinus archiepiſcopus. In diebus dominicis & feſtiuis vtebatur regalibus veſtimentis, ornatus ſedebat, gladium ſuper genua per tranſuerſum ponebat.

Acclamatio fauſta.

Caroli victoriæ.

DE

DE CAROLI MAGNI FILIIS, ET LVDOVICO PRIMO.

Carolus Imperator & ſemper Auguſtus, republica laudabiliter gubernata, tandem feliciter obijt Aquiſgrani, & ibidem ſepultus eſt in Eccleſia glorioſæ virginis, quam ipſe miro opere condiderat. Obijt autem regni ſui XLVI. Aetatis verò LXXII. reliquit duos filios Pipinum & Ludouicum. Pipinus factus eſt rex Italiæ, Ludouicus Aquitaniæ. Hic poſt mortem patris ſui Caroli, imperium adeptus, regnauit annis XXV. Iſte conuocato concilio magno Aquiſgrani, multa de ſtatu Eccleſiarum & religioſorum vtiliter tractauit, ipſe etiam principes Eccleſiaſticos conſtituit. In iſto concilio Regula Canonicorum de diuerſis patrum ſententijs compilata fuit. Ludouicus hic fundauit Hildeshemium & Corbeiam: & reliquit tres filios, Lotharium, Carolum, & Ludouicum. *Ludouicus Imp.*

DCCCXXXVI.

Otharus Archiepiſcopus Moguntinus tranſtulit oſſa ſancti epiſcopi Erfurdiam.

DE LOTHARIO IMPERATORE.

Lotharius Ludouici filius, imperat annis XV. cui fratres eius Carolus & Ludouicus reſtiterunt, & graue bellum eidem intulerunt. Tanta autẽ vtrinq; facta eſt ſtrages, vt nulla ætas meminerit tantam aliquando fuiſſe, in regno Franciæ. Tandem pacto inito Carolus regnat in Francia, Ludouicus in Germania, Lotharius in Italia & parte Franciæ, quæ ab ipſo Lotharingia dicta eſt. Quòd iſte Ludouicus poſt patrem ſuum imperauit, non eſt intelligendum de imperio, ſed de Germaniæ regno. Lotharius tribus filijs ſuis partem, quæ ei obtigerat, partitur, Ludouico Italiam cum nomine imperij: Lothario qui Placentiæ obijt, Lotharingiam: Carolo prouinciam: & ipſe monachus efficitur in Prumienſe monaſterio. Eo tempore rex Hunnorum, id eſt, Vngarorum, Stephanus nomine, Chriſtianus effectus, baptizatus eſt, cum magnatibus & populo regni ſui. *Lotharius Imp.*

DCCCXLI.

Gregorio Papa defuncto Sergius ordinatur. iſte vocabatur Bocca de porco, ſed factus Papa dicitur Sergius, vndè ab ipſo vſque nunc ſemper mutatur nomen Papæ. Ratio huius eſt, quia dominus nomen Simoni mutauit, vocans eum Petrum, quando ipſum Eccleſiæ præfecit.

DE LVDOVICO SECVNDO.

Ludouicus ſecundus filius Lotharij, imperat annis XXI. hic regnum Siciliæ à Saracenis purgauit.

Carolus frater Lotharij, qui litigauit anno vno & menſibus vndecim cum nepotibus, veneno Interijt.

Ludouicus frater prædictorum Lotharij & Caroli, reliquit tres filios, Carolomanum, Ludouicum & Carolum.

DE SECVNDO CAROLO

DCCCLXXVIII.

Carolus Ludouici filius, imperium adeptus, & à Iohanne Papa conſecratus, regnauit annis x I. cum fratrib. ſuis Carolomano & Ludouico. Ipſe Normanos, qui Galliam inuaſerant, deuicit, & Gotfridum regem eorum de ſacro fonte leuauit, eiq; filiam Lotharij, Gallam nomine, vxorem dedit. Iſte Carolus deiectus eſt de regno: cuius frater Carolomanus de nobili fœmina reliquit filium, ſed non legitimum, nomine Arnolphum, cui patruus ſuus Ludouicus defuncto patre, dedit ducatum Carinthiæ, & caſtrum Moſeburg. Vnde cum iam nullus ſupereſſet de genere Carolorum, principes Teutoniæ hunc Arnolphum Imperatorem fecerunt.

Ducatum Carinthiæ.

DE ARNOLPHO IMPERATORE.

DCCCLXXXVIII.

Arnolphus Carolomani filius, de quo iam dictum eſt, imperium adeptus, regnare hoc anno cœpit. Huius confeſſio de corpore Christi, in ſententijs legitur. At Guido Dux Spoletanus à ſuis fautoribus rex in Italia nominatur, cuius filius Lambertus Romam veniens, ſe Imperatorem iuſſit vocari. Tunc Arnolphus Normanos, qui Teutoniam inuaſerant, annihilauit, Italiamq; ingreſſus, Bergomũ vrbem cepit, & comitem Ambroſium in furca ſuſpendit. Vnde tota Italia territa ſe ditioni eius ſubiecit. Interim Lambertus, qui ſe pro Imperatore geſſerat, moritur: & Longobardi Ludouicum filium Boſonis ad Imperium inuitant. Eo tempore factum eſt prælium magnum inter Bauaros & Vngaros. Tum quoq; Vngari vaſtauerunt Saxoniam & Franciam. Dux quoque Turingorum Burchardus, occiſus eſt ab Vngaris.

Diuiſio imperij.

Vngari in Saxoniam.

DE TERTIO LVDOVICO IMPERATORE.

Arnolphus Imperator anno x I I. regni ſui moritur, cuius filius Gundeboldus, regnum Germaniæ conabatur inuadere, ſed occiſus eſt: & Ludouicus frater legitimus regnauit annis x I I. His temporibus comes Albertus, nepos Ducis Saxoniæ Othonis, comitem Conradum interfecit. Vnde rex Ludouicus eum in caſtro Babenberg obſedit. Cui Hatto archiepiſcopus Moguntinus perſuaſit, vt ſe imperatori præſentaret, datis ei dexteram, quod eum indemnem reduceret: ſed cùm eſſent egreſſi, dixit comes, Bonum eſt redire & prandere. Cui Archiepiſcopus annuit. Vnde cùm poſtea ſine alia ſecuritate, ſe regi obtuliſſet, ſententiam capitalem accepit.

Epiſcopus prodnur. Albertus nepos Othonis Magni D. Saxoniæ, capite punitur.

DCCCCXVII.

Ludouicus I I I. obijt, in iſto Carolinorum reges & Imperatores defecerunt.

DE PRIMO CONRADO IMPERATORE.

Poſthæc

Poſthæc Teutonici Othonem de Brunſuig, ducem Saxoniæ, regem ſibi poſcunt: ſed cùm eſſet ſenex, renuit. Conſilio tamen eius electus eſt Conradus, filius comitis Conradi, quem prædictus comes Albertus nepos ipſius Othonis occiderat. Iſte mortuus eſt anno regni ſui ſeptimo, & ſepultus in Fulda.

DCCCCXXIII.

Hatto Moguntinus deuoratus eſt à muribus, nec ſe in caſtris, nec inſulis potuit ab iis defenſare.

DE REGE HENRICO AVCVPE.

DCCCCXXIIII.

Henricus filius Othonis ducis Saxoniæ, regnum adeptus, regnauit annis XVII. Iſte dicebatur Auceps, quia dum caperet auiculas, renitens, electus eſt. Ipſe lanceam ſancti Mauricij à duce Burgundiæ accepit, & à Papa inuitatus, dum Romam iret conſecrari, obijt: & ſic imperium non obtinuit. Id ſancto Vlrico, in viſione gladij ſine capitello, oſtenſum fuit. *Imperium ad Germanos.*

DE PRIMO OTHONE IMPERATORE.

DCCCCXL.

Otho filius Henrici regis Romanorum, imperium adeptus, regnauit annis XXXVIII. Iſte dictus fuit Otho Magnus, fundauit archiepiſcopatum Magdeburgenſem. Vxor eius fuit, regina Langobardiea Adelheidis. Hæc circa Argentinam in littore Rheni fluminis, in monaſterio Oiſa, cum magna veneratione ab omni populo pro ſancta habetur. Iſte Otho Aquiſgrani à Moguntino archiepiſcopo Hildeberto coronatur. Pugnauit cum Vngaris, qui Teutoniam inuaſerant, & magna cæde proſtrauit eos, in campo, qui dicitur Lechfeld. Ipſe quoque contra Beringi tyrannidem, qui XXX. annis regnum ſibi Romanum extraordinariè vſurpauerat, à Papa Iohanne iam ſupra dicto inuitatus, per vallem Tridentinam, Romam venit, & ab eodem Papa Iohanne Imperator conſecratur. Tandem, poſtquam Remp. bene rexerat, mortuus eſt in Turingia, anno regni ſui XXXVII. deductus in Magdeburg, ciuitatem metropolitanam Saxoniæ, ibidem honorificè ſepultus eſt, tempore Benedicti Quinti. *Campus Lyci prope Auguſtam.*

DE SECVNDO IMPERATORE OTHONE.

DCCCCLXXVIII.

Otho II. Othonis Magni filius, imperium adeptus, regnauit annis X. Iſte nominabatur, Mors pallida Saracenorum. Huius vxor fuit Theophania Imperatrix, quæ venit de Græcia. Iſte Imperator Otho, magnum conflictum cum Saracenis in Calabria habuit, & ceciderunt plurimi de exercitu Imperatoris, ſed & imperator vix euaſit. Hic, dum Italici pacem ſæpe violarent, Romam venit, & ante gradus Eccleſiæ S. Petri omnibus proceribus & magnatibus conuiuium magnum fecit: qui- *Prælium cum Saracenis.*

bus lætanter epulantibus, omnes vndique armatis einxit, & de violata pace mouens querimoniam, reos in ſcriptis iubet recitari: quos ſtatim ibidem decollari faciens, alios gratanter ad epulandum inuitauit. Hic defunctus Romæ, ſepultus eſt honorificè apud Eccleſiam S Petri, tempore Papæ Benedicti ſeptimi.

Ea tumba nunc proiecta iacet.

DE OTHONE TERTIO IMPERATORE.

DCCCCLXXXVIII.

Otho III. Othonis ſecundi filius, imperium adeptus regnauit annis XII. Iſte cognominabatur Mirabilia mundi, vocabatur etiam Otho Rufus. Hic cùm eſſet apud Mutinam ciuitatem cum vxore ſua, ipſa imperatrix cuidam comiti ſe proſtituere voluit: ſed cùm ille conſentire noluit, illa indignata, prædictum comitem apud Imperatorem adeò infamauit, vt eum Imperator ſine audientia decollari præciperet. Qui antequam decollaretur, rogauit vxorem ſuam, vt iudicio candentis ferri poſt mortem, eum comprobaret innocuum. Adeſt dies, in qua Cæſar ſe pupillis & viduis exhibebat iudicaturus. Affuit & fœmina, comitis ſecum caput habens, quæritq; qua morte ſit dignus, qui iniuſtè aliquem occidiſſet. Quo reſpondente, capitis priuatione. Illa ait, Tu es ille vir, qui maritum meum ad ſuggeſtionem vxoris tuæ iniuſtè occidi mandaſti. Quod dum illa per candens ferrũ probaſſet, Cæſar in manus fœminæ ſe tradidit puniendum. Interuentu tamen Pontificis & Procerum, decem dierum inducias, deinde octo, deinde ſeptem, quartò ſex à vidua accepit. Tunc Imperator cauſa examinata & cognita, vxorem ſuam viuam cremari fecit, & dans viduæ quatuor caſtra, vitam redemit. Caſtra hæc ſunt in epiſcopatu Lunæ in Etruria, & vocantur ab inducijs dierum, decimum, octauum, ſeptimum, ſextum.

Iudicium pupillorum & viduarum viſitatum magnis principib. Othonis Cæſ. æquitas.

Hic Imperator Gregorium V. in ſedem Apoſtolicam conſtituit, qui prius Bruno vocabatur, è domo natus Saxonica, qui & Imperatorem conſecrauit. nam Iohannes Placentinus Petri ſedem inuaſerat, & ſe geſſit pro Papa, conſilio Creſcentij. Quapropter Creſcentius eum duodecim ſuorum decollatus eſt, & Iohannes pſeudopapa excæcatus, de monte Tarpeio, in quo Capitolium, præcipitatur.

ANNO DOMINI M.

Imperator Otho III. cognomento Rufus, oſſa Caroli Magni Aquiſgrani à pluribus vſque ignorata, inuenit.

M I.

Imperator idem natiuitatem Domini Romæ celebrauit, & ſequenti anno defunctus eſt, & Aquiſgrani ſepultus.

DE SANCTO HENRICO IMPERATORE.

MII.

Dux

Dux Bauariæ Henricus imperium adeptus, à Cæſare Auguſto LXXXVIII. Imperator, regnauit XXIIII. Huic deſponſata fuit Cunegundis virgo nobilis, cum qua cælibem vitam ducens, cum virgine virgo remanſit, totum ſe diuino cultui tradidit, veteres Eccleſias reparans, nouas ædificans & ditans. Ipſe fundauit Babinbergenſem Eccleſiam, quam & cathedralem inſtituit, & ciuitatem eandem Eccleſijs, clero, & populo decorauit. Ipſe etiam reſtaurauit Eccleſias, Magdeburgenſem, Merſeburgenſem, Miſnenſem, Hildesheimenſem, Argentinenſem, quæ à barbaris vaſtatæ fuerant: & in Hildesheimenſe, vbi à pueritia enutritus, & literis fuit edoctus, poſuit epiſcopum ſanctum Gothardum, qui in monaſterio Heruelden ſi abbas extiterat. Summam enim diligentiam Cæſar iſte adhibens in amplificando cultu Dei, ſedes epiſcopales & Eccleſias & vniuerſum regnum ditauit. Idem Auguſtus tradidit ſororem ſuam regi Vngariæ Stephano: qui cum toto regno ſuo fidem Chriſti recepit, & dilectione Dei feruidus, & ſanctis operibus & virtutibus clarus, pro regno tranſitorio elegit æternum. Idem Imperator Henricus in Quedlinburg curiam ſuam celebrauit. Ibidem principibus conuocatis, ipſisque ſingulis & vniuerſis id ipſum aſſentientibus, Poloniam & Bohemiam, cæteraſq; Sclauorum adiacentes regiones, quia nondum fidem Chriſti receperant, debellare diſpoſuit. Victor ſine effuſione ſanguinis, gentes illas ſibi ſubegit, gratias agens Deo cum ſuis: Apuliam à Græcis diu poſſeſſam recuperat Romano imperio, Poloniam ac Burgundiam ſibi ſubigit. Rediens de Apulia infirmitate calculi cœpit laborare, & cùm plurimum torqueretur, mira patientia ſuſtinuit, Deoq; ab iſto morbo liberatus gratias egit. Anno ætatis ſuæ LII. imperij verò XXIIII. ipſe ſanctus Henricus Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus regnum temporale regi æterno reſignans, cœleſte regnum feliciter introiuit. Denique multis ſplendens virtutibus & miraculis, regali honore ſepultus eſt Babinbergæ in Eccleſia cathedrali. Poſt diſceſſum ſancti Henrici glorioſi Imperatoris, felix ſponſa ipſius Cunegundis Imperatrix, perpetuæ virginitatis obſeruatrix, orationibus, ieiunijs, vigilijs, eleëmoſynis & alijs ſanctis operibus humiliter inſiſtens, multis virtutibus claruit. Tandem feliciter ex hoc mundo tranſijt, & honorificè apud ſponſum ſuum in Babinberga eſt ſepulta.

Eccleſiæ inſtauratæ.

Henrici Zelus pro religione.

DE ARCHIEPISCOPO *VVILLEGISIO.*

Tempore ſancti Henrici Imperatoris, Vuillegiſius archiepiſcopus Moguntinus vigebat. Iſte quia humilem progeniem habuit, & patrem qui currus & bigas facere ſolebat, in thalamo ornatis & grandibus literis hæc ſcripta habebat: *Vuillegis, Vuillegis, recole vndè veneris.* Hæc & in Teutonica lingua ſcripta erant. Appendebat etiam rotas & huiuſmodi inſtrumenta in pariete circumquaque, in quibus ſuam proſapiam recognoſcebat. Adhuc vſque habentur duæ rotæ quaſi aratri in vexillo, & vna in clypeo Eccleſiæ Moguntinæ. Hic Archiepiſcopus in Moguntia maiorem Eccleſiam, & ſancti Albani Eccleſiam conſtruxit.

Humilitatis exemplum.

DE EPISCOPO HILDESHEMENSE GOTHARDO.

Gothar-

Gothardus in Althachenſe monaſterio nutritus, ibidem abbas factus ab Henrico Imperatore per Vuillegiſium Herueldenſe regimen ſuſcepit, & ſecundum ſui nominis Interpretationem laſciuos fratres durius increpauit: nam Gothard, Dei durus, ſonat Germanicè: Gatenſe quoque & Cremenſe monaſterium in cura habuit. Tandem ab Imperatore ad Hildeshemenſem epiſcopatum prouinciæ Saxoniæ vocatur.

DE SECVNDO CONRADO IMPERATORE.

MXXV.

Conradus dux Francorum regnum adeptus, regnauit annis xv. Hic deſcenderat de ſtirpe Clodouei, & duxit Giſelam de Vuebinlingen, neptem ſancti Henrici Imperatoris, vxoremq́ue Arnolphi ducis Sueuorum: quæ peperit Erneſtum & Hermanum, & hinc Peperit Henricum, qui Aquiſgrani vnctus eſt in regem per peregrinum Colonienſem archiepiſcopum. Tempore huius Conradi viſa eſt in cœlo trabs miræ magnitudinis ſuper ſolem iam ad occaſum vergentem, & ad terram cadere. Hic quoſdam epiſcopos de Italia in vincula conieeit, & quia Mediolanenſis archiepiſcopus de vinculis fugit, ſuburbia Mediolani incendit. Die Pentecoſtes, cùm idem Imperator in parua Eccleſia, ſecus vrbem ad miſſam coronaretur, tam grandia tonitrua & fulgura facta ſunt, vt aliqui mente exciderent, aliqui ſpiritum exhalarent. Bruno vero epiſcopus, qui miſſam celebrabat, & ſecretarius Imperatoris, eum alijs dixerunt, ſe inter miſſarum ſolennia vidiſſe ſanctum Ambroſium, Imperatori comminantem, niſi ab vrbe Mediolano diſcederet.

Prodigium in cœlo.

DE COMITE LEOPOLDO.

Iſte Imperator Conradus II. nulli violatori pacis pepercit: quamobrem comes Leopoldus cum vxore ſolus, in ſilua in quodam tugurio latitabat. In hac ſilua dum Cæſar venaretur, diſperſis ſuis poſt feras, nocte cogente in idem tugurium ſe recipit, cui hoſpita benignè miniſtrauit. Ipſa autem cùm eſſet grauida, eadem nocte filium peperit, & vox ad Cæſarem tertiò facta eſt: Hic puer gener tuus erit. Mane igitur dum ſuos reperit, præcipit duob. armigeris, vt puerum de manib. matris violenter reciperēt, & per mediū ſcindentes, cor eius ſibi afferrēt. At illi iuſſa complentes, puerū de gremio matris rapiunt. Quem videntes formæ elegantiſſimæ, miſericordia moti, ſuper quandam arborem, ne à feris deuoraretur, depoſuerunt, & ſcindentes leporem, cor eius Cæſari obtulerunt. Eodem die dum quidam dux inde tranſiret, & puerum vagientem audiret, eum ad ſe adduci fecit, & dum filium non haberet, ipſum vxori attulit, & à ſe & vxore genitum eſſe finxit, & Henricum vocauit. Cùm creuiſſet, erat corpore pulcherrimus, ore facundus, & omnibus gratioſus. Quodam tempore Cæſar cum duce conuiuatur: vidensq́ue Henricum adoleſcentem decorum, & prudentem, curiæ ſuæ ipſum aſſumſit, & videns eum ab omnibus commendari, cœpit dubitare, ne poſt ſe regnaret, & ne iſte ſit, quem occidi mandaſſet. Volens igitur eſſe ſecurus, literas manibus ſuis ſcriptas, per eum vxori ſuæ dirigit, in hunc modum. In quantum eſt chara tibi

tibi vita tua, mox vt literas receperis, puerum hunc necabis. Dum igitur pergens in quadam Eccleſia hoſpitatus fuiſſet, & feſſus ſuper bancum quieſceret, & burſa in qua literæ erant, dependêret: ſacerdos curioſitate ductus, burſam aperuit, & literas Imperatoris ſigillo videns munitas, ipſas ſaluo ſigillo aperuit, & legens, ſcelus abhorruit: & radens ſubtiliter, quod dicebatur, Iſtum necabis: ſcripſit, iſti filiam dabis. Regina lectis literis Principes conuocauit, & tradens ei filiam ſuam, nuptias celebrauit. Quo audito, Cæſar ira fremuit, vidensque ordinationi Dei non reſiſtendum, à duce, à duobus armigeris, à ſacerdote, & à matre pueri, veritate comperta, lætanter eum generum ſuum & hæredem conſtituit. *Dei ordinatio.*

DE DISCESSV GRÆCÆ A ROMANA ECCLESIA.
MXXVIII.

Tempore Imperatoris Conradi II. Eccleſia orientalis receſſit ab obœdientia ſedis Apoſtolicæ. Imperator iſte Conradus II. cognomine Salicus, obijt & ſepultus eſt in Spira.

DE TERTIO HENRICO IMPERATORE.
MXL.

Henricus III. Imperatoris Conradi II. filius, imperium adeptus, regnauit annis XVII. Hic à ſuis nuptijs omnes hiſtriones expulit, & quæ eis dari ſolent, pauperibus diſtribuit: Petrum regem Vngariæ è regno expulſum reſtituit. Huius tempore tantum ſchiſma in Eccleſia fuit, vt tres in ſummos Pontifices electi eſſent: quos tandem Gratianus presbyter, pecunia magna eis data, induxit, vt cederent, & ſic ipſe electus eſt. Imperator pro tanto ſchiſmate ſedando, Romam properans, apud Sutrium vrbem Gratianum obuiam habuit, qui ei coronam auream obtulit, vt eum propitium haberet. Cæſar primò cuncta diſſimulans, conuocata ſynodo Gratianum, qui & Gregorius dictus eſt, de Simonia conuicit: & eo amoto Suidgerum Babenbergenſem epiſcopum ſubſtituit, qui Clemens II. dictus eſt, à Sancto Petro CLIX. Papa ordinatus: à quo ipſe Imperator & coniux eius Agnes Imperatrix Romæ Imperialem conſecrationem ſuſceperunt. Ipſe Clemens Papa ſepultus fuit in Babenberg. Hoc tempore erant quatuor Papæ ſucceſſiuè & immediatè de Teutonia ſumpti.

DE LEONE PAPA, NONO.
MXLIX.

Hic Leo Papa dedit pallium Babenbergenſi epiſcopo: ipſe etiam conſtituit, vt fiant clauſtra iuxta Eccleſias ad diſciplinam ſeruandam. Idem conſtituit, ne ſacerdotes aut monachi canes aut aues ad venandum ſequerentur, neue turpia lucra ſectarentur. Antiochia & Ieroſolyma à Saracenis captæ, hoc tempore à Chriſtianis recuperatæ ſunt. *Scholæ iuxta Eccleſias.*

DE CONFLICTV REGIS HENRICI IIII.

MLVI.

Prælium cum Saxonibus.

Rex Henricus IIII. filius Henrici III. Imperatoris, conflixit in Turingia cum Saxonibus inter Hoenburg & Neilſtete, & victi ſunt Saxones: quos cùm ſecundò impeteret, dederunt ſe gratiæ. Rupto autem fœdere abduxit captiuos epiſcopos Magdeburgenſem & Halberſtadenſem, & Othonem quondam Bauariæ ducem, Magnum ducem Saxoniæ, & nouem Comites. Eodem anno Imperator Henricus pater iſtius regis Henrici defunctus eſt Leodij, & ſepultus Spiræ, cum patre ſuo Conrado Imperatore. Cuius exequijs interfuit Papa Victor, & patriarcha Aquileienſis, ac plurimi epiſcopi, & nobiles.

DE INCENDIO ERFORDIÆ.

MLXXIX.

Ciuitas Erfordia incenſa eſt à militibus Imperatoris Henrici, & monaſteria S. Petri & S. Seueri cum multis, qui eo confugerant, conflagrarunt.

DE FVNDATIONE MONASTERII PEGAVIENSIS.

MXCI.

Fundatio Eccleſiæ Pegauienſis inchoata eſt à Viperto Marchione, præſentibus dominis, Hertuigo Magdeburgenſe, Vualramo Citienſe, & Albino Merſburgenſe epiſcopis.

MXCIII.

Eclipſis Solis facta eſt tertia diei hora, & draco magnus viſus eſt.

DE QVINTO HENRICO IMPERATORE.

Henricus Quintus, Quarti Henrici filius, imperium adeptus, regnauit annis XIIII. Iſte cum XV. millibus militum, venit Romam, & in gradibus S. Petri, à Papa Paſchale, & à clero, & populo proceſſionabiliter ſuſcipitur. Ipſe multa magnifica fecit, Spiræ obijt, & ibidem quieſcit cum patribus ſuis. Super quatuor tumbas prædictorum quatuor Imperatorum, videlicet Conradi, Henrici III. Henrici IIII. Henrici V. vnus verſus diuiſim ſcriptus eſt, qui complectitur omnes tumbas in hunc modum: *Filius hic, Pater hic, Auus hic, Proauus iacet iſthic.* Item hoc anno dedicatum eſt monaſterium Pegauienſe, VII. Cal. Aug.

MCX.

Monaſterium Reinsdorf, à Viperto Marchione conſilio Othonis epiſcopi Babenbergenſis fundatur.

De

DE CONFLICTV IN VVELFESHOLTZ.

M C X V.

Imperator Henricus V. conflixit cum Saxonibus in Vuelfesholtz, vbi multi ceciderunt, & Imperator victus eſt, & poſt hoc obijt, & ſepultus eſt in Spira. *Saxonum victoria.*

M C X V I.

Fundatum eſt cœnobium Hallenſe, videlicet noui operis extra muros ſitum, à venerabili archiepiſcopo Magdeburgenſe Adelgoto.

M C X X I I I I.

Vipertus fundator monaſterij Pegauienſis monachus factus, in eodem quieuit in pace.

DE LOTHARIO IMPERATORE.

M C X X V.

Lotharius dux Saxonum, imperium adeptus, regnauit annis xiii. hic fundauit monaſterium Luther, prope Brunſuigam, & ibidem ſepultus eſt, vir omni laude digniſſimus.

DE TERTIO CONRADO IMPERATORE.

M C X X X V I I I.

Conradus III, nepos Henrici Cæſaris, frater Friderici ducis Sueuię, electus eſt in regem Romanorum, adhuc viuente Lothario, ſuperius memorato. Tandem pace inter eos facta Lotharius apud Veronam moritur, & apud Brunſuigam in monaſterio Luther ſepelitur. Conradus Aquiſgrani à Theodeuino Portuenſe epiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato, coronatus, regnauit annis xv. Ipſe mortuus eſt & ſepultus in Spira. *Mors Lotharij Imp.*

Hugo de ſancto Victore vir doctiſſimus & deuotus moritur.

Eugenius I I I. monachus & diui Bernardi diſcipulus, factus Papa conſtituit, vt ſtudium in Eccleſijs habeatur in Grammatica, & alijs artibus liberalibus. Ipſe etiam canonizauit Imperatorem Henricum Babenbergæ, rogatu Conradi Imperatoris, & prælatorum. *Grammaticæ ſtudium.*

M C X X X I X.

Obijt ſanctus Otho, Babenbergenſis epiſcopus.

DE PRINCIPIBUS TVRINGIAE.

M C X L.

Landgrauius Turingorum Ludouicus obijt, cuius filius Ludouicus ab Imperatore Conrado III. principatum ſuſcipit. Eodem anno fundata eſt baſilica in valle S. Georgij. Nota quòd primus Ludouicus, de quo Landgrauij Turingię nati ſunt, vocabatur Ludouicus Dedus Barbatus: & ipſe deſcenderat de genealogia Caroli Magni Imperatoris: & cùm eſſet vnus de ducibus Sueuiæ, prælijs annihilatus, inde ceſſit. Cùm autem dudum duces Turingorum defeciſſent, idem Ludouicus Barbatus ſuſcepit principatum dictæ terræ, quæ tunc per plures diſtracta & vſurpata, ceſſauit dici ducatus: ſed vſque hodie princeps præfatæ terræ, non dux, ſed Landgrauius, quod latinè ſonat, Comes prouincialis, appellatur. Dictus Ludouicus primùm ędificauit caſtrum Vuartbergum, in vertice montis excelſi, ſuper ciuitatem Iſenacum, & ipſe & filij eius, & filij filiorum, ſuper ſæpe dictam terram Turingiam, à tempore ſancti Henrici Imperatoris, vſque ad tempora Imperatoris Friderici II. per ſex generationes principantur.

Landgrauij Turingiæ de ſtirpe Caroli Magni.

Vuartbergum arx.

DE FRIDERICO IMPERATORE. MCLIIII.

Fridericus dux Sueuorum, frater Conradi Imperatoris, imperium adeptus, regnauit annos xxxix.

DE PETRO LANGOBARDO, ET GRATIANO.

Petrus Langobardus Magiſter floruit, qui quatuor libros ſententiarum, & gloſſas Pſalterij, & Epiſtolarum Pauli vtiliter compilauit, & Magiſter Gratianus, Decretum. Beatus Bernhardus migrauit ad Chriſtum.

Tres lunæ in cœlo viſæ ſunt, & in media ſignum crucis, nec multò poſt viſi tres ſoles. Contra Alexandrum Papam, qui canonicè electus fuit, duo alij eliguntur, & fauoribus Imperatoris Friderici fulciuntur. Durauit hoc ſchiſma aliquot annis. Intra quod tempus Teutonici, qui apud Tuſculum pro Imperatore morabantur, Romæ ab hora nona vſque ad veſperam tot millia hominum occiderunt, quot nunquam antea è Romanis occiſi ſunt.

DE MEDIOLANO CAPTO. MCLXII.

Imperator Fridericus primus, Mediolanum cepit & expugnauit. Tunc Reinaldus archiepiſcopus Colonienſis, qui cum eo erat, impetrauit corpora trium Magorum, qui Chriſto infanti munera obtulerunt, quæ Mediolani extra muros ante portam Romanam, in Eccleſia ſancti Euſtorgij ſeruabantur pariter, in vno ſarcophago marmoreo. Quibus impetratis Coloniam gaudens ſecum tulit, & in Eccleſia maiore honorificè collocauit.

De

DE NOBILIBVS SVBMERSIS.

MCLXXXIIII.

Rex Henricus filius Imperatoris Friderici, primùm venit Erfordiam, volens concordare Conradum archiepiſcopum Moguntinum, & Landgrauium Turingiæ Ludouicum diſcordantes: cumque in cænaculo reſiderent eum nobilibus terræ, repente pauimento diſrupto, multi in latrinam ſubtus exiſtentem ceciderunt, videlicet Comes Fridericus de Abinberg, Comes Henricus de Suartzburg, Comes Haſſiæ Gotmarus, Comes Fridericus de Kirchberg, Burchardus Comes de Vuartberg. factum hoc VII. Cal. Aug. *Caſus difficilis, quo viri generoſi perierunt.*

DE OBITV FRIDERICI IMPERATORIS.

MCXC.

Imperator Fridericus I. vir Catholicus peregre vltra mare profectus, cum multa turba crucє ſignatorum militantium, per deſertum Romaniæ, poſtquam glorioſè triumphauit de inimicis Chriſti, in modico flumine, in quod balneandi gratia poſt meridiem deſcenderat, apud Armeniam in die Apoſtoli Barnabæ, multis præſentibus caſu ſubmerſus eſt. Huic ſucceſſit filius eius rex Henricus eodem anno, & regnauit annis VII.

DE TEMPESTATE MAGNA.

Eo tempore tantæ pluuiæ cum tonitruis & fulminibus & tempeſtaribus factæ ſunt, quanta nullà memorat hominum antiquitas. Lapides ad quantitatem ouorum quadranguli; cum pluuia mixti de cœlo cadentes, arbores, & vineas, & ſegetes deſtruxerunt, & multos homines occiderunt. Corui quoque & plures aues per aërem in hac tempeſtate volantes, viſæ ſunt carbones viuos in roſtris portare, & domos incendere. Henricus VI. contra Romanam Eccleſiam ſemper Tyrannidem exercuit. Ipſe veneno interijt, ſepultus in Spira. *Tempeſtas.* *Prodigium*

MCXCI.

Eclipſis ſolis facta eſt in vigilia Iohannis Baptiſtæ.

DE PHILIPPO ET OTHONE.

MCXCVIII.

Philippus dux Sueuorum, frater Imperatoris Henrici V. in regem Romanorum electus eſt, cui ſe Papa Innocentius III. oppoſuit, quia frater ſuus Imperator Henricus, contrarius fuerat Eccleſiæ Romanæ: ordinauitque Papa, vt Otho filius ducis Saxoniæ, Aquiſgrani coronaretur. *Schiſma in imperio.*

Landgrauius Turingorum Ludouicus obijt, cuius filius Ludouicus ab Imperatore Conrado III. principatum ſuſcipit. Eodem anno fundata eſt baſilica in valle S. Georgij. Nota quòd primus Ludouicus, de quo Landgrauij Turingię nati ſunt, vocabatur Ludouicus Dedus Barbatus: & ipſe deſcenderat de genealogia Caroli Magni Imperatoris: & cùm eſſet vnus de ducibus Sueuiæ, prælijs annihilatus, inde ceſſit. Cùm autem dudum duces Turingorum defeciſſent, idem Ludouicus Barbatus ſuſcepit principatum dictæ terræ, quæ tunc per plures diſtracta & vſurpata, ceſſauit dici ducatus: ſed vſque hodie princeps præfatæ terræ, non dux, ſed Landgrauius, quod latinè ſonat, Comes prouincialis, appellatur. Dictus Ludouicus primùm ędificauit caſtrum Vuartbergum, in vertice montis excelſi, ſuper ciuitatem Iſenacum, & ipſe & filij eius, & filij filiorum, ſuper ſæpe dictam terram Turingiam, à tempore ſancti Henrici Imperatoris, vſque ad tempora Imperatoris Friderici II. per ſex generationes principantur.

Landgrauij Turingiæ de ſtirpe Caroli Magni.

Vuartbergum arx.

DE FRIDERICO IMPERATORE.

MCLIIII.

Fridericus dux Sueuorum, frater Conradi Imperatoris, imperium adeptus, regnauit annos xxxix.

DE PETRO LANGOBARDO, ET GRATIANO.

Petrus Langobardus Magiſter floruit, qui quatuor libros ſententiarum, & gloſſas Pſalterij, & Epiſtolarum Pauli vtiliter compilauit, & Magiſter Gratianus, Decretum. Beatus Bernhardus migrauit ad Chriſtum.

Tres lunæ in cœlo viſæ ſunt, & in media ſignum crucis, nec multò poſt viſi tres ſoles. Contra Alexandrum Papam, qui canonicè electus fuit, duo alij eliguntur, & fauoribus Imperatoris Friderici fulciuntur. Durauit hoc ſchiſma aliquot annis. Intra quod tempus Teutonici, qui apud Tuſculum pro Imperatore morabantur, Romæ ab hora nona vſque ad veſperam tot millia hominum occiderunt, quot nunquam antea è Romanis occiſi ſunt.

DE MEDIOLANO CAPTO.

MCLXII.

Imperator Fridericus primus, Mediolanum cepit & expugnauit. Tunc Reinaldus archiepiſcopus Colonienſis, qui cum eo erat, impetrauit corpora trium Magorum, qui Chriſto infanti munera obtulerunt, quæ Mediolani extra muros ante portam Romanam, in Eccleſia ſancti Euſtorgij ſeruabantur pariter, in vno ſarcophago marmoreo. Quibus impetratis Coloniam gaudens ſecum tulit, & in Eccleſia maiore honorificè collocauit.

De

DE NOBILIBVS SVB-MERSIS.

MCLXXXIIII.

Rex Henricus filius Imperatoris Friderici, primùm venit Erfordiam, volens concordare Conradum archiepiſcopum Moguntinum, & Landgrauium Turingiæ Ludouicum diſcordantes: cumque in cœnaculo reſiderent cum nobilibus terræ, repentè paulmento diſrupto, multi in latrinam ſubtus exiſtentem ceciderunt, videlicet Comes Fridericus de Abinberg, Comes Henricus de Suartzburg, Comes Haſſiæ Gotmarus, Comes Fridericus de Kirchberg, Burchardus Comes de Vuartberg. factum hoc VII. Cal. Aug. *Caſu difficili, quo viri generoſi perierunt.*

DE OBITV FRIDERICI IMPERATORIS.

MCXC.

Imperator Fridericus I. vir Catholicus peregrè vltra mare profectus, cum multa turba cruce ſignatorum militantium, per deſertum Romaniæ, poſtquam glorioſè triumphauit de inimicis Chriſti, in modico flumine, in quod balneandi gratia poſt meridiem deſcenderat, apud Armeniam in die Apoſtoli Barnabæ, multis præſentibus caſu ſubmerſus eſt. Huic ſucceſſit filius eius rex Henricus eodem anno, & regnauit annis VII.

DE TEMPESTATE MAGNA.

Eo tempore tantæ pluuiæ cum tonitruis & fulminibus & tempeſtatibus factæ ſunt, quanta nullà memorat hominum antiquitas. Lapides ad quantitatem ouorum quadranguli, cum pluuia mixti de cœlo cadentes, arbores, & vineas, & ſegetes deſtruxerunt, & multos homines occiderunt. Corui quoque & plures aues per aërem in hac tempeſtate volantes, viſæ ſunt carbones viuos in roſtris portare, & domos incendere. Henricus VI. contra Romanam Eccleſiam ſemper Tyrannidem exercuit. Ipſe veneno interijt, ſepultus in Spira. *Tempeſtas. Prodigium*

MCXCI.

Eclipſis ſolis facta eſt in vigilia Iohannis Baptiſtæ.

DE PHILIPPO ET OTHONE.

MCXCVIII.

Philippus dux Sueuorum, frater Imperatoris Henrici V. in regem Romanorum electus eſt, cui ſe Papa Innocentius III. oppoſuit, quia frater ſuus Imperator Henricus, contrarius fuerat Eccleſiæ Romanæ: ordinauitque Papa, vt Otho filius ducis Saxoniæ, Aquiſgrani coronaretur. *Schiſma in imperio.*

SIFFRIDI PRESBYTERI MISNENSIS EPITOMES LIBER II.

MCC.

Schiſma in Eccleſia Moguntina

CONRADVS archiepiſcopus Moguntinus obijt, pro quo eliguntur duo Lutpoldus Vuormacienſis epiſcopus, & Siffridus Bingenſis præpoſitus.

MCCI.

Sancta Cunegundis imperatrix, & virgo, canonizata eſt ab iſto Papa Innocentio III. Eodem anno vrbs Conſtantinopolis capta eſt, & ſpoliata à Chriſtianis pluribus rebus.

MCCII.

Rex Philippus à Papa Innocentio excommunicatur, & Rex Otho ab eodem Papa Romæ in Imperatorem vngitur, & Siffridus archiepiſcopus Moguntinus confirmatur.

MCCIII.

Dux Bohemiæ Turingiam vaſtauit: & iterum veniens in Turingiam, voluit cum rege Philippo confligere, ſed territus reuertitur.

MCCIIII.

Veiſenſcha obſidetur.

Rex Philippus in Turingia Veiſenſeham obſedit, & ducem Bohemiæ in regem primùm coronauit in illo regno.

MCCVIII.

Rex Philippus Babenbergæ occiſus eſt, à Palatino Comite de Vuitligsbach, & in Spira ſepultus.

DE SECVNDO FRIDERICO IMPERATORE.

MCCIX.

Papa Innocentius III. Fridericum II. filium Imperatoris Henrici V. ad ſceptrum regni ſublimauit, adhuc viuente Othone Imperatore, quem pridem idem Papa excommunicauerat, qui excommunicatus fuit, vſque ad obitum ſuum: ſed in articulo mortis à prælatis abſolutus eſt. Fridericus II. imperium adeptus, regnauit annis XXX. Hic erat ingenioſus, ſtudioſus, & literarum ſcientia magnus. leges optimas, pro libertate Eccleſiæ, & contra hæreticos edidit. Iſte ſupra omnes diuitijs & gloria abundauit. Tandem filios ſuos reges conſtituit ſuper diuerſa regna

regna, videlicet Conradum, Meinfridum, & alios. In diebus ipſius tam Latinorum, quàm Teutonicorum, & aliarum nationum prouinciæ, multa pace & tranquillitate, & abundantia gaudebant.

DE LANDGRAVIO HERMANO.

Eo tempore Landgrauius Turingię Hermanus, filius Landgrauij Ludouici, mortuus eſt, & ſepultus in Iſenaco, in Eccleſia ſanctæ Catharinæ, monialium ordinis Ciſtercienſis: relinquens quatuor filios, Ludouicum, Henricum cognomine Raſponem, Conradum, Hermanum. Ludouicus duxit ſanctam Elizabetham, filiam regis Vngarię in vxorem. Henricus Raſpo poſtmodo vnctus eſt in regem Romanorum. Conradus verò ordinem fratrum domus Teutonicæ ingreſſus, factus eſt magiſter ordinis eiusdem generalis. Hermanus mortuus eſt, cùm eſſet annorum quindecim, & ſepultus eſt apud patrem ſuum Iſenaci.

MCCXII.

In Accarone cœpit ordo fratrum domus Teutonicæ. Eodem anno Imperator Otho Vuiſſenſeham obſedit.

DE SANCTA ELISABETHA.

Regnante Imperatore Friderico II. claruit beata Elizabetha, regis Vngariæ inclita filia, ſoror Belæ, ex matre filia ducis Meraniæ. Hanc pater ſuus in annis infantiæ, exiſtentem trium annorum, deſponſauit illuſtri principi Ludouico: qui poſt patrem ſuum Hermanum, terrę Turingorum tenuit principatum: cuius proſapia de nobiliſſima ſtirpe Caroli Magni Imperatoris originem traxit. Cùm autem beata Elizabetha prædicto ſuo coniugi Landgrauio Ludouico, vnum filium Hermanum nomine, & duas filias pepeπiſſet: contigit vt idem princeps Ludouicus vnà cùm Imperatore Friderico, & multa militia cruce ſignatorum ad terram ſanctam properaret: vt transfretantes, eam terram, quam ſaluator noſter ſui ſanguinis effuſione ſacrauerat, ipſi de Saracenorum manibus liberarent. Cùm fines Appulię attigiſſent, & in ciuitate, quę Hydruntum dicitur, morarentur, dictus Landgrauius Ludouicus Deo dilectus & hominibus, carnis debita ſoluens, feliciter in Domino obdormiuit. Comites & milites oſſa Domini ſui vtique militis Chriſti, inde tollentes, non ſine magno planctu & lachrimis, ad terram Turingiam reuexerunt, & in monaſterio, quod dicitur Reinhardbornum, ſepelierunt, anno MCCXVII. Beata Elizabeta orbata ſponſo ſuo fidiſſimo, omnia quæ de dotalicijs habere poterat, quæque de regia aula patris, in auro & argento & ornamentis ſecum attulerat, in vſus pauperum conuertebat: in ciuitate Haſſiæ, quæ Martburgum dicitur, hoſpitalis iaciens fundamenta. Huius famula fuit Iſentrudis. Elizabethę virtutibus & miraculis innumeris, coram Papa Gregorio IX. & ſenatu Cardinalium examinatis & approbatis, ipſe ſummus Pontifex conſenſu omnium & applauſu, hanc glorioſam Elizabetham ſanctorum Catalogo annotauit, anno MCCXXXV. in vrbe Peruſia. Sequente anno dum ſancta oſſa ipſius transferri deberent, multitudo cleri & populi innumerabilis,

Diuæ Elizabethæ progenies.

merabilis, ad tumbam eius ad ciuitatem Martburgum confluxit, ſed & Imperator Fridericus, cum epiſcopis & prælatis atque principibus ibidem affuit, & coronam auream obtulit, multaque priuilegia & donaria largiter tribuit. Translatione ergo ſolenniter peracta, ſinguli ad propria cum gaudio redierunt.

MCCXVII.

Imperator Otho obijt Brunſuigæ.

MCCXXI.

Beatus Dominicus migrauit ad Chriſtum, & ſepultus eſt in ciuitate Bononia. Eodem anno Iudæi in Erfordia occiſi ſunt.

MCCXXII.

Cædes antiſtitis. Engelbertus Colonienſis archiepiſcopus occiſus à Comite Friderico de Iſenberg, qui & ipſe in vltionem effuſi ſanguinis crurifragio interijt. Eodem anno Damiata à Saracenis reſumpta eſt.

MCCXXIIII.

Tartari magnam multitudinem Ruthenorum proſtrauerunt.

MCCXXVII.

Imperator Fridericus cum multa turba cruce ſignatorum ad ſanctam terram properauit, ſed illud paſſagium impeditum fuit.

MCCXXVIII.

Ieruſalem Chriſtianis reſtituitur. Gens Scotorum tunc temporis ferè duobus annis diſcurrendo, terras pertranſiuit.

MCCXXX.

Archiepiſcopus Moguntinus Siffridus II. obijt in Erfordia, cui Siffridus III. ſucceſſit.

DE FILIIS BEATÆ ELIZABETHAE.

MCCXXXI.

Beata Elizabetha tranſijt, relinquens vnum filium Hermanum, & duas filias, quarum vnam duxit dux Brabantiæ, altera verò Gerdrudis nomine, monaſterium ingreſſa, cœlibem vitam duxit. Hermanus Landgrauius filius Landgrauij Ludouici & ſanctæ Elizabethæ, ducens vxorem, poſt celebratas nuptias, veneno peremptus eſt, à quadam malefica, nomine Berchta de Seberg, quæ fuit vxor cuiuſdam nobilis de curia dicti principis. Iſte ergo Landgrauius Hermanus mortuus eſt, non relinquens heredem. Eodem tempore dux Bauariæ Ludouicus occiſus eſt à graſſatoribus, vt dicebatur, immiſſis ab imperatore Friderico.

Dux Bauariæ occiſus.

DE

DE HENRICO MARCHIONE MISNENSE.

Hoc tempore Marchio Miſnenſis Henricus, cognatus Landgrauij Turingorum Ludouici, & fratrum ſuorum, cùm haberet duos filios Albertum & Ditericum, quos genuerat ei nobilis & inclita princeps Conſtantia, filia ducis Auſtriæ: cum magna pompa & faſtu venit ad curiam Friderici Imperatoris, petens filiam ipſius Cæſaris, Margaretham, dari ſuo filio vxorem. Iſte princeps Marchio Henricus diuitijs & gloria omnes principes Germanicos anteibat, eratque largus valde & munificus, multa militum famulorumque caterua munitus, ſemper hilaris, ſemper viuens in magnis delitijs & honore. Hic non ſolùm Baronibus, & militibus, & capitaneis, & famulis ſuis, imò etiam alijs principibus & nobilibus victum, & precioſum veſtitum, abundanter & largiter tribuebat. In tanta gloria & prodigalitate, in curia Cæſaris apparuit, vt non ſolùm principes & nobiles, ſed & ipſe Imperator & Auguſtus in ſtuporem verteretur. Tandem adepta filia Imperatoris, tradidit eam Alberto filio ſuo in vxorem, quem præcedente tempore Landgrauium conſtituit Turingorum. Hęc genuit dicto Alberto tres filios, Henricum, Fridericum, Ditericum. *Amplitudo Marchionis Miſnenſis.*

M C C X X X I I.

In Teutonia multi hęretici tonſi & cremati ſunt, à magiſtro Conrado de Martburg, ex commiſſione Domini Papæ Gregorij. *Hæretici.*

M C C X X X I I I.

Idem Magiſter Conradus de Martburg, prædicator verbi Dei, confeſſor beatæ Elizabethæ, occiſus eſt & ſepultus in Martburg in Eccleſia ſanctæ Elizabethę.

M C C X X X V I.

Præſente Imperatore Friderico, & populi innumerabili multitudine beata Elizabetha translata eſt.

M C C X X X V I I I.

Tartari in Vngaria & Polonia multa millia Chriſtianorum occiderunt. Contra ipſos Gregorius Papa fecit crucem prædicari. Similiter contra Stetingos, de quibus quinque millia hominum à cruce ſignatis occiſi ſunt. Eodem anno Landgrauius Conradus frater Ludouici, Friſlarenſibus humiliter ſatisfecit, & intrans ordinem fratrum domus Teutonicæ, vitam in bonis operibus conſummauit. Et hic ſepultus eſt apud Martburg in Eccleſia beatæ Elizabethę, vbi domus Teutonicæ fratres, magnum habent conuentum militum, & clericorum, & aliorum fratrum ordinis, ibique pauperibus & aduenis caritatiuè neceſſaria victus miniſtrantur.

Land-

MCCXLVI.

Turingiæ Landgrauius fit Imp. Landgrauius Turingiæ Henricus, cognomine Raſpo, in regem Romanorum electus eſt, annuente Papa Innocentio, qui eidem Henrico infinitam pecuniam miſit, vt Imperatori Friderico præualere poſſet. Eodem anno dux Auſtriæ, cùm vno die bis triumphaſſet, in ipſo conflictu á proprijs hominibus ſuis occiſus eſt.

DE CONFLICTV REGVM.

MCCXLVII.

Prælium. Rex Romanorum Henricus, Conradum filium Imperatoris Friderici, apud Francofordiam, in die ſancti regis Oſualdi, prælio vicit. Eodem anno idem Henricus VII. rex mortuus eſt, & ſepultus apud patrem ſuum Landgrauium Hermannum in Iſenaco, in Eccleſia ſanctimonialium ordinis Ciſterclenſis. Et in iſto defecerunt iſti nobiles principes Turingię, qui de proſapia Caroli Magni Imperatoris originem traxerunt. *Turingia ad Marchiones Miſnenſes.* Tunc Marchio Miſnenſis Henricus, Turingiam & Saxoniæ Palatinatum ſibi vſurpat. Quamobrem graue bellum inter ipſum, & duciſſam Brabantiæ poſtea eſt exortum.

DE REGE VILHELMO.

MCCXLVIII.

Comes Hollandiæ Vilhelmus, in regem Romanorum electus eſt, & ciuitatem Aquiſgrani expugnauit, & ibidem à duobus Cardinalibus coronatus, regalem accipit benedictionem. Eodem anno obijt dux Brabantiæ.

DE REGE FRANCIÆ

MCCXLIX.

Rex Franciæ Ludouicus, Damiatam expugnauit, & in poſſeſſione pacifica habuit. Poſtea in breui à Soldano captus eſt, & centum millia marcarum dedit, & Damiatam reſtituit. Eodem anno obijt archiepiſcopus Moguntinus Siffridus, cui ſucceſſit Chriſtianus.

MCCL.

Cædes regis. Rex Daciæ procurante fratre ſuo Abel, per traditionem & fraudem miſerabiliter eſt occiſus.

MCCLI.

Hugo Cardinalis in Teutoniam legatus miſſus, Vilhelmum regem confirmauit, Chriſtianum archiepiſcopum Moguntinum depoſuit, Gerhardum eidem ſubrogauit.

DE MORTE FRIDERICI IMPERATORIS.

MCCLII.

Imperator

Imperator Fridericus II. ad extrema vitæ deueniens, perceptis Eccleſiaſticis ſacramentis mortuus eſt, & ſepultus apud Fogiam.

MCCLIII.

Rex Vilhelmus contra Comitiſſam Flandriæ pugnauit, & victoriam habuit. Eodem anno obijt rex Bohemiæ.

MCCLIIII.

Alexander IIII. Ezelinum tortorem Chriſtianorum, interfectorem ſexaginta fratrum minorum, & aliorum plurimorum fidelium, pro hæretico cum omnibus fautoribus ſuis condemnauit. *Ezelinus tyrannus.*

MCCLVI.

Rex Vilhelmus occiſus eſt à Friſonibus.

MCCLVIII.

Tartari expugnauerunt partes Orientales, videlicet regnum Indiæ, regnum Armeniæ, regnum Niniue, regnum de Vualdach, regnum etiam Hieroſolymitanum, Antiochiam, & partes Chriſtianorum vltra mare. *Oriens vaſtatus.*

MCCLX.

Gerhardus archiepiſcopus Moguntinus, mortuus eſt in Erfordia, & ſepultus ibidem, cui ſucceſſit Vuernherus. Eodem anno duciſſa Brabantiæ, filia beatæ Elizabethæ cum magno exercitu & armis bellicis intrauit Turingiam, ducens ſecum filium ſuum Landgrauium Haſſiæ, qui tunc erat annorum duodecim; dictamque terram ſpolijs & incendijs deuaſtauit: quia Marchio Miſnenſis prædictam terram ſibi vſurpauerat, cùm tamen filius iam dictæ Duciſſæ, Landgrauius ſcilicet Haſſiæ, propinquior eſſet hæres. *Bellum inter Brabantos & Miſnenſes.*

DE NIGROMANTICO IN FRIBERGA MISNIAE.

In diebus iſtius Marchionis Henrici accidit quoddam valde miſerabile & horrendum in Friberga ciuitate dicti Principis. Quidam enim ſcholaris amore cuiuſdam puellæ nimium ſtimulatus, conſilium atque ſuffragium à quodam nigromantico, promiſſa pecunia, requiſiuit, vt ſibi puellam impetret. Ille autem in quoddam cellarium, eundem ſcholarem ſecum ducens, & ſphæras ac figuras, vt aſſolent, circum ſe ſuper pauimentum deſcribens, cœpit legere coniurationes diabolicas. Poſtquàm autem multa phantaſmata diaboli ſe vtriuſque oculis ingeſſiſſent, tandem diabolus in forma illius puellæ apparuit, ſeque illi in eius amore ardente eminus exhibebat. Ille cœco amore ductus, cùm manum extra ſphæram extenderet, volens amaſiam ſuam deprehendere, ſtatim à dæmonio arreptus, & ab eo parietibus cellarij alliſus & conquaſſatus, ſupra nigromanticum illum eſt proiectus mortuus. Tunc ille ferè exanimis factus, inde ſe mouere non potuit, ſed toto reſiduo illius noctis, mortuum ſuper ſe proſtratum ſuſtinens, voces edebat miſerabiles. Manè multi de ciuitate, auditis huiuſmodi clamoribus, conturbati & territi conuenerunt, & ipſum inde ſeminecem eduxerunt. *Pœna nigromantici.*

Soldanus

MCCLX.

Soldanus Babyloniæ, rex Aegypti, reſumptis viribus cum exercitu barbarorum clam irruit in caſtra Tartarorum, & multa ex eis millia interficit. Hoc anno quatuor Metropolitani, Moguntinus, Treuerenſis, Bremenſis, Magdeburgenſis, à Papa Alexandro IIII. Romæ conſecrati ſunt. Eodem anno multa millia flagellatorum prodierunt in mundum, dicentes hominem ab omnibus peccatis abſolui, ſi in tali ſecta per vnum menſem verſaretur.

MCCLXI.

Tartari. Celebrata ſunt concilia in Moguntia, ab archiepiſcopo Vuernero, & aliâs ab alijs archiepiſcopis, iubente Papa Alexandro, contra Tartaros, & alia pericula: vt per verbum crucis, & orationes fidelium, inimicis Eccleſiæ reſiſteretur.

MCCLXII.

Impoſtor. Venit quidam cum exercitu magno dicens, ſe eſſe Imperatorem Fridericum, qui ante decem annos mortuus fuerat.

DE CONFLICTV PRINCIPVM.

MCCLXIII.

Prælium inter Miſnenſes & Saxones. In vigilia Apoſtolorum Simonis & Iudæ, illuſtres principes Albertus Turingiæ Landgrauius, & germanus eius Marchio Ditericus de Lansberg, conflictum habuerunt cum duce Saxoniæ Alberto, & glorioſe triumphantes ceperunt ipſum ducem, & Comitem Henricum de Anhald, & alios plures Comites & nobiles.

MCCLXIIII.

Stella, quæ dicitur cometes, viſa eſt.

MCCLXV.

Clemens IIII. à ſancto Petro CXCIII. ordinatur. Hic cum Meinfrido, rege Apuliæ, filio Imperatoris Friderici, graue prælium habuit. Eodem anno Soldanus Babyloniæ impugnans Chriſtianos, in terra ſancta cepit Azotum, caſtrum domus hoſpitalis, & caſtrum & ciuitatem Cæſaream, & ciuitatem Capham.

DE CONFLICTV REGVM.

MCCLXVI.

Clemens Papa præcepit crucem cum magna indulgentia prædicari in ſubſidium terræ ſanctæ. Eodem anno Comes Carolus frater regis Franciæ Ludouici, conflixit cum Meinfrido rege, filio Imperatoris Friderici, & vicit & occidit eum. Quo facto Papa fecit Carolum regem Siciliæ. Eodem anno Comes Hoenloius, & ciues Vurtzburgenſes conflixerunt cum Comite Hermano de Hennenberg, apud ciuitatem Kitzingen, iuxta Mogum fluuium pro epiſcopatu, quia duo per diſſenſionem electi fuerant. Sed Comes Hoenloius cum omnibus ſuis cruce ſignatis,

Prælium inter antiſtites.

ſignatis, victoriam habuit. Hoc etiam anno Soldanus Babyloniæ ſubiugauit ſibi Ieruſalem, Bethleem, Nazareth, Galilæam totam, & alias multas munitiones. Cœpit etiam, & ſuffodiens caſtrum munitiſſimum, quod dicitur Caphet, in quo fratres domus Teutonicæ, & alios Chriſtianos inuentos, duris vinculis conſtrinxit ad duo millia, & plures. Hos omnes in fide examinari fecit, ipſi verò omnes præter octo, in confeſſione Chriſti occiſi ſunt. *Sæuitia in Christianos.*

MCCLXVII.

Cruce ſignati ſunt in ſubſidium terræ ſanctæ, rex Franciæ Ludouicus, rex Angliæ, rex Aragoniæ, rex Nauarræ, archiepiſcopus Rotomagenſis, & alij plures. Eodem anno beata Heduigis quondam duciſſa Poloniæ, canonizata eſt à Papa Clemente.

DE CONRADO ET CAROLO.

MCCLXVIII.

Clemens Papa crucem prædicari fecit contra regem Conradum, filium Imperatoris Friderici, & contra ciuitates Thuſciæ & Langobardiæ illi adhærentes. Inito autem conflictu inter Conradum & Carolum, victoriam habuit Conradus: ſed à quodam potente Langobardo in munitionem receptus, traditus eſt fraudulenter cum Marchione de Baden, & comite Piſano. Qui poſt paucos dies à Carolo capitalem ſententiam acceperunt, prius tamen confeſſione facta. *Proditio.*

MCCLXIX.

Soldanus expugnat Antiochiam, & occidit in ea multa millia hominum.

DE FILIA IMPERATORIS.

MCCLXX.

Obijt rex Vngariæ Bela. Eodem anno inclita & nobiliſſima princeps Margaretha, filia Imperatoris Friderici, Turingiæ Landgrauia, cùm multas contumelias, & comminationes etiam mortis, à marito ſuo Landgrauio Alberto indignè pertuliſſet: tandem exiſtens in caſtro Vuartbergo, ſuffragio cuiuſdam militis, per murum in ſporta de altiſſima rupe eiuſdem caſtri demiſſa, cum duobus tantùm pediſequis, & duobus camerarijs fugam inijt. Ipſa namque inter cæteras pediſequas ſuas vnam habuit, quæ Cunegundis de Iſenberg vocabatur: quam idem Landgrauius amans, & cum ea frequenter adulterans, filiam Cæſaris exoſam habuit & deſpectam. Abbas Fuldenſis dictam filiam Imperatoris fugientem, vſque ad Francofurdiam deduci fecit: vbi à ciuibus honorificè ſuſcepta & pertractata, ibidem defuncta eſt eodem anno, & honore regio tumulata, per archiepiſcopum Moguntinum. *Maritalis perfidia.*

MCCLXXI.

In Teutonia fames valida fuit, & tribus annis durauit, ita quod multi homines fame perierunt. *Fames.*

MCCLXXII.

Rex Vngariæ Stephanus, poſt plurima prælia inter ipſum & regem Bohemiæ Odoacrum habita, mortuus eſt.

MCCLXXIII.

In feſto S. Michaëlis in Francofurdia electus eſt in regem Romanorum, Rudolphus de Habisburg, comes prouinciæ Alſatiæ, & ſtatim Aquiſgrani coronatus.

MCCLXXIIII.

DE RODOLPHO IMPERATORE.

Rex Bohemiæ ad imperium aſpirat.

Lugduni celebratum eſt concilium magnum præſidente Papa Gregorio x. Hic electionem regis Rudolphi confirmauit, reprobatis nuncijs regis Hiſpaniæ, & regis Bohemiæ. Ipſe namque rex Bohemiæ Odoacrus ſolennes nuncios, & multam pecuniam & munera ad curiam domini Papæ Gregorij tranſmiſerat, eò quod ipſe ad imperium aſpiraret. Papa munera non attendens, circumſedentibus ſic dicebat: Cùm in Alemania plures principes & comites habeamus, quare vellemus Sclauum ad imperium ſublimare? Rudolphus itaque imperium adeptus, regnauit annis xviii. Iſte in diebus ſuis tranquillam pacem procurauit, æquus iudex diuiti & pauperi extitit, Eccleſias & hoſpitalia defendit & protexit. Cùm videret milites, humilibus perſonis ſecum loqui cupientibus, acceſſum ad ſe prohibere, dixit: Per Deum, date hominibus accedendi locum, non enim propter hoc ad imperium ſum electus, vt hominibus in arca præcludar. Vbicunque proceſſit, ſi conſpexit aliquem ſecum loqui cupientem, ſtatim ſe illi exhibuit ad confabulandum. Ipſe denique omnibus ſe expoſuit, & neminem contempſit. Strenuus erat in armis, in Chriſtiana religione fidelis. Et cùm eſſet miræ prudentiæ, & prouectæ ætatis, hilaris tamen & iucundus ſemper extitit, & cum magna modeſtia & manſuetudine imperium gubernauit.

Affabilitas in Imperatore.

DE LANDGRAVIO ET MARCHIONE FRATRIBVS.

MCCLXXV.

Orta diſcordia inter nobiles principes, Albertum Turingorum Landgrauiū, & fratrem eius Ditericū Marchionem de Landisberg: ideo Marchio Ditericus, & Archiepiſcopus Magdeburgenſis Conradus, Turingiam cum magno exercitu armis hoſtilibus inuadentes, caſtra metati ſunt, in ciuitate, quæ Denneſtere dicitur, & tantùm vna nocte inibi permanſerunt. Nam prædictus Landgrauius Albertus eadem nocte exercitum mille equitum armatorum & vltra, & peditum vulgus innumerabile conuocans, fratrem ſuum iam præfatum potenter & viriliter de terra Turingia fugat.

Pugna inter Landgrauios Turingiæ.

MCCLXXVI.

Papa ruina oppreſſus.

Iohannes xviii. à Sancto Petro cxcviii. Papa ordinatur: hic dum quendam librum, vt dicebatur, hæreticum & peruerſum dictaret, ſu-

ret: ſubitò domus, in qua ſedebat, ſuper eum corruit, & in tantum concuſſit, vt infra ſpacium quinque dierum, miſerabiliter moreretur, replicans ſæpius hæc verba, vel ſimilia, Quid fiet de libello meo? quis complebit libellum meum? Obijt & iſte primo anno pontificatus ſui. Eodem anno rex Romanorum Rodolphus multa militia & pugnatorum turma collecta, aciem direxit ad orientem, ſubijciens ſibi terras, quas rex Bohemorum Odoacrus occupauerat, & ſibi illicitè vſurpauerat, videlicet Auſtriam, Stiriam, & Carinthiam, & loca plura alia. *Bellum contra regem Boemiæ.*

HOSTIS GERMANORVM PAPA.

Martinus III. Papa, in tanto odio habebat Teutonicos, vt optaret totam Alemaniam vnam eſſe piſcinam. *Votum pontificis.*

DE VISIONIBVS DIVERSIS.

In illis diebus dum guerræ & prælia inter regem Romanorum Rodolphum, & regem Bohemorum Odoacrum creſcerent, & vtrobiq; malum diſcordiæ augeretur: diuerſæ viſiones & ſomnia veridica, de caſu regis Odoacri, ſunt diuerſis reuelata. Ipſe namque rex Bohemiæ vidit in viſu noctis, quòd plurima cornua haberet in capite, quæ omnia præter vnum ſibi radicitus ſunt euulſa. Quidam etiam clericus in Alemania vidit in ſomno, quòd fluuius magnus & turbidus, glacie mixtus, raptim traheretur ab occidente contra Bohemiam: vocemq; audiuit lamentabilem, clamitantem hæc verba, Dies tribulationis, dies miſeriæ. Quidam quoque miles nomine Reinbotho, ſimiliter Teutonicus, vidit per ſomnium quindecim Lunas in cœlo pugnare, quarum duæ cæteris erant maiores, & vna ex his duabus habebat foramina multa, in quam cæteræ Lunæ impegerunt, & penitus conſumſerunt: cumq; iam dictus miles hoc miraretur, vidit regem Bohemiæ propè ſtantem, & multum vomitum emittentem. *Somnia.*

DE REGE ODOACRO OCCISO.

MCCLXXVIII.

Rex Romanorum Rodolphus, & rex Bohemiæ Odoacrus multis millibus pugnatorum in campo Auſtriæ, quod Marchfeld dicitur, ad pugnandum hoſtiliter ſunt congreſſi. In hoc conflictu vtriſque exercitibus hoſtiliter dimicantibus, rex Bohemiæ à ſuis traditus, & ad mortem vulneratus occubuit. De eius morte rex Romanorum ſupra modum turbatus eſt, quia commiſerat ſuis, vt ipſum incolumem conſeruarent. Mortuo rege Odoacro ſtatim maxima clades totius regni ſecuta eſt, ita vt per triennium cotidiè gens Bohemorum de terra ſua fame compellente, & inopia, relictis habitaculis transmigrarent: venientesq; in Turingiam & Miſnam, & alias partes Teutoniæ, miſerabili inedia per plateas ciuitatum, mortui corruerent. Corpus quoque regis Odoacri ſeruabatur multo tempore inſepultum, quia ipſe fuerat à domino Papa excommunicationis ſententia notatus. *Pugna inter Imp. & Boemum.*

DE REGE WENCESLAO.

Rodolphi filiæ. Filius regis Odoacri, vnigenitus Vuenceſlaus II. regnauit pro patre ſuo: cui rex Romanorum Rodolphus filiam ſuam, Gutham nomine, tradidit in vxorem: alteram filiam dedit Carolo filio regis Siciliæ, tertiam duci Bauariæ, quartam duci Saxoniæ. Sororem Vuenceſlai coniunxit Rodolpho filio ſuo iuniori, quem conſtituit ducem Auſtriæ. Hic defunctus eſt Pragæ, & ſepultus in Eccleſia Cathedrali: relinquens filium, nomine Iohannem. Albertus autem ſenior filius regis Rodolphi, ſucceſſit fratri ſuo in ducatu Auſtriæ, & Iohannes manſit apud auunculum ſuum Vuenceſlaum regem Bohemiæ. Dux Albertus filius regis Rodolphi, iam duxerat in vxorem Mathildim ſororem ducis Carinthiæ, & comitis Tyrolenſis, quæ genuit ei multos filios & filias. Primogenitus eius Rodolphus duxit filiam regis Franciæ, quæ in primo puerperio defuncta, ſepulta eſt in Vienna Auſtriæ.

DE FRIDERICO SIMVLATO.

MCCLXXXIIII.

Archiepiſcopus Moguntinus Vuernerus defunctus eſt. Eodem anno vir quidam ſenex venit in Coloniam Agrippinam, aſſerens ſe eſſe Fictus Imperator. Fridericum Imperatorem, qui ante xxxii. annos mortuus fuerat. Hic eiectus à Colonia, receptus eſt à ciuibus Nuſſiæ.

MCCLXXXV.

Hoc anno obijt rex Siciliæ Carolus, & filius eius in bello occiſus. Mortui etiam ſunt, Marchio Ditericus de Landsberg, filius Marchionis Henrici Miſnenſis, comites de Orlamunda Hermanus & Otho, comes Henricus de Suartzburg. Eodem anno vir ille, qui finxerat ſe Imperatorem Fridericum, crematus eſt in Vuitzlaria.

DE VVERNERO MARTYRE.

MCCLXXXVII.

Rex Romanorum Rodolphus, in ciuitate Francorum, quæ dicitur Vurtzeburg, colloquium habuit cum principibus & nobilibus Teutoniæ. Hoc anno felix adoleſcens Vuernerus, excruciatus eſt à Iudæis, & occiſus in die paraſceues, ad littus Rheni fluminis, in ciuitate Vueſela, & in oppido Bacherach ſepultus, cuius ſanctitatem miracula ibidem proteſtantur.

Puer à Iudæis occiſus.

DE MORTE HENRICI MARCHIONIS.

MCCLXXXVIII.

Obijt archiepiſcopus Moguntinus Henricus, cui ſucceſſit Gerhardus. Hoc etiam anno inclytus princeps Marchio Miſnenſis Henricus defunctus eſt Dreſdæ, & ſepultus in Cella, cum patribus ſuis, in monaſterio ordinis Ciſtercienſis. Eodem anno archiepiſcopus Colonienſis captus eſt in prælio, & occiſi ſunt viri circiter mille in ipſo conflictu.

Mors primi Landgrauij Turingiæ.

MCCLXXXIX.

Dux

Dux Vratiſlauienſis Henricus,ſubiugauit ſibi regnum Cracouiæ, & veneno interijt anno ſequente.

DE REGIS ADVENTV IN TVRINGIAM.

MCCXC.

Rex Romanorum Rodolphus intrauit Turingiam,reformans pacem non ſolùm illi terræ,ſed & alijs in confinio eius,& conuocans principes, & multos nobiles, in conuiuijs & delicijs cum eiſdem manſit in Erfordia ciuitate, per plures dies: fueruntq́; ſecum ibidem filij ſui Albertus & Rodolphus, dux Auſtriæ, qui adhuc vixit, licet de morte ſua anticipando dictum ſit. Filiæ quoque eius Iatta regina Bohemiæ, item ducisſa Bauariæ, & duciſſa Saxoniæ, & aliæ multæ nobiles fœminæ.

Rodolphi Imp. aduentus in Turingiam.

DE EXCIDIO TERRÆ SANCTAE.

MCCXCI.

Ciuitas Accaron capta eſt à Saracenis, & multa millia hominum ex vtraque parte ceciderunt, & tunc Chriſtiani omnino de terra ſancta expulſi ſunt,quorum multi confugerunt in Cyprum inſulam. Eodem anno obijt glorioſus rex Romanorum Rodolphus, & ſepultus eſt in Spira,anno regni ſui XVIII.

Saracenorum tyranni.

DE REGE ADOLPHO.

MCCXCII.

In Francofurdia electus eſt comes Adolphus de Naſſau in regem Romanorum: Archiepiſcopo Moguntino Gerhardo, alios principes ad eiuſmodi electionis conſenſum attrahente.

DE VASTATA TVRINGIA.

MCCXCIIII.

Rex Romanorum Adolphus, manu forti introiuit Turingiam menſe Septembri, multa mala ibidem exercens,ſtuprans virgines,Eccleſias vaſtans, innocentes & iuſtos ſpolians,opprimens,& occidens, & alia plura perpetrans contra normam iuſticiæ. Contigit autem cùm idem rex Adolphus in Turingia quandam villam pertranſiret, quæ Sumeringen dicitur,iuxta quam extructa eſt Eccleſia ſancti Gangolfi militis & martyris:vt duæ vetulæ mulieres ad dictam Eccleſiam cum rebus ſuis confugerent quas quidam pedites de exercitu, rebus & veſtibus ſpoliantes,nudas perunxerunt pice, cum ſebo mixto, deinde in plumis voluntantes, diſcurrere permiſerunt. Tunc illæ cum fletu & clamore, vſque ad regem peruenerunt. Quas videns comes Ditericus de Hoënſtein, lachrymans & regem accedens dixit, Domine videte & miſeremini. Cui rex, Ecquis modò poterit inuenire reos? & ſic illæ mulieres ad ſua ſunt conuerſæ cum mœrore,nullam gratiam conſecutæ ſunt.

Ludibrium Suecorum quo dehoneſtarunt fœminas.

DE VASTATIONE MISNAE, ET EXPVLSIONE PRINCIPVM.

MCCXCVI.

Rex Adolphus tyrannide ſua in Turingia crudeliter expleta, vt ſuperius eſt narratum, ad terram Orientalem caſtra & arma mouit. In qua quibuſdam muuitionibus occupatis, quibuſdam funditus deſtructis, direxit aciem contra Miſnam, & tradita eſt ei ciuitas Friberga, in qua caſtrum firmiſſimum ſuffodiens, cepit: & multos ſtrenuos viros in eo repertos capitali ſententia condemnauit. Tradita eſt ei quoque Miſnæ caſtrum & ciuitas, & aliæ munitiones terræ. Et tunc Marchiones Miſnenſes Fridericus & Dicemannus germani filij Landgrauij Turingorum Alberti, nepotes Imperatoris Friderici, de iam dictis terris progenitorum ſuorum eliminati ſunt. Quaſdam deinde munitiones in Miſnia & Turingia, & terra Orientali reſumpſerunt.

Exilium principum optimorum.

DE CORONATIONE REGIS BOHEMIAE.

Eodem anno In feſto Pentecoſtes rex Bohemiæ Vuenceslaus II. ab archiepiſcopo Moguntino Gerhardo coronatus eſt, & vnctus. Et hæc ſolennitas Pragæ peracta eſt regali ſumptu, & pompa glorioſa. Affuit ibidem Dux Auſtriæ Albertus, filius regis Romanorum Rodolphi, & alij principes Germaniæ & Poloniæ, & epiſcopi multi: ſed gaudium in mœrorem (proh dolor) eſt conuerſum. Nam inclyta Iutta, Rodolphi regis Romanorum filia, dicti regis Bohemiæ coniux, cùm nouiter peperiſſet, ſic in ipſo puerperio coronata, dolore inualeſcente defuncta eſt, relinquens filium nomine Vuenceſlaum, & filiam, quam poſtmodo iunior dux Carinthiæ accepit vxorem. In eadem ſolennitate principes electores, vnà cum Archiepiſcopo Moguntino, & rege Bohemiæ decreuerunt deſtituere regem Romanorum Adolphum, plures articulos contra ipſum producentes. Primus fuit, quia Eccleſias vaſtaſſet: ſecundus, quia virgines ſtupraſſet: tertius, quia accepiſſet ſtipendia belli ab inferiore ſe, ſcilicet rege Angliæ, quod Auguſto non licet, nec decet: quartus, quia Remp. non auxiſſet, ſed magis diſſipaſſet, & ab hoc Auguſtus de cætero vocari non deberet. His alijsq; de cauſis eodem anno eidem Adolpho imperium abiudicantes, ducem Auſtriæ Albertum, ipſum regem Romanorum & Auguſtum nuncupant. Eodem tempore groſſi Pragenſes denarij initium ceperunt, ſub rege Vuenceſlao II. Poſt aliquot annos Vuenceſlaus mœrore abiecto de morte reginæ, duxit filiam regis de Calis: ſibique regnum Calis, & regnum Cracouiæ ſubiugauit.

DE INTERITU REGIS ADOLPHI.

MCCXCVIII.

Inter regem Adolphum iam abiectum, & regem Albertum nouiter electum, graue bellum eſt exortum. Dictis regibus cum multis millibus militum & pugnatorum iuxta Rhenum fluuium, tempore meſſis ad confligendum congreſſis, multi ceciderunt. Demum ex vtraque parte hoſtiliter dimicantibus, totum pondus prælij verſum eſt in Adolphum: ceciditq; non ſolùm gladijs vulneratus, ſed & vngulis equorum conculcatus,

catus, & in proprio ſanguine volutatus, miſerabiliter animam exhalauit. Et ſic Deo annuente victoriam glorioſam obtinuit rex nouus Albertus, itaque Aquiſgrani coronatus, regalem accipit benedictionem. *Cedes regū Romanorum.*

DE TERRÆMOTV.

Eodem anno ante natiuitatem Domini, magnus terræmotus & inauditus cœpit fieri in Thuſcia, qui protendebatur tempore & loco. Tempore quidem, quia continuauit octo hebdomadas, & factus fuit ſingulis diebus pluries: loco verò, quia cœpit in ciuitate, quæ dicitur Forlipium, & protendebatur per tres diætas vſque ad Reate ciuitatem, in qua tunc morabatur Papa Bonifacius cum Cardinalibus, & de Reate per diætas vſque ad muros vrbis Romæ. Fuit autem tam vehemens ille terræmotus, vt in diuerſis caſtris & ciuitatibus multas turres & domus ſubrueret: quarum ruina, quot homines vtriuſque ſexus obruti & perempti fuerint, quis enarrare ſufficiat? Idem Papa dum altari, diuina celebraturus, aſtaret: ſubitò tetra horribili motu & ſtridore concutitur, parietes baſilicæ quatiuntur, lapides colliſi ad inuicem, diſſecantur. Quid plura? Papa ex huiuſmodi ſtrepitu terribili defecit viribus, & licet vallatus eſſet turba Cardinalium & militum, inter manus miniſtrorum corruit, vixq; eductus de Eccleſia, fugam cum cæteris iniit. Hoc anno fuit viſa ſtella, quæ dicitur cometes. *Terræmotus horrendus.*

DE EVCHARISTIA VENDITA.

MCCXCIX.

Iudæi perfidiſſimi corpus Chriſti ſacrum in nocte ſancti Paſchatis emptum, à cuſtode Eccleſiæ in ciuitate Franconiæ, quæ Rœtingen dicitur, per diuerſas ciuitates & caſtella aliis Iudæis diſtribuerunt. Quædam religioſæ mulieres, quæ ſacras vigilias ad tumulum crucifixi obſeruabant, ſicut moris eſt in Teutonia, cum hora matutinarum de Eccleſia prodeuntes, irent ad excitandum Eccleſiæ presbyterum, vt crucifixum de monumento ante matutinas, ſecundum conſuetudinem, ſubleuaret: viderunt ſuper domum Iudæi, qui ſacramentum emerat, duo rutilare luminaria: cumq; attonitæ ſtarēt, & ſecum quærerent, ſuperueniens presbyter interrogat, quid conferant, videnſq; cum ipſis luminaria, compertoq; quod Iudæus cum cuſtode in Eccleſia fuiſſet, & iuxta altare: cautè vocat iudicem ciuitatis, & quoſdam de ciuibus, qui irruentes in domum Iudæi, ipſum & cuſtodem Eccleſiæ ceperunt. Qui ſtatim coacti, facinus perperratum confeſſi ſunt. Iam verò, vt dictum eſt, idem corpus Chriſti, per diuerſas Iudæorum diſperſum fuerat manſiones, qui ſæpe dictum corpus Chriſti ſacratiſſimum acubus & ſubulis pungentes, & in mortariolis tundentes, & per illas puncturas & tunſiones ſanguinem elici conſpicientes, tandem in diuerſis locis ſub terra ſuffoderunt. Sed Deus omnipotens ſacramentum ſalutis multis miraculis prodentibus, ſuis fidelibus propalauit. Quapropter Chriſtiani inſurgentes contra Iudæos, eos per diuerſas ciuitates & loca turmatim occiderunt. Contigit, vt multi Iudæi ad quoddam caſtrum confugerent, vt ſe ibidem defenſarent: cumq; Chriſtiani ad expugnandum dictum caſtrum forti manu conueniſſent, & illud iam vallaſſent: quædam virgo Iudæa, de eodem caſtro im- *Facinus Iudæorum.*

portunis clamoribus rogabat Chriſtianos, vt ipſam inde eriperent & baptizarent. Iudæis ipſam deorſum trahentibus & increpantibus, illa de manibus eorum elapſa, de altitudine caſtri ſe præcipitem dedit. Sed ecce mirum In modum ipſa quaſi manibus Angelicis portaretur, illæſa deſcendit, & mox ad fidem Chriſti & baptiſma confugit.

DE ARCHIEPISCOPIS REBELLANTIBVS.

M.C.C.

Antiſtites contra Imp. Tres Archiepiſcopi, Gerhardus Moguntinus, Treuirenſis, frater ſcilicet regis Adolphi, & Colonienſis, ſe contumaciter contra Regem Romanorum Albertum erexerunt: & orto graui bello inter eoſdem hoſtiliter præliatum eſt, vſq; ad annum ſequentem.

DE REGE FRANCIAE.

MCCCI.

Stella cometes viſa eſt, quæ ante natiuitatem Domini, poſt occaſum ſolis apparuit, & ante mediam noctem occidit, comam fudit ad orientem, & viſa eſt per noctes quindecim. *Gallus in Flandros.* Eodem anno rex Franciæ cum magno exercitu pugnatorum, contra ciuitates Flandriæ, quibus indixerat bellum, properauit: ſed ipſis rebellantibus, multa millia nobilium & militum, aliorumq; pugnatorum de exercitu regis ceciderunt.

DE CVRIA REGIS ROMANORVM INDICTA.

MCCCII.

Facta pace inter regem Romanorum Albertum, & archiepiſcopos ſuprà dictos, quos idem rex multum humiliauerat, ſtatim ipſe rex facto edicto, omnibus principibus præcepit, vt ad Curiam ſuam in feſto Sebaſtiani Martyris, Merſeburgi celebrandam conuolarent: *Comitia Merſeburgi impedita.* ſed quia ſæpe dictus archiepiſcopus Moguntinus Gerhardus, quibuſdam literis regis Bohemiæ Vuenceſlai incitatus, contra maieſtatem Auguſti ſe temerariè erigens, pacem & fidem datam violaret, fuit dictæ curiæ celebritas impedita. Idem Gerhardus ſæpius arroganter & iactanter dicere ſolebat, ſe habere adhuc reges in pera ſua, quaſi ipſe ſolus poſſet reges Romanorum deponere & creare: *Arrogantia antiſtitis.* ſed mentita eſt iniquitas ſibi: ipſe namque longè ante regem Albertum mortuus eſt. Itaque tres archiepiſcopi memorati, ſcilicet Moguntinus, Treuerenſis, Colonienſis, vnà cum rege Bohemiæ contra regem Romanorum Albertum conſpirabant.

DE CONRADO MARTYRE.

MCCCIII.

Iudæi perfidi effuſione ſanguinis Chriſtiani aſſueti, ſcitum quendam puerum ſcholarem, Conradum nomine, filium cuiuſdam militis in Vueiſſenſeha, ciuitate Turingiæ, multis cruciatibus affligentes, & ſectis omnibus neruis & venis, totum ſanguinem eius elicientes, ante feſtum Paſchatis crudeliter occiderunt. Sed Deus omnipotens, qui glorioſus eſt in ſan-

in ſanctis ſuis, innocentis pueri necem occultari non ſuſtinens, & homicidas perdidit, & martyrium innocentis multis miraculis decorauit. Cùm enim dicti Iudæi puerum occiſum occultè per plura loca Turingiæ ducerent ad tumulandum, Deo diſponente, nuſquam abſcondere valuerunt. Vndè ipſum reducentes apud prædictam ciuitatem Vuelſenſeham, in quadam vinea ſuſpenderunt. Tandem tam crudeli homicidio prodito, & rei veritate comperta, milites de caſtro proſilientes, & ciues eiuſdem ciuitatis, reliquumq́; vulgus, vnà cum Marchione Friderico filio Landgrauij Turingiæ Alberti, repugnantes turmatim occiderunt. *Iudæorum malicia.*

Hoc anno nobiles domini de Columna, ceperunt Papam Bonifacium, & ſeruabant tam diu in cuſtodia, quouſque compoſuiſſet cum eis pro voluntate eorum. Quo facto ipſe nullum cibum amplius ſumere voluit: ſed cum ab amicis ſuis rogaretur, vt cibum caperet, cum indignatione reſpondit, Nolo comedere, nolo amplius viuere: & ſic mortuus eſt, anno pontificatus ſui nono, & poſitus in tumba precioſa, quam ſibi extruxerat in baſilica ſancti Petri, in monte aureo. *Papa ſe fame necat.*

DE PRÆLIIS REGIS ROMANORVM, ET REGIS BOHEMIÆ.

MCCCIIII.

Facta concordia inter regem Romanorum Albertum, & archiepiſcopos ſæpe dictos, rex Bohemiæ Vuenceſlaus adhuc Auguſto ſe opponens: pluribus principibus & Baronibus, & militibus multis larga ſtipendia tribuit, quibus ad rebellandum dicto regi Alberto ſe muniret. Inter hos præcipui erant Marchiones de Brandenburg, ſcilicet Otho cum telo, & Hermanus Longus, gener Auguſti, filius quoque regis Adolphi Ropertus. Rex igitur Romanorum Albertus, vocatis ad ſe, archiepiſcopo Moguntino Gerhardo, & duce Bauariæ Othone, aliſq́; epiſcopis & principibus atque Baronib. quamplurimis, collegit ſibi prælectam militiam, & ſic ad præliandum regali comitatu proceſſit. Deſcendens per Bauariam, aſſumpto filio ſuo Rodolpho duce Auſtriæ, valde ſtrenuo in armis, qui gener fuit regis Auſtriæ, aciem duxit contra confinia Morauiæ & Bohemorum. Tunc occurrerunt ei in auxilium, ab eodem Auguſto vocati, Vngari & Poloni. Sed cùm eædem gentes Morauiam, & confinia circius, inaudita veſania deuaſtarent, ita vt virorum & mulierum manibus perforatis, & funibus innexis, ipſos ſic deducerent, infanteſq́; ad ſellas equorum connecterent, virgines quoque in conſpectu omnium conſtuprarent, rex expauit, ipſoſq́; à ſe abegit, & ad ſua redire coëgit. Quo comperto, dicti Vngari & Poloni populum turmatim de terra tanquam greges abigebant, dicentes ſe nequaquam debita ſtipendia percepiſſe. Quo audito Auguſtus fortiſſimum exercitum poſt eos deſtinauit: qui ipſos inſequentes, & vltra mille ex eis proſternentes, captiuos quos abduxerant, reduxerunt. Multi tamen deducti ſunt, quorum quidam per ſe poſtmodo re- *Schiſma in imperio.* *Scelus militare.*

Anno eodem dux Bauariæ Otho, inuitatus à quibuſdam nobilibus Vngariæ, idem ſibi regnum vſurpauit, præter conſenſum regis Romanorum Rodolphi, qui à Papa Bonifacio VIII. rex Vngariæ fuerat declaratus. Sic ſchiſma ortum eſt in iam dicto regno, ita vt quidam ſequerentur filium regis Siciliæ, quidam ducem Bauariæ. *Contentio de regno Vngariæ.*

DE REGE BOHEMIÆ OCCISO.

MCCCVI.

Rex Bohemiæ Vuenceſlaus III. nondum coronatus, occiſus eſt fraudulenter à quodam milite, procurantibus quibuſdam Baronibus regni ſui. Hic cùm eſſet adoleſcens, vix ſedecim annorum, & nouiter duxiſſet filiam cuiuſdam ducis Poloniæ in vxorem, eodem anno nuptiarum, ſic miſerabiliter peremptus eſt, non relinquens hæredem regni. Tunc Barones dicti regni elegerunt ſibi regem, ducem Carinthiæ, ſororium ſcilicet præfati regis occiſi, inconſulto tamen rege Romanorum, cuius intereſt conferre iam dictum regnum. Igitur rex Romanorum Albertus forti manu intrauit in Bohemiam, & conſtituit ibi regem filium ſuum Rodolphum, ducem Auſtriæ, dans ei vxorem, reginam Bohemiæ, videlicet regis Vuenceſlai II. viduam. Sic ergo regnum Bohemiæ ad Teutonicos tranſlatum eſt. *Cædes regis.* *Regnum Boemiæ ad Auſtriacos.*

MCCCVII.

Sueui manu forti Vngariam, & alias prouincias circumiacentes ingreſſi ſunt, multa caſtra & alias munitiones hoſtiliter deuaſtantes, & tandem pergentes in terras Turingiæ & Miſniæ, miſerabiliter interempti ſunt, & reliqui in fugam verſi, circa oppidum Luccam, Numburgenſis diœceſis.

Dicemanus Marchio Miſnenſis occiditur à Sicario Lipſiæ in templo, quem ei Adolphi regis patruus Philippus immiſerat.

ΠΟΡΙΣΜΑ

ſive

AVCTARIVM

rerum Miſnicarum

Nimirum

REINERI REINECCII HISTORICI CLARISS. COMMENTARIVS

De Miſenorum origine, rebus geſtis, mutationibus, varijs dominatibus, & aduentu in Germaniam;

E GERMANICO IN LATINVM TRANSLATVS

STVDIO

ELIAE REVSNERI LEORINI Med. Licent. Poëtices & Hiſtoriarum Profeſſoris in Academia Ienenſi.

Acceſſerunt eiuſdem argumenti opuſcula nonnulla

I. PHILIPPI MELANTHONIS Oratio de gente & regione Myſorum.

II. PETRI ALBINI ORATIO de Illuſtriſſimæ familia Saxonicæ, à VVittichindo Magno Rege Saxonum orta, antiquitatibus, incrementis & ornamentis.

III. FRAGMENTVM DE MIGRATIONIBVS & mutationibus gentium in Occidentis Imperio.

REVERENDISS.

AMPLISS. NOBILISS. Q. MISNIAE PRAESVLIB.

D. IOANNI COSTICIO *Merſburgenſium*

D. IOANNI ERNESTO HAVGVVICIO *Miſnenſium*

D. IOANNI LOESERO *Naumburgenſium*

Præpoſitis ac Præſidibus,

&

D. IOANNI A CRACAV, *Decano Citienſi, Canonico Miſnenſi & Naumburgenſi*

DOMINIS ET PATRONIS ſuis colendiſſ.

COMmendata mihi non ita pridem opera & cura editionis Operis huius preclari, cui auctor Originum Saxonicarum & Rerum Miſnicarum *titulum fecit, tùm à Librario ipſo, tùm ab herede ipſius Auctoris* IACOBO FABRICIO, *ac præſertim etiam fratre meo Germano* NICOLAO REVSNERO *Iuriſconſulto & Comite Palatino Cæſareo; qui operis illius recognitionem in ſe lubens meritoq́; ſuſcepit: cùm hoc veluti* ἀποτέλεσμα *quoddam elegantis operæ & operis omnibus numeris perfectum atq; abſolutum in manus hominum venire cuperem. non alienum me facturum exiſtimaui. ſi eiuſdē argumenti ſcripta quædam, & in his præcipuè Commentarium* REINERI REINECCII *Hiſtorici clariſſimi de origine Miſenorum ante multos annos lingua vernacula editū, & à me nunc latino ſermone conuerſum, in calce ſubiungerem:*

quæ

quæ eſſent Corollarij loco, & veluti quædam περίσματα καὶ παραδόματα: quæ editionem hanc & auctiorem & locupletiorem redderent: & vno veluti faſce comprehenſa faciliorem atq; expeditiorem argumenti illius cognitionem ſtudioſis hiſtoriarum exhiberent. Placuit autem mihi, Præſules ampliſſimi & nobiliſſimi, ſub veſtro potiſſimùm nomine ac titulo, hoc totius operis Auctarium in publicum emittere: & fidem in eo tuendo veſtram auctoritatemq; implorare: Quippe quorum & nota eſt mihi virtus & ſapientia præclara, cum eximia eruditione & doctrina coniuncta: & comperta præterea fides erga Rempublicam, & animi æquitas erga homines vniuerſos & ſingulos, ac præſertim erga literas & literatos humanitas atq; beneuolentia ſingularis: tùm verò amor & cupiditas erga hæc ipſa hiſtoriarum ſtudia planè incredibilis: à te cumprimis, CRACO nobiliſſime, communicatione operis illius Fabriciani, quod in Bibliotheca tua ampliſſima ſaluum hactenus & incolume permanſerat, abunde declarata: pro qua meritò fidei & benignitati tuæ maxima à nobis omnibus debetur gratia. Vos, Præſules ampliſſimi, operam hanc meam, in opere alieno amplificando nauatam, vt boni æquiq; faciatis: & fide auctoritateq; veſtra defendendum illud ſuſcipiatis: meq; & labores meos fauore ſtudioq; veſtro proſequamini, maiorem in modum oro. Jenæ è Salana. Jdib. Quinctilib. MDXCVI.

Reuerendiſſ. & ampliſſ.
Dignitatis veſtræ

Addictiſſ.

ELIAS REVSNERVS Leorinus,
Med. Licentiatus, Hiſtoriarum &
Poëſeos Profeſſor in Salana.

DE MISENORVM ORIGINE, REBVS GESTIS, MVTATIONIBVS, VARIIS DOMINATIBVS, ET ADVENTV In Germaniam

COMMENTARIVS

GERMANICE SCRIPTVS A REINERO Reineccio Hiſtorico clariſſimo: Latinè nunc conuerſus interprete ELIA REVSNERO LEORINO, Med. Lic. Poëtices & Hiſtor. Profeſſore in Academia Ienenſi.

Cur difficile ſit de gentium originibus & rebus geſtis ſcribere.

DE ORIGINIBVS GENTIVM, EArumque primis & antiquis ſedibus, migrationibus, mutationibus, & rebus geſtis ſcribere admodum eſt difficile: non ſolùm eam ob cauſam, quòd multi antiqui hiſtoriarum ſcriptores non ampliùs ſuperſint: vtpote qui in depopulationibus & deuaſtationibus regionum & ciuitatum, ac præſertim in mutatione Romanæ Monarchiæ deperditi; & non abſque ſingulari iactura communium ſtudiorum amiſſi fuerunt: verùm etiam, quòd qui adhuc reliqui ſunt, ac præſertim qui ex recentioribus ante noſtra tempora ſcripſerunt, in his rebus valdè controuerſi & dubij reperiantur: ſiquidem aut ſingulares ſuas, & ſine vlla ratione aut fundamento inuentas cogitationes, aut communem opinionem amplexi ſunt potiùs, quàm accuratam & diligentem veritatis inueſtigationem. Nam hæc vel vna eſt ſcaturigo & origo, ex qua tot & tam variæ atque diuerſæ ſcriptorum de his rebus opiniones promanarunt. Quòd ipſum quoque Strabo conqueritur, cùm de incolis Aſiæ loquens: Non ſolùm (inquit) propter mutationes res ipſæ incertæ ſunt: ſed etiam propter diſſidentes ſcriptorum opiniones, qui iiſdem de rebus non eadem tradiderunt.

Quid præcipuè in inquiſitione originum ac populorum ſequendum ſit.

Equidem vt de hoc vno, ſaltem de origine gentium ac populorum, ſimpliciter meum aperiam iudicium: longè certiſſimum atque expeditiſſimum illud arbitror: vt ſicut in aliis rebus, ita in hac quoque cauſa, ſacrarum literarum ductum præcipuè ſequamur: cùm vix vsquam certior haberi cognitio vlla queat. Quòd ſi cum his aliorum

quoque

quoque ſcriptorum opiniones conſentiant; aut ſaltem auctoritati huius & veritati, quantum circumſtantiæ docere poterunt, non aduerſentur: minimè cos tunc, præſertim in alijs præmemoratis articulis, ſcilicet quò ad prima populorum ſedes, migrationes, facta & res geſtas, prorſus reijciendos eſſe exiſtimamus. Neque enim ad hæc capita ſe plenè extendit ſacra ſcriptura: ſed, quid in Eccleſia Dei & populo Iſraëlitico acciderit, potiſſimùm ea indicat. Hinc videre eſt, quoſdam à regum & principum nominibus; alios ab aquarum, montium, ciuitatum denominationibus; nonnullos ex lingua, religione, moribus vel ſtatutis, de origine gentium aut cognatione iudicaſſe: de quo apud Scriptores plura reperire licet. Cùm itaque præſens hoc argumentum de Miſenorum origine, & rebus geſtis, eorumque mutationibus, & varijs dominatibus, & aduentu in Germaniam, mihi ita ſtatare propoſitum ſit: primùm equidem hoc profitebor, me ſacræ ſcripturæ ductum, eiusque teſtimonia ante omnia ſecuturum: & in defectum illius, tunc demum probatæ fidei ſcriptorum auctoritatem adiuncturum: aut etiam in altera illa præmonſtrata via permanſurum, & inde veritatem in lucem producturum.

Primùm autem procemij loco animaduertendum eſt illud, Myſos ſiue Miſenos cum alijs Germaniæ populis ex Oriente in has denique regiones migraſſe: ſicut ex multis rerum documentis, & claris quibusdam auctorum teſtimonijs colligi poteſt: quæ hoc loco allegare non eſt neceſſe: & de his fit pluribus mentio in tertia parte Chronici Carionis, & in Commentario Peuceti de præcipuis generibus Diuinationum, & in oratione eiusdem de origine, mutationibus, & migrationibus gentium, quæ Germaniam tenuerunt. Sed & in Geneſi cap. 10. expreſsè traditum reperitur, poſteros Semi regiones occupaſſe, quæ verſus Orientem per deſerta magna ſe extendunt. Nam ſub his Myſos quoque comprehendi, pauló pòſt pluribus rationibus demonſtrabimus. Ac inprimis hîc illud quoque obſeruandum eſt; quatuor hæc nomina, Maſſæos, Mœſos, Myſos, Miſnenſes, quæ poſtrema appellatio iam in lingua Latina frequentiſſima eſt, & Germanos noſtros Miſnenſes, quos Meißner vocamus, omnes vnius originis & eiusdem gentis conſortes eſſe: quamuis in nominibus aliquod diſcrimen eſſe appareat: cuius diuerſitatis cauſas paulo pòſt aperiemus. Verùm maioris cauſa Myſorum nomen, quod veteribus Græcis & Latinis ſcriptoribus, quorum teſtimonia in eo maxime referemus & ſequemur, vſitatiſſimum eſt, præ cæteris retinendum duximus: & hoc quidem vsque ad illud tempus, quo in Germaniam eos migraſſe dicemus: ab eo deinde tempore Miſenorum ſiue Miſnenſium nomen, linguæ vernaculæ magis cognitum, tanquam ab incolis Germanis acceptum vſurpabimus.

Myſi ex Oriente in Germaniam profecti.

Maſſæi, Mœſi. Myſi. Miſnenſes.

Principiò igitur, quod ad originem gentis Myſorum attinet, omninò iudicamus eos à Maſe ortum ſuum ducere: qui vnà cum Gether, à quo Getę ſiue Gothi orinndi ſunt, inter filios Sem nominatur 1. Paralip. 1. Sed & hoc affirmare non dubitamus, Myſos à Maſſęis, quorum Ptolemæus meminit ſub Scythiæ populis, propagatos eſſe: ſiquidem hoc ipſum horum populorum nomen cum nomine Maſes maiorem

Myſi oriundi à Maſi.

Getæ ſiue Gothi à Gether.

Myſi à Maſſæis propagati.

DE MISENORVM ORIGINE, REBVS GESTIS, MVTATIONIBVS. VARIIS DOMINATIBVS, ET ADVENTV in Germaniam

COMMENTARIVS

GERMANICE SCRIPTVS A REINERO Reineccio Hiſtorico clariſſimo: Latinè nunc conuerſus interprete ELIA REVSNERO LEORINO, Med. Lic. Poëtices & Hiſtor. Profeſſore in Academia Ienenſi.

Cur difficile ſit de gentium originibus & rebus geſtis ſcribere.

DE ORIGINIBVS GENTIVM, EArumque primis & antiquis ſedibus, migrationibus, mutationibus, & rebus geſtis ſcribere admodum eſt difficile: non ſolùm eam ob cauſam, quòd multi antiqui hiſtoriarum ſcriptores non ampliùs ſuperſint: vtpote qui in depopulationibus & deuaſtationibus regionum & ciuitatum, ac præſertim in mutatione Romanæ Monarchiæ deperditi; & non abſque ſingulari iactura communium ſtudiorum amiſſi fuerunt: verùm etiam, quòd qui adhuc reliqui ſunt, ac præſertim qui ex recentioribus ante noſtra tempora ſcripſerunt, in his rebus valdè controuerſi & dubij reperiantur: ſiquidem aut ſingulares ſuas, & ſine vlla ratione aut fundamento inuentas cogitationes, aut communem opinionem amplexi ſunt potiùs, quàm accuratam & diligentem veritatis inueſtigationem. Nam hæc vel vna eſt ſcaturigo & origo, ex qua tot & tam variæ atque diuerſæ ſcriptorum de his rebus opiniones promanarunt. Quód ipſum quoque Strabo conqueritur, cùm de incolis Aſiæ loquens: Non ſolùm (inquit) propter mutationes res ipſæ incertæ ſunt: ſed etiam propter diſſidentes ſcriptorum opiniones, qui iiſdem de rebus non eadem tradiderunt. Equidem vt de hoc vno, ſaltem de origine gentium ac populorum, ſimpliciter meum aperiam iudicium: longè certiſſimum atque expeditiſſimum illud arbitror: vt ſicut in alijs rebus, ita in hac quoque cauſa, ſacrarum literarum ductum præcipuè ſequamur: cùm vix vsquam certior haberi cognitio vlla queat. Quòd ſi cum his aliorum

Quid præcipuè in inquiſitione originum ac populorum ſequendum ſit.

quoque

quoque ſcriptorum opiniones conſentiant; aut ſaltem auctoritati huius & veritati, quantum circumſtantiæ docere poterunt, non aduerſentur: minimè eos tunc, præſertim in alijs præmemoratis articulis, ſcilicet quò ad primas populorum ſedes, migrationes, facta & res geſtas, prorſus reijciendos eſſe exiſtimamus. Neque enim ad hæc capita ſe plenè extendit ſacra ſcriptura: ſed, quid in Eccleſia Dei & populo Iſraëlitico acciderit, potiſſimùm ea indicat. Hinc videre eſt, quosdam à regum & principum nominibus; alios ab aquarum, montium, ciuitatum denominationibus; nonnullos ex lingua, religione, moribus vel ſtatutis, de origine gentium aut cognatione iudicaſſe: de quo apud Scriptores plura reperire licet. Cùm itaque præſens hoc argumentum de Miſenorum origine, & rebus geſtis, eorumque mutationibus, & varijs dominatibus, & aduentu in Germaniam, mihi tractare propoſitum ſit: primùm equidem hoc profitebor, me ſacræ ſcripturæ ductum, eiusque teſtimonia ante omnia ſecuturum: & in defectum illius, tunc demum probatæ fidei ſcriptorum auctoritatem adiuncturum: aut etiam in altera illa præmonſtrata via permanſurum, & inde veritatem in lucem producturum.

Myſi ex Oriente in Germaniam profecti.

Primùm autem prooemij loco animaduertendum eſt illud, Myſos ſiue Miſenos cum alijs Germaniæ populis ex Oriente in has denique regiones migraſſe: ſicut ex multis rerum documentis, & claris quibusdam auctorum teſtimonijs colligi poteſt: quæ hoc loco allegare non eſt neceſſe: & de his fit pluribus mentio in tertia parte Chronici Carionis, & in Commentario Peuceti de præcipuis generibus Diuinationum, & in oratione eiusdem de origine, mutationibus, & migrationibus gentium, quæ Germaniam tenuerunt. Sed & in Geneſi cap. 10. expreſsè traditum reperitur, poſteros Semi regiones occupaſſe, quæ verſus Orientem per deſerta magna ſe extendunt. Nam ſub his Myſos quoque comprehendi, paulò pòſt pluribus rationibus demonſtrabimus. Ac inprimis hîc illud quoque obſeruandum eſt; quatuor hæc nomina, Maſſæos, Mœſos, Myſos, Miſnenſes, quæ poſtrema appellatio iam in lingua Latina frequentiſſima eſt, & Germanos noſtros Miſnenſes, quos Meiſſner vocamus, omnes vnius originis & eiusdem gentis conſortes eſſe: quamuis in nominibus aliquod diſcrimen eſſe appareat: cuius diuerſitatis cauſas paulo pòſt aperiemus. Verùm maioris cauſa Myſorum nomen, quod veteribus Græcis & Latinis ſcriptoribus, quorum teſtimonia in eo maxime referemus & ſequemur, vſitatiſſimum eſt, præ cæteris retinendum duximus: & hoc quidem vsque ad illud tempus, quo in Germaniam eos migraſſe dicemus: ab eo deinde tempore Miſenorum ſiue Miſnenſium nomen, linguæ vernaculæ magis cognitum, tanquam ab incolis Germanis acceptum vſurpabimus.

Maſſæi. Mœſi. Myſi. Miſnenſes.

Principiò igitur, quod ad originem gentis Myſorum attinet, omninò iudicamus eos à Maſe ortum ſuum ducere: qui vnà cum Gether, à quo Getę ſiue Gothi oriundi ſunt, inter filios Sem nominatur 1. Paralip. 1. Sed & hoc affirmare non dubitamus, Myſos à Maſſęis, quorum Ptolemæus meminit ſub Scythiæ populis, propagatos eſſe: ſi quidem hoc ipſum horum populorum nomen cum nomine Maſes

Myſi oriundi à Maſe.

Getæ ſiue Gothi à Gether.

Myſi à Maſſæis propagati.

maiorem quandam habet conuenientiam. Nam præter hoc,quod nemo inficias ibit, Germaniæ populos (vt modò dictum, & mox fuſiùs declarabitur) initiò ex Oriente in has oras & regiones migraſſe; perexigua ſanè eſt differentia nominum Maſe, Maſſæorum, Mœſorum, Myſorum, aut iuxta vernaculam noſtram linguam Miſenorum: ſicuti nec ſequentia nomina inter ſe valde diſſonant; Gomer, Cimmerij, Cimbri, Gambrivij, Sicambri, Ambrones: itemque illa Græciæ populorum nomina; ἕλληνες, Elei, Aeoles, Aetoli: de quibus in Strabone certa extant indicia, vnius & eiuſdem eſſe originis: id quod vel ex pronunciatione ſatis liquet. Idemque auctor ſæpenumerò repetit, plurimorum exemplorum allegatione; eadem nomina interdum diuerſimodè enunciari: ſicut & in hoc omnes hodie docti conſentiunt; per Aſcanios, Tuiſcones, Teutones; per Getas, Guias, Gothos, Gothinos, Gothones; per Daas, Dacos, Danos; per Sueuos, Sueones, Suobenos, eoſdem ſemper denotari populos: quos vernacula noſtra liugua die Deutſchen / Gotthen / Dänen / Schwaben nominamus. Ad horum præterea aut aliorum nominum mutationem, præter multiplices illas & continuas migrationes (id quod ex Strabone lib. 14. ſatis probari poteſt) dialectos quoque in vernacula noſtra lingua non parum adiumenti tuliſſe, facilè crediderim: ſiquidem hodie adhuc videmus, Germanica vocabula & nomina in diuerſis dialectis diuerſimodè pronunciari: quod vel vulgato illo exemplo, de Saxonum & Miſnenſium nomine in propria horum populorum dialecto, planum faciam.

Cauſa mutationum nominum.

Miſnenſes enim, vernacula ſua lingua ſe nominantes die Meißner (quod nomen cum antiquo illo apud Græcos & Latinos Mœſorum, quod in frequentiori vſu eſt quàm alterum Maſſæorum, reſpondet) à Saxonibus vocantur die Myßner: quod antiquum eſt vocabulum Myſorum. Viciſſim Saxones hoc ipſo nomine, quod pro veteri apud Græcos & Latinos Sacarum vſurpari cœpit, à Milnenſibus vocati; ſua dialecto nominant ſe die Saſſen: atque ita Ptolomæo ſunt Saſſones. Taceam nunc, Græcos ipſos aliorum populorum nomina ſæpiùs aliter enunciaſſe, quàm re vera ſonuerunt: imò nonnunquam alia longeque diuerſa indidiſſe nomina, quàm ipſis in vſu fuerunt. Conſtat enim, Latinos Græcorum nomen de ſemetipſis vſurpaſſe, quod à nomine Graiorum promanaſſe videtur: viciſſimque Græcos ἕλληνας ſe nominaſſe: qua de re alio loco pluribus egimus. Sed nec hoc ſilentio prætereundum eſt, nuſpiam me reperiſſe, de Myſorum origine hunc in modum quicquam ſcribi: nec quid alij de ea comminiſcuntur, multùm curo. A duobus ergo iſtis fratribus, Maſe & Gether, alij deriuant Maſſagetas: à quibus Dion Alanos deducit: & ab his viciſſim Alemanos in Germania, & Albanos, qui adhuc hodie in Oriente iuxta Perſiam ſedent, promanaſſe nonnulli exiſtimant.

Altera opinio de Myſorum origine.

Qua ſanè ratione ſub Maſis poſteris nulla aut Myſorum, aut alterius cuiuſdam populi fit mentio. Sed ne quis eo offendatur: tantum abeſt, vt iſta ſententia noſtram infirmet, vt magis potiùs confirmet. Hinc enim inſolubiliter concluditur, nihilominùs à Maſe certam aliquam propagatam eſſe gentem. Iam verò nulla alia gens, nulla ratio eſt, cuius nomen ad Maſis tam propè accedat, quàm hoc ipſum Myſorum. Antiquiſſimas

quiſſimas namque ideoque certiſſimas demonſtrationes de populorum originibus, ex eorundem cum nepotum poſterorumque Noæ nominum comparatione deſumendas eſſe; omnium doctorum calculo probatur: & quòd poſt diluuium, creſcente hominum multitudine, communi more receptum fuerit; vt populi à ſuis auctoribus, à quibus ſuam deriuanr originem, ſe nominarent, hodierna adhuc exempla multiplicia comprobant: quæ hîc allegare ſuperuacaneum ducimus. *Populorum nomina ab exordio vnde extiterint, & cur mutata fuerint.*

Quanquam nec hoc ignoramus, nomina illa inſequentibus temporibus multifariàm varijs de cauſis mutata fuiſſe, præſertimque ſub populorum diuiſione: vbi non ſolùm ab auis ſuis ſe denominarunt: verùm etiam interdum à ducibus, quorum ductu regiones occuparunt; nonnunquam à moribus & rebus geſtis; nonnunquam a locis, in quibus conſederunt; nonnunquam etiam aliunde (omnes enim omniū circumſtantias enumerare velle, nimis prolixum hîc foret) nomina ſibi indiderunt.

Cuius rei in Sacra hiſtoria documenta plurima reperiuntur, de mutatione nominum apud poſteros Eberi: qui primùm ab ipſo Ebræi, deinde à duobus Iſaaci filijs (vt de his ſolum dicam: ſiquidem à poſteris Lothi, & reliquis Abrahami filijs peculiaria nomina & gentes mauarunt) partim Iſraëlitæ, partim Idumæi dicti ſunt: & inter Iſraëlitas à Iuda Iudæorum nomen inprimis innotuit: quod tandem de ijs omnibus communiter vſurpatum fuit. Iſtaque primorum nominum, quæ poſteri à ſuis proauis obtinuerunt, cùm receptio tùm mutatio ad hunc fermè modum facta eſt; quo apud Græcos vſitatum fuit nobilibus familijs vniuerſale nomen, non vt apud noſtrates à ſedibus & arcibus, ſed ab auis & conditoribus familiæ, vſurpare: qui nihilominus tamen poſtea alias denominationes, à conditoribus ſuis prorſus diuerſas receperunt. Vnde & illud conſequènter ſequitur, vt prius & commune familię eidem nomen non ſolùm minùs notum & tritum fieret, ſed & prorſus obſoleſceret. Quo eodem modo Herculis poſteri communiter quidem Heraclidæ appellati; nihilominùs tamen quidam ex his à Temeno Temenidas, alij ab Aepyto Aepytidas, alij ab Agide Agidas, alij ab Eurytione Eurytionidas, nonnulli à Bacchide Bacchiadas ſe nominarunt: & quamuis iſti omnes ſub communi Heraclidarum nomine continebantur, ſuæ tamen ſtirpi peculiare ſuum nomen magis frequens & familiare fuit. Ex his itaque apparet, Myſos iuxta nominis deriuationem à Maſe, & Maſſagetas ab vtriſque, tam à Myſis, quàm à Getis, originem ſuam trahere: quemadmodum nec à vero abſonum eſt, Maſſagetarum nomen inde eſſe enatum: quòd, poſteaquam Myſi & Getæ, vtpòte á duobus fratribus oriundi, initiò non modò vicinas, ſed & promiſcuas ſedes obtinuerunt, vtrumque nomen vſurparunt; inde peculiare Maſſagetarum nomen & gens extiterit: non aliter, ac apud Hiſtoricos nomina Celtiberorum, Celtoſcytharum, Gallogræcorum, Rhoxolanorum, Armenochalybum, Mædobithynorum, Myſomacedonum, Syromedorum, Syrocilicum, Gautunnorum reperiuntur. Suntque nonnulli in hac ſententia, quòd ſicut in Hiſpania a Cattis & Alanis Catalanorum nomen ſit, à priſcis quoque Germaniæ populis, Teutonibus & Marſis, Ditmarſorum nomen defluxerit. *Mutatio nominum apud poſteros Eberi.* *Græcorum conſuetudo in denominatione ſuarum familiarum.* *Maſſagetæ à Myſis & Getis oriundi.*

Quanta autem magnanimitas & fortitudo in Maſſagetis fuerit (vt obiter hoc attingam: vtpote quod meritò in laudem & honorem Myſorum *Maſſagetarum magnanimitas.*

ſorum vergit: ſiquidem Maſſagetæ tam ab ipſis, quàm à Getis, vt modò demonſtrauimus, deſcendunt) vel ex hoc ſatis conuincitur: quòd inuictiſſimo & victorioſiſſimo Regi Cyro reſiſtere ſunt auſi: idque eo tempore, quo vniuerſa Aſia ab ipſo occupata, & tot tamque præclaris victorijs nobilitatus, tam numeroſiſſimum exercitum contra ipſos duceret. Nam Iuſtino teſte, 200000. ſecum habuit. Et quamuis ab initio, idque propria magis incuria, quàm hoſtis animoſitate, magna clade affecti ſunt: nouiſſimè tamen victoriam obtinuerunt; tamque numeroſum exercitum vnà cum Cyro ipſo, vt quidam volunt, ad internecionem ceciderunt.

Porrò vbi initiò Myſi ſuas ſedes habuerint, nuſpiam exprimitur, niſi quod in Geneſi ſcriptum reperitur, quod & ſuprà indicauimus, Semi poſteros verſus Orientem in Aſia habitaſſe. Et quoniam in hoc Ptolemæus conſentit, dum Maſſæos in Scythiam collocat: & ex alijs præterea Auctoribus patet, alios quoque Germaniæ populos, Suevos nimirum, Alanos, Saſſones, & Chatas ſiue Heſſos, inde in has oras migraſſe; non immeritò Scythiam Myſorum vetuſtiſſimam fuiſſe ſedem concludimus. Et quanquam libenter illud concedimus, non poſſe nos quicquam ita plenè & perſpicuè aſſeuerare: ſperamus tamen, hîc quoque locum habiturum Livij illud dictum de ſua hiſtoria: In rebus (inquit) antiquis ſi quæ ſimilia veri ſunt, pro veris accipiantur, ſatis habeam. Nec hoc dubium eſt, Myſos, vt & alios populos, ab initio ſuas ſedes ſæpiùs mutaſſe: vel occaſione ſuadente, cùm nouis oris pedetentim ſeſe aperientibus, ſpe obtinendi meliores ac fœcundiores regiones, ex primis ſuis ſedibus ſubinde cedentes, eas aliò transtulerunt: vel neceſſitate vrgente, cùm multitudinem creſcentem priorum ſedium anguſtia ampliùs non caperet. Ad quas cauſas accedit tertia: quòd fortè à vicinis populis preſſi, ne tandem iiſdem ſuccumberent, ſeceſſionem ab illis fecerint, & in alias regiones ſponte migrarint. Neque verò eſt, quod quis opinetur, confeſtim à diluuio omnes regiones habitatas fuiſſe; multò verò minùs, populos iiſdem in ſedibus, quibus inſequentibus temporibus conſederunt, & quæ peculiariter illis & expreſsè ab auctoribus aſſignantur, hæſiſſe: ſed ſenſim & gradatim ex Oriente (ibi enim initiò humanum genus poſt diluuium rurſus cœpit augeri & quaſi renouari: ſicut & ipſum Noam in Armenia ex arca egreſſum, ibi aliquandiu commoratum eſſe, donec priſtinas ſedes verſus Damaſcum repeteret, non eſt dubium) in alias regiones migrarunt. Quocirca nec hoc certum exploratumque eſt, quo tempore Myſi à reliquis Maſſæis in Scythia ſe ſegregarint; & in Aſiam minorem & Europam ad Danubium appulerint (Nam his duobus in locis omnium primùm ita nominantur): quamuis nonnulli in eam ire ſententiam videntur, qua Myſos Aſiaticos non eandem cum Europæis habere originem aſſeuerant; ideo, quòd Myſiæ Vandalica lingua familiaris & vernacula ſit: quod hîc multis impugnare non eſt noſtri propoſiti: præſertim cùm Strabo vtriſque Myſis non ſolùm eandem originem aſſignat: ſed & Aſiaticos ab Europæis vult extitiſſe: de quo poſteriore quid concludendum ſit, fuſiùs deinceps meam ſententiam exponam. Neque verò obſtat, quod idem auctor alio in loco ſcribit, Myſorum Aſiaticorum linguam ex vicinorum duorum populorum, Lydorum

Scythia antiquiſſima Myſorum ſedes.

Regiones non omnes ſtatim à diluuio inhabitatæ.

Myſi ſeparant ſe à Maſſæis.

Myſi vtrique eiuſdem originis.

rum & Phrygum, ſermone permixtam fuiſſe. Hinc enim non ſequitur, eos propterea vſos eſſe lingua Vandalica: multò verò minùs, quod Strabo narrat, Myſos idcircò vocitatos eſſe, quòd Lydiphagum acetoſam, quæ multa naſcitur in Olympo, Myſiam vocarint. Sed & conceſſo, Myſis ſermonem fuiſſe ex Lydo Phrygioque permiſtum: ex hoc tamen argumento nondum conuincitur, illum ſermonem apud eos in perpetuo vſu fuiſſe: ſed procul omni dubio Germanica quoque lingua illis in oris viguit, & aliquandiu conſeruata eſt.

Myſi Aſiatici principiò Germanicè locuti.

Quod vel Pergami & Teuthraniæ, duarum illarum ciuitatum ac prouinciarum, nomina atteſtari videntur, quaſi ex noſtra lingua ſint deprompta: vt idcircò non ambigam, ciuitates illas à Myſis eſſe conditas, & ab exordio habitatas: Quam in ſententiam & Solinus ita ſcribit: Teuthrania regio, prima Myſorum patria. Imò & videtur mihi nomen Teuthras, à quo Teuthrania denominata, eſſe noſtrum Germanicum Deutraſch ſiue Dietrich: ſicuti idipſum in altera illa duo nomina Deutoricis & Deiotari, ab auctoribus corrumpitur & deprauatur. Mutationem autem in Myſorum ſermone inde puto accidiſſe; quòd Phryges & Lydi ſenſim ſeſe illis permiſcuerint: indeque horum populorum ſermo apud Myſos in tantum radices egerit: vt vernacula ipſorum lingua in deſuetudinem veniret, & tandem prorſus obliteraretur. Cuius ſanè rei etiamnum hodie exempla reperiuntur in quibusdam populis: quibus vernacula lingua non admodum eſt familiaris: aut ea neglecta atque amiſſa, aliorum populorum ſermonem acceptarunt, quibus cum ipſi vel aſſiduè conuerſantur, vel in eorum prouincias commigrarunt. Atque hinc de Turcis narratur, Slauonicum ſermonem illis hodie eſſe tam familiarem, vt etiam vernacula ipſorum lingua per hunc quaſi ſublata ſit, & apud proceres duntaxat in vſu retineatur. Et de noſtris Longobardis in Italia, Francis in Gallia, VVeſtgothis in Hiſpania, nemini obſcurum eſt; apud eos Germanicam lingvam penitus eſſe ſublatam: cùm tamen omnes hiſtoriæ teſtentur, eos non ſolùm Germanici fuiſſe ſanguinis, ſed & Germanicum ſermonem vſurpaſſe. Atque huc propriè pertinet, quod de Macedonibus ſcribit Livius: Macedones (inquit) qui Alexandriam in Aegypto, qui Seleuciam ac Babylonem, quique alias ſparſas per orbem terrarum colonias habent, in Syros, Parthos, Aegyptios degenerarunt. Quamobrem etſi non ſatis conſtat, quo pacto aut quibus ex cauſis illa Myſorum ſeparatio acciderit: præmemoratas tamen cauſas, vt & alias nonnullas, illam procuraſſe, minimè dubitamus: atque idcircò ſeparationem iſtam in Scythia factam, omnium primam eſſe iudicamus. Reliquias enim Myſorum iſthic remanſiſſe, ſatis probat; quòd Maſſæos Ptolemæus inter Scythiæ populos numerat. Quemadmodum & aliorum populorum exempla plurima reperiuntur; qui in longè diſſitas regiones diſterminati ſunt: veluti Dorienſium Græciæ populorum: qui non ſolùm in Græcia, verùm etiam in Aſia & Italia, itemque in inſulis Sicilia, Creta, Rhodo nominantur. Et poſteaquam noſtri Gethæ ſiue Gothi à Danubio diſceſſerunt: partim in Gotlandiam verſus Septentrionem migrarunt: partim in Hiſpaniam & Italiam ſedes ſuas transtulerunt: partim in Taurica Cherſoneſo ſe adhuc continent: vbi ſanè paulò ante noſtra tempora non ſolùm Gothorum nomen, ſed etiam Germanicam linguam conſeruarunt.

Teuthrania.

Myſi Aſiatici mutant ſermonem.

Prima ſeparatio Myſorum in Scythia.

Facilè prætereà concedimus, Myſos in Aſia minore & Europa initiò ſtatim ita dictos eſſe, cùm in illas oras ſe contulerunt. Quanquam aliâs Mœſorum nomen, quod peculiariter de Myſis Europæis viurpatur, ad alteros propiùs accedat: & idcircò originem illorum magis proprie demonſtret. *Myſorum ſeparatio quando facta.* Vtramque autem Myſorum ſeparationem, tàm eam, quæ in Scythia facta eſt, quam recentiorem illam, qua in Europam tandem peruenerunt, de qua poſtmodò fuſiùs agam, accidiſſe ante bellum Troianum, cuius finis iuxta receptam ſententiam incidit in A. M. 2782. ex multis documentis colligitur: è quibus præcipua allegabimus. Ac primò quidem Apollonius auctor eſt, Argonautas præcipuos Græciæ proceres, cum Iaſono in Colchidem profectos, in Myſiam Aſiaticam appuliſſe; ibique honorificè acceptos, naues ſuas vino, frumentis, reliquiſque commeatibus denuo oneraſſe. Deinde Homerus Myſorum mentionem aliquoties faciens, vult eos Troianis contra Græcos ſuppetias tuliſſe: quanquam quod ad Myſos Aſiaticos, Dictys Cretenſis ab ipſo aliquantiſper variat. Ductores illorum his verſibus indicat Iliad. 2.

Μυσῶν δὲ Χρόμις ἦρχε καὶ Εὔνομος οἰωνιστὴς,
ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μελαίναν.

Inprimis verò, vbi Iliad. 13. illorum meminit, intelligit Strabo Myſos Europæos: ſuamque hanc ſententiam multis argumentis probat. Locus Homeri hic eſt:

αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινὼ,
νόσφιν ἐφ' ἱπποπόλων Θρηκῶν καθορώμενος αἶαν,
Μυσῶν τ' ἀγχιμάχων, &c.

Et quoniam idem Homerus alibi multis in locis diſertis verbis teſtatur, tempore belli Troiani Aſcanios quoque & Cayeos, qui & ipſi populi ſunt Germaniæ, in Aſia minore iuxta Myſos conſediſſe: *Myſi quo pacto nouas ſedes acceperint.* facilè adducor, vt inde concludam, Myſos ſtatim poſt primam ſeparationem, aut cum modò dictis populis nouas ſedes quæſiuiſſe; aut ab iiſdem coactos ab initio ſtatim vniuerſos in Bithyniam migraſſe. *Bithynia altera Myſorum ſedes.* Myſos enim Aſiaticos illic initiò habitaſſe, expreſſe teſtatur Strabo: ipſamque Bithyniam à principio Myſiam dictam fuiſſe, refert Suidas. Poſtmodò verò, cùm aut creſcente ipſorum multitudine ſedes illa anguſtior eos ampliùs non caperet: aut ab Aſcanijs & Cayeis denuò premerentur: inde ſoluentes, tertiùm ſe ſepararunt: *Myſorum tertia ſedes in Europa & Aſia.* ita vt nonnulli ipſorum oram illam verſus Meridiem occuparent, quæ ab illis Myſiæ nomen retinuit: alij Occidentem verſus freti anguſtias à Chalcedone ad Byzantium protenſas, quas priſci Boſporum Thracium, hodie mare Scutarium nominant, traijcientes, in Europam migrarunt. Nam quòd Boſporus Thracius, Strabone teſte, primitùs Boſporus Myſius vocatus fuerit; inde fortaſſe eſt, quòd Myſi ex Aſia in Europam traijcientes, illum tranſierint: non, vt Strabo vult, quòd iſthic ex Europa in Aſiam appulerint. Cuius ſanè rei illuſtre documentum extat in Herodoto: quò fortaſſe Plinius quoque reſpexit lib 7. c. 56. Et in hoc præterea errat Strabo, quòd Myſos Aſiaticos ab Europæis deriuat. Non enim eſt veriſimile, eos in Europâ ſtatim migraſſe, indeq; in Aſiam reuerſos, illic ſe demũ ſeparaſſe & diſterminaſſe. Neq; verò eſt, quod quis vel longinquam illam Myſorum peregrinationẽ, vel infeſtationes à prænemoratis duob. Germanicis populis acceptas, miretur: hoc.n. maiorib.

communc

commune & frequens fuit: & quæ Aſcaniorum & Caycorum propinquis, Cimmerijs nimirum ſiue Cimbris, obtigerint infortunia: ex Herodoto, Strabone, Plutarcho, & alijs notum eſt: è quibus Strabo hoc inprimis allegat, Henetos (à quibus porrò Venetos in Italia & Gallia, cum quorum poſterioribus Iulius Cæſar nauali prælio decertauit, deducit) cum Cimbris migraſſe, ibique conſediſſe. Sed nec in hoc dubius ſum, Aſcanios & Caycos in hac migratione illis ſeſe aſſociaſſe, & vnà cum illis in Germaniam perrexiſſe. Hos enim tres populos primos Germaniç incolas fuiſſe, communis omnium eſt opinio. Ad originem autem illorum in genere quod attinet (vt & hoc breuibus attingam, vel ex ſuperioribus repetam) vulgata eruditorum ſententia eſt, Cimbros ortos eſſe à Gomero, filio Iapheti; Aſcanios verò & Caycos ab Aſcane, filio Gomeri. Ab Aſcanijs, quòd fortaſſe ſtatim à Myſorum abitu in Bithynia conſederint, lacus Bithyniæ iuxta Olympum, & fluuius Myſiç, Aſcanij nomen diu retinuerunt: ab ijsdemque eò loci Homerus regionem nominat Aſcaniam: in Germania verò ab illis defluxit nomen Tuiſconum ſiue Teutonum: cuius vtriusque enunciatio in vernacula noſtra lingua etiamnum retinetur; Eſtque nomen Teutonum, Miſnenſium Deutſche; Tuiſconum verò, Saxonicum Düſche ſiue Düdſche. Videtur etiam, inde Aſcaniæ nomen in Principatu Anhaltino ad nemus Hercynium manſiſſe: quo Principes illi in hodiernum vsque diem adhuc vtuntur. Eſt itaque hęc, quæ in Bithynia accidit, altera Myſorum ſeparatio: quam procul dubio, vt alij motus, ita quoque dominiorum apud ipſos mutationes exceperunt: ſiquidem ſine certo duce & capite nec eiusmodi itinera ſuſcipere, nec prouincias occupatas conſeruare potuerunt; licet de hoc nuſpiam certa extent documenta. Fortaſſe ſeparationis huius ſeminarium quoque fuerunt procerum diſſidia; & factiones populi, partim huius partim alterius ſuſcipientis ac fouentis partes: quç tantiſper durârunt; donec ad eum, quem diximus, modum ſe diremerunt ac diſterminarunt.

Cimbrorum, Aſcaniorum, & Caycorum origo.

Teutonum ſiue Tuiſconum nomini deriuatio.

Myſorum Aſiaticorum altera ſeparatio.

De Myſorum rebus geſtis, bellis, & Repub. proximè nobis dicendum eſſet: ſed quod ad prima tempora attinet, de ijs admodum pauca prodita reperimus: vt non immeritò cum Horatio quis conqueratur:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: ſed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotiq́; longa
Nocte: carent quia vate ſacro.

Vt tamen huic noſtro propoſito & Lectori ſatisfiat: primùm de Myſis Aſiaticis, quæ de illis prodita ſunt, breuiſſimè afferemus: deinde de Myſis Europæis agemus: ſiquidem ab his Miſnenſes in Germania veriſſimè deſcendunt; cuiusmodi de Aſiaticis Myſis, Dardanis exceptis, nihil reperitur, quòd poſt ea tempora in alias regiones commigrarint. Principiò igitur, Myſos Aſiaticos quod attinet: de rebus geſtis ipſorum & prima dominatione apud hiſtoricos, vt dictum, nulla quidem fit mentio: dubium tamen non eſt, multiplices apud eos mutationes & conuerſiones accidiſſe. Vnicum hoc Strabo refert, eos cum finitimis Phrygibus, Bithynis, Lydis multùm armis contendiſſe. Hinc eſt, quod inſequentibus temporibus

I. Myſi Aſiatici.

poribus, & cùm tranquilla pace quieſcerent, populorum horum terminos adeò ægrè diſcerni & internoſci potuerunt: vt modò dictus auctor ſæpius de eo conqueratur: refertque præterea peculiare prouerbium, de Myſis præcipuè & Phrygibus natum, his verbis: Sunt ſeparati Myſorum ac Phrygum termini; ſed finire perquàm eſt arduum. Nam prout fortuna his vel illis fauit; eos ſibi inuicem damna intuliſſe, & ſedes variè commutaſſe, non eſt dubium: ſicut idem Strabo, Lydos cum Myſis & Phrygibus permiſtos fuiſſe, ſcribit. Quæ fortaſſe cauſa eſt, cur Poëtæ Phrygum nomen Myſis quoque & Lydis tribuerint. Præterea Strabo meminit peculiarium quorundam nominum Myſorum: quòd nimirum dicti fuerint Mæones, Merones, Mennes. Ex quibus tamen primum, Lydorum fuit proprium: reliqua duo non de omnibus Myſis in genere, ſed de parte ſaltem aliqua ipſorum, vſurpari iudicarem. Ipſa namque pronunciatio Germanicam originem innuere videtur: ita vt

Merones Merania.

Meronum nomen ſignificet ad mare conſidentes: à quo non diſcrepat nomen Meraniæ, quę olim in Imperio inſignis fuit ducatus, iuxta Dalmatiam & Croatiam. Vnde non ambigimus, Dardanos in Troade

Dardani in Troade pars Myſorum.

partem Myſorum fuiſſe: atque huc referimus Dardanos ad Danubium: quos alibi inter Myſos numerat Ptolemæus. Nam de his non obſcura Solinus affert documenta: cùm Dardanos in Europa à Troianis ortos eſſe adſtruit: ſiquidem Troianorum nomine ita vtitur: vt apud Poëtas Teucrorum & Dardanorum nomina vſurpantur pro ſubditis Priami: quemadmodum & Achæorum, Argiuorum, Danaorum nomina Græcis ab Homero in genere attribuuntur: qui aliàs Dardanos à Troianis omninò ſeparat, licet eos ſub auxiliatoribus ipſorum vnà cum Lyciis præcipuè introducat. Quò & illud pertinet, quod aſſerit populos, Troianis ſuppetias qui tulerint, non fuiſſe ὁμογλώττους. Et ſanè, quòd Myſorum ſedes ab exordio in Troadem protenſa fuerit: ſatis perſpicuè apparet ex Pomponio Mela lib. 1. c. 6. cum quo Strabo quoque propemodùm conſentit: qui ad probationem cognationis populorum in Phrygia cum Thracibus, vtitur nominibus Rheſi, Scææ, & ſimilibus: quæ apud Thraciæ populos reperiri teſtatur. Thracum autem nomen à priſcis multis quoque Germanicis populis eſſe attributum: hoc in ſequentibus prolixiùs declarabimus. Quapropter quemadmodùm Myſi

Separati dominatus apud Myſos

ſenſim in plures & nouos populos, vel potiùs in noua nomina partiti ſunt: ita plures quoque & nouas ſubinde dynaſtias apud illos extitiſſe non dubitamus: licet de duabus tantùm expreſſa fiat mentio, Dardanorum nimirum, & eorum, qui iuxta Teuthraniam habitarunt, & commune Myſorum nomen retinuerunt: vnde coniicimus, reliquos ipſorum cognatos, ſub his incluſos eſſe. De his itaque duobus peculiariter agemus: de Dardanis tamen ideo breuiores erimus: quòd in ſequentibus nouas & plures de eis commonefactiones afferemus. Dardanos

Dardani Troiani ſubditi.

itaque quod attinet; teſtatur Strabo ex Homero, paruiſſe eos Troianis, & Aeneam agnouiſſe dominum: cuius ſedem nominat Scepſin Phrygiæ ciuitatem: cuius poſteros etiam poſt bellum Troianum ibi ad clauum

Dardani in Europam migrant.

ſediſſe aſſerit: de quo in præſenti nihil ampliùs inquiremus: ſed contenti erimus eo, quod ex Solino antea attulimus, eos inde in Europam migraſſe; ibique ad Danubium cum cæteris Myſis conſediſſe.

Quare

Quare quę de ipſis plura dicenda ſunt, ad eum locum differemus: ſaltem de ipſorum lingua in nominibus aliquot eorundem ciuitatum & aliorum locorum (cuiusmodi ſunt Sigea, Sigæum, Rhetæum, Nora, Noricum, &c.) ex Strabonis, Plutarchi, & aliorum documentis notandum; fuiſſe illa ex noſtra Germanica lingua deprompta: id quod ipſa ἐτυμολογία probe oſtendit. Nolumus tamen hinc aliquem concludere, nos hoc ipſo innuere velle, quòd Troiani Germani fuerint: (etenim vnde originem illi ſuam ducant, à Phrygibus nimirum, qui Thraces fuerunt, ex hiſtorijs nemini ignotum eſt:) ſed quòd in illis Phrygiæ locis, vbi Troia ſita fuit, Germanici ſanguinis populi habitârint: quemadmodum & Xenophon Principem quendam Phrygiæ nominat Artamanum; quod nomen arbitror eſſe apud noſtrates Hartmanni. *Troianos eſſe Phryges. Germanici populi in Phrygia coniiciuntur*

Quam verò Troiani cum Germanis illis populis amicitiam & cognationem coluerint: dilucidè oſtendunt Aſcanij, Segeſti, & alia ipſorum nomina: quod poſterius etiam in Strabone ijsdem ſyllabis de Cheruſco quodam (Fuerunt autem Cheruſci Germaniæ populi ad ſyluam Hercyniam) legitur: quod arbitror eſſe Saxonicum Segegaſt, Victorioſus, à verbo Gaſt ſiue Haſt, celeriter vincens: vnde & hæc nomina, Arbogaſtes, Rhadagaſtes, Haldegaſtes, & ſimilia deriuantur. Herodotus quoque & Suidas vocabulum Beccus Phrygum lingua denotare panem aſſerunt: de quo Hieronymi VVolfij ſententia mihi non diſplicet, qui putat eſſe Germanicum Weck: vt ita modò dicti auctores non Phryges ipſos, ſed Phrygiæ incolas intellexerint: quæ ſanè loquendi conſuetudo auctoribus non eſt inuſitata. Equidem in hanc quoque ſententiam propemodum item, fictitiam Francorum originem à Troianis, inde natam: quemadmodum à vero non eſt abſonum, partem Dardanorum poſtmodò cum Myſis in Germaniam commigraſſe. Et videtur, ciuitatem Duram in ducatu Cliuenſi ab ipſis nomen traxiſſe: ſicut in VVeſtphalia ab Alanis Alam, VVerlam ab Herulis. Dacos prætera ſiue Danos eiusdem cum Dardanis originis & nominis eſſe; Dardanosque à Danis ortos; ipſumque adeò nomen iuxta Hebraicam deriuationem, ſignificare propagationem ſiue ſobolem Danorum, fermè affirmarem: niſi Iuſtinus à Getis eos deduceret. Ceterì Myſi proprium ſuum principatum & dominationem retinuerunt: regiaque ipſorum ſedes nuncupatur Teuthrania: quod nomen ad regionem ipſam tractum eſſe iudicamus: quemadmodum huius rei plura exempla in hiſtorijs reperiuntur. Quos tamen Reges ordine habuerint vsque ad Teuthrantem, ex ſanguine ipſorum vltimum; non eſt obuium. Hic cùm maſculam ſobolem nullam ex Telephi matre, vt quidam prodiderunt, ſuſcepiſſet: Telepho Argiopen filiam deſpondit; atque ita regnum ad ipſum tranſtulit. Fertur autem Telephus Herculis fuiſſe filius, illegitimo matrimonio editus. *Cheruſci. Dura. Dani à Getis oriundi. Regnum Myſorum in Aſia, Teuthranicum.*

Cum Troianis eum ſingularem aluiſſe amicitiam Dictys Cretenſis memorat; ob Priami filiam Aſtyochen ſibi deſponſatam. Græci ad Troianam expeditionem proficiſcentes, cùm ex improuiſo in Myſiam appuliſſent, nec nomen ſuum prodere vellent: & idcircò à Telephi ſubditis, excubias agentibus, tranſituque eos prohibere conantibus, armis peteti, victores euaderent; Telephus ipſe contra Græcos profectus,

&

& denuo eos adortus, in primo ſtatim congreſſu manu ſua Therſandrum Polynicis filium, Oedipi nepotem, occidit. Mox tamen expertus, quàm vaga volubilisque ſit fortuna; magnâ vtrinque ſtrage editâ, non ſolùm ab Achille grauiter vulneratur: ſed & ægrè fuga ſalutem petit. Quare licet Telephus cùm ſuper improuiſa illa irruptione, tùm proprio infortunio grauiter animi dolore torqueretur: Græcorum tamen legatione, qua ſoli agnati ipſius & propinqui Heraclidæ fungebantur, iniuriam iſtam excuſantium, eiusque amicitiam expetentium, piacatus quidem eſt: fœdus tamen contra Troianos ferire cum eis recuſauit: ſed toto illo bello deinceps ab armis abſtinuit: vtrique parti integrum ſe ſeruans. Quamuis autem ipſemet in ſuo propoſito firmiter perſeuerauit: filius tamen ipſius Eurypylus exercitum ex Ceteis, à quibus Latinos nonnulli deriuant, conſcriptum, Priamo adduxit: ſuomet tamen interitu. Nam poſtquam paulo pòſt ad manus & arma ventum eſt: à Pyrrho Neoptolemo, Achillis filio, in conflictu cęſus fortiter pugnans occubuit. Qualis autem poſt Telephi exceſſum ſtatus fuerit regni Myſorum; & vtrum poſteri ipſius id retinuerint: haud ſatis compertum habemus. Vbi tamen poſtremis his ideo magis aſſentior: quòd Pauſanias in Regum Teuthraniæ Catalogo Telepho ſtatim ſubijcit Atium: quem refert ſingulari certamine cum Pergamo, Pyrrhi Neoptolemi filio, congreſſum & trucidatum, hoſti magnam Teuthranię regni partem ceſſiſſe. Sanè Myſos ſuam dominationem retinuiſſe, & pręterea potentiam illorum creuiſſe, ex Strabone ſatis liquet: vbi hunc in modum ſcribit: Poſt captam Troiam Phryges ac Myſi imperauêre, deinde Lydi, poſt eos Aeoles & Iones, deinde Perſæ ac Macedones, poſtremò Romani. Regnum itaque illorum à Telepho duntaxat vſque ad Crœſum annos durauit circiter ſexcentos. Hic enim præter alios plures Aſiæ minoris populos, Myſos quoque ſibi ſubiecit.

Duratio regni Myſorum.

Et quamuis principatus ipſius non diu durauit: ad nullam tamen libertatem ideo peruenerunt: ſed poſt eius captiuitatem Perſis ſe ſubijcere coacti ſunt: non autem Aeolibus aut Ionibus, in qua opinione Strabo videtur eſſe: ſiquidem de ampla horum potentia & dominatione, quam in alios populos habuerunt, nihil apud auctores ſcriptum reperitur: quin imò hi ipſi eodem cum Myſis tempore à Lydis ſubiugati ſunt: vt ex Herodoto ſatis notum.

Neque verò ſcrupuloſè hîc & anxiè rimabimur, quod obijci poteſt: poſt Teuthrantis exceſſum, Myſorum quoque regnum deſiiſſe, nec ab eis amplius nominandum eſſe: quòd cum illo regum indigenarum ſtirps ceciderit; ipſumque regnum in alterius gentis, nec origine nec ſanguine cum ipſis coniunctæ, familiam tranſierit. Nam licet hoc ita eſſet: nihilominùs tamen regnum ipſorum manſit: perinde vt & hodie dicere poſſumus, regnum Franciæ in Gallia in ſuo vigore nihilominùs perſeuerare: licet poſt Ludouici, qui octauus fuit à Carolo Magno, mortem, longè aliena & peregrina familia, Hugonis nimirum Capeti, cuius originem ad VVitekindum Saxonem Ducem Angarię & VVeſtphaliæ referunt, regnum illud occuparit, & in hodiernum vſque diem teneat. Myſorum ergo hoc regnum à Crœſo tollitur: qui cum poteſtate eſſe cœpit A.M. 3095. eamque quatuordecim retinuit annis: quo ſanè tempore

Finis regni Myſorum.

pore Myſorum potentia, dignitas, & auctoritas propemodùm concidit: adeo vt alienos dominos agnoſcere cogerentur: niſi quod Artaxerxis Memnonis temporibus iterum libertatem affectarunt, & à Perſis defecerunt: quam ob rem Cyrus Iunior expeditionem contra eos ſuſcepit: ſicut & Pharnabazus in eos mouit, cùm rapinis & depopulationibus regnum hoc infeſtarent. Et quanquam tunc contra Perſas aliquandiu ſe ſuſtinuerunt; & Xenophonte teſte, magnas aliquot atque opulentas ciuitates occuparunt: breui tamen à Perſis denuo ſubiugati, Satrapas acceperunt: è quibus vnum Diodorus Autophradatem nominat. A quo tempore exinde nunquam ſe plenè recolligere, & emergere, multoque minùs propriam potentiam recuperare potuerunt: ſed ſemper alienis paruerunt dominis: veluti poſt interitum Perſicæ monarchiæ, Macedonibus primùm, deinde Romanis.

Quanquam nec huic fidem derogatam volumus, eos ante hoc infortunium, vt ab alijs populis, ita à Lydis præcipuè vexatos fuiſſe: quemadmodum de Gyge, Crœſi abauo, memorat Suidas, Troadem illum tenuiſſe. Nec Cimmerios tunc, in Lydorum regnum irruptionem facientes, ipſis peperciſſe, credere fas eſt. Chios quoque, quos Herodotus in Myſiam collocat, conſentaneum eſt, non abſque armis & bellis in oris iſtis conſediſſe. Sed tamen vt dictum, regnum illi ſuum nihilominùs ad Crœſum vsq; conſeruarunt: vbi ad afflictas ipſorum res procul dubio acceſſit, quòd à Lydis, partâ victoria, male fortaſſis & miſerè tractati ſint: ſicut ipſis poſtea Iuſtino teſte lib. 1. à Perſis obtigit. Vt ita vnà cum adempto regno & priſtina libertate, priſtina ipſorum magnanimitas & dignitas corruerit: ipſiq; ab omnibus contemtui habiti, & vltimo loco poſiti in prouerbium tandem abierint: cuius Cicero meminit in Orat. pro Flacco. Prouerbium enim hoc, *Myſorum vltimus*, per irriſionem & ſubſannationem in viles ſummeque ſpretos & abiectos homines vſurpatur. Sed tamen res ipſorum idcircò non planè fuerunt deploratæ. Etenim poſt interitum Alexandri Magni, qui Perſis monarchiam extorſit atque abſtulit, celebre iterum inter ipſos regnum eſt exortum: cuius tamen initia perexigua fuerunt, & alterutram duntaxat Myſiæ partem, Teuthraniam nimirum, cuius metropolis fuit Pergamus, complexa ſunt: cæteri ſiquidem Myſi ſub Macedonum poteſtate relicti, primùm à Romanis Antiocho Magno erepti, & Eumeni II. ſubiecti ſunt. Græcorum hiſtoriæ hoc in loco non ſatis ſe expediunt: eoque ferè tendere videntur, quaſi nec Reges ipſi ex Myſorum ſanguine ſint progeniti; nec Pergamus, vbi regnum hoc cœpit, à Myſis tunc habitata. Horum priori parti vt libenter aſſentior: Philetærus ſiquidem ἔξαρχος huius regni, quod fratrum filijs reliquit, ex Paphlagonia oriundus fuit: ita poſterior, ne planè reijciatur, non exigua indiget limitatione. Nec enim ſimpliciter intelligendum eſt, quod Pergamenos fuiſſe Arcades Pauſanias aſſeuerat, qui Telephum, de quo ſuprà diximus, eò ſecuti ſint. Nam quoniam Pergamus vrbs fuit perantiqua, & Myſi præterea maturè ea in loca peruenerunt: rationi magis conſentaneum eſt, eam ab his eſſe conditam, & habitatam, & hoc nomine inſignitam: de quo mihi non diſpliceret, ſi acciperetur pro eo, quo Latini vrbem quandam Galliæ Ciſalpinæ vocant Bergomum: quod noſtra vernacula lingua eſſet Bergheim: quia vtraq; vrbs ita ſita eſt; & Pergamum prætereà venis metallicis abundaſſe, Strabo refert. Bergomũ ſanè à Senonibus,

Regnum Myſorum Pergamenſe

Bergomum.

qui

qui primùm ad Albim conſederunt, vnde à Suida Albani quoque cognominantur, eſſe conditum; omnes teſtantur Romanæ hiſtoriæ: ſimilique nomine Ptolemæus inſignit vrbem quandam Thraciæ: vnde alioquin Strabo Myſos deducit, vt ſuprà meminimus. Sed inſequentibus temporibus non ſolùm Arcades, verùm etiam alij Græci iſtic inter Myſos conſidere potuerunt: ſiue Telephum, ſiue Pergamum Pyrrhi Neoptolemi filium, cuius ſuprà facta eſt mentio, & à quo Pauſanias propriè nomen Pergami deriuat; ſiue etiam Demaratum, qui regia dignitate apud Spartanos exutus à Perſis, vrbem eam occupauit; ſecum fuerint. Sicut & de Alexandria Aegypti vrbe legimus, à quadruplici populorum genere eam inhabitatam fuiſſe. Et notum eſt ex hiſtorijs, qualiter Græci ante & poſt monarchiam Alexandri in præcipuas vrbes & regiones diſſeminati ſint. Et quoniam iſta Græcorum propagatione, lingua ipſorum Pergamenis familiaris quodammodo facta eſt: (ſicuti ea apud omnes ferè gentes conſuetudine approbata fuit, ſicut hodie Latina; in totoque Oriente D. Hieronymo teſte, in tantum inualuit, vt etiam noſtri Galatæ ea vterentur, vnde & Gallogræcorum nomen accepêre) procul dubio Pauſaniam mouit, vt Pergamenos ſimpliciter Arcades nominaret; vel quòd plures Arcadum inter illos habitarent; vel quòd dialectus ipſorum illis familiarior eſſet. Aliàs enim Plinius illos Myſomacedones nominat. Atque ita Myſis nihilominùs in laude ponitur, quòd regnum hoc apud ipſos cœperit: & fortaſſe auxilio ipſorum præcipuè ſit confirmatum: vnde & Pauſanias illud Myſorum regnum, & Attalum I. Myſum nominat. quanquam, vt ſuprà dictum, ab exordio non adeò potens fuit, vsque ad hunc, quem modò diximus, Attalum I. & Eumenem II. qui à Romanis omnes fermè illas regiones, quas ſuis armis Antiocho Magno eripuerunt, hæreditariò accepit: quod tamen poſteris ſuis parum profuit: tantùm abeſt, vt hoc ipſo præcipuè dignitate ea priuati & exuti ſint, & vix ipſemet amicitiam illorum retinere potuerit. Nam poſtquam Attalus φιλομήτωρ Romanos teſtamento hæredes inſtituit: illi continuò adita hæreditate, Ariſtonico huius fratri ſucceſſionem in regno denegantes; eas oras vi ad ſe rapuerunt, & in prouinciæ formam redegerunt: ipſumque Ariſtonicum Romam captiuum ductum, tandem interemerunt.

Atque ita Myſi quartùm in alienam externorum populorum, Romanorum nempe, poteſtatem redacti ſunt, ex qua extricare ſe nunquam potuerunt. poſtquam Pergami regnatum eſt annis CLXI. Horum autem Myſorum ſedes in qua Aſiæ parte fuerit, partim ſuprà attigimus, vbi ſimul de eorundem mutationibus egimus: de quibus qui plura cognoſcere volet, ipſos conſulat auctores, qui hinc inde harum rerum mentionem faciunt. Vnum hoc de ciuitatibus prætereundum non fuit; celebriores ex ipſis fuiſſe Pergamum, Scepſin, & Adramytium. Ac Pergamus quidem à regno iſto inprimis inclaruit, & à chartæ vſu, ſub Eumenis II. gubernatione inuento: quæ nunc quoque vulgò Pergamena dicitur. Præterea nati in ea ſunt Apollodorus, Auguſti Cæſaris morum rector; & Galenus excellentiſſimus medicus, cuius ſcripta medicinæ magnum lumen afferunt, & adhuc vigent: itemque Mithradates ille Pergamenus, cui ob fidelem operam C. Iulius Cęſar regnum Boſpori Cimmerij attribuit. Scepſi Aeneas aulæ ſuę ſedem habuit: ſicut & tam huius

Præcipuæ ciuitates in Myſia Aſiatica.

Pergamus.

Sceps.

huius quàm Hectoris poſteri regnum illud ibi aliquandiu adhuc conſeruaſſe traduntur: de quo ſuprà ex Strabone mentionem fecimus. Vnde quoq; oriundi ſunt Philoſophi Eraſtus & Coriſſus: cuius filio Neleo, ſuo diſcipulo, Theophraſtus bibliothecam Ariſtotelis reliquit: ad cuius poſteros theſaurus quidem iſte peruenit: ſed quem malè cuſtodierunt: quippe qui Pergamenorum regum ſtudium in conquirendis vndiq; libris audientes; inuidia quadā vel etiā auaritia ducti, in ſubterraneo illos loco concluſere: vbi cum tineis & blattis ad Apelliconē vſque Teium pugnauere: qui eos deſcribendos curauit, & ſecum Athenas retulit: vbi captos victor L. Sylla bello Mithridatico inter manubias Romā deportauit. Quo ſanè medio Ariſtotelis doctrina iterum in publicum prodijt: tuncq; cœpit noua illa ſecta Ariſtotelicorum: qui vt à Platone, cui adhæſerunt, Platonici: ita hi ab Ariſtotele pendentes, hoc nomen ſibi indiderunt: & præcipuè Chriſtianis multum negotij facitarūt. Nam Peripatetici quamuis & ipſi ab Ariſtotele ſe iactitarent, nullos tamen libros ſcriptos habuerunt, paucis exceptis: ſed diſciplinam ſuam ad propoſitiones aliquot direxerūt: de quo pluribus agit Strabo lib. 13. & Laërtius Diogenes in vita Ariſtotelis. Adramytio deniq; oriundus fuit Andriſcus, Pſeudophilippus cognominatus: qui Perſei filium ſe mentitus, Macedoniam partim armis partim deditione occupauit; ſed quem paulo pòſt Q. Metellus victum, captumque Romam in catenis reduxit: hoc ipſi in malis ſuis indulgente fortuna, vt de eo populus Romanus quaſi de vero rege triumpharet: vt mihi de ſuo hoc largiatur Florus. Hæc de Myſis Aſiaticis breuiter ſufficiant. Pergamus nunc ad Myſos Europæos; à quibus Miſnenſes in Germania, vt ſuprà dictū, propriè ſuam trahunt originē: & quæ de ijs reſtant, paucis quoq; percurramus. Sic autem omninò iudicamus, Myſos poſt diſceſſum ſuum ex Aſia, ſtatim ad Danubij confinia ſe cōtuliſſe. vnde (ſi coniecturis aliquid eſt dandū) & multiplices apud eos extiterūt mutationes: & ipſi ſenſim ſe illic dilatarunt: ſicut & tandem ad alterum Danubij latus conſederunt: quod expreſſis verbis Strabo teſtatur. Eſt & hoc non incredibile, non ſolū Dardanos (quos ſuprà diximus ex Troade in has oras commigraſſe) ſed & Getas, qui & ipſi tandem poſt bellum Troianum, non multò tamen ante Cyri imperium, ex Aſia conceſſerunt, nouas iſthic mutationes & perturbationes ſedium creaſſe: de quibus omnibus Dion lib. 51. hunc in modum ſcribit: Antiquitus (inquit) Myſi & Getæ omnem eam regionem, quæ Æmum ac Iſtrum interiacet, incoluerunt: progreſſu verò temporis, alia quidam eorum acceperūt nomina: Myſiæq; nomine omnis ea regio, quā Sauus in Iſtrum incidens ſupra Dalmatiam & Macedoniā Thraciamq; à Pannonia dirimit, vocari cœpit: in qua Myſia eùm aliæ multæ gētes, ſunt, tùm qui hodie Triballi appellati ſunt, ijq; quos hodie etiamnum Dardanos nominant. Quare etſi inſequentibus temporibus eiuſmodi mutationes apud Myſos inciderunt, alijq; populi ſe cum illis perpluſcuerunt: ſicut hoc ex Dionis loco patet, & dilucidiùs aliquantò in Ptolemæo videre licet: horum tamen ſedes ad Iſtrum, iuxta horum & aliorum Geographorum deſcriptionem, extenderunt ſe omnes in regiones, quas hodie Vandaliei iſti populi, Bulgari, Raſſiaui, Serui, Boſnenſes poſſident. Vnde colligitur ſatis magnam ipſorum fuiſſe potentiam: interdum tamen magis interdum minùs viguiſſe: cuius cauſa potiſſima fuit diſſipatio illa & diuiſio in nouos populos & dominatꝰ, vt poſtea indicabimus: quam & ipſam

Adramytium.

II. *Myſi Europæi.*

Getæ in Europam migrant.

Myſorum ſedes quæ regiones complectantur.

cauſam auctores in genere de Thracibus reddunt, quòd tam exiguas vires habuerint. Hoc etiam diligenter de Myſis notandum, quod de ſermone Strabo memorat, eos cum Getis ſiue Gothis (vtrunq; ſiquidem hoc nomen vni eidemq; populo proprium eſt, vt ex Spartiano & Capitolino liquet) ὁμογλώττους fuiſſe; hoc eſt, lingua Germanica vſos eſſe. Getas enim locutos fuiſſe Germanice, in eo omnes eruditi conſentiunt: eiusq; rei certa adhuc in hiſtorijs extant documenta: Inter quæ colloco & numero antiqua nomina Regum & Principũ: cuiuſmodi ſunt, Dromicheres, VVarfeſtus, Roles, Fringernus, Hartomundus, Hiltomundus, Alaricus, Theodoricus, Vitiges, Hiltebrandus, Totila, & ſimilia: quæ omnia ex Germanica noſtra lingua deprompta ſunt: quod ipſa ὀνομασία euincit. Nec verò quis his offendatur, aut decipiatur, quaſi nulla veritate ea nitãtur: quod Myſos & Getas Hiſtorici plerunq; inter Thraces numerent, & non inter Germanos: quod nomen in Romanis hiſtorijs, poſt Iulij Cæſaris tempora, Germanis populis tribuitur. Neq; enim nomen illud ad omnes Germaniæ populos extenditur, nec ſemper tàm amplè & latè vſurpatur: ſicut & adhuc hodie videre eſt, ipſum in noſtra lingua penitùs eſſe ſublatũ. Et vt hoc aliquantulum euidentiùs appareat: & in alijs hiſtorijs gentis noſtræ magis nos expedire poſſimus: in gratiam Lectoris breuem commonefactionem addere placuit de generalibus nominibus, quæ Germanici populi vel habuerunt, vel vſurparunt.

Myſorum ad Danubium lingua.

Commonefactio de generalibus Germanorum nominibus.

Ex multis veterum auctorum documentis colligimus, populis, versus Septentrionem & Occidentem à fluuio Tanai & Ponto Euxino vſq; ad montes Pyrenæos conſidentibus, ab initio Celtarum nomen communiter eſſe tributum: ſicut de hoc expreſſa extant documenta; e quibus præcipua huc adſcribemus. Herodotus lib. 3. Iſter (inquit) incipit à Celtis & Pyrene. Sunt autem Celtæ extra columnas Herculis, Cyneſijs finitimi, omnium in Europa ad Occaſum habitantium vltimi. Diodorus lib. 5. c. 9. Nunc quod à multis ignoratur, ſcribatur. Vltra Maſſiliam, qui mediterraneas regiones, quique iuxta Alpes & montes Pyrenæos incolunt, Celtæ appellantur: Vltra hos, qui ad Oceanum verſus pertinentes oras, & Hercynium montem, quique deinceps ad Scythiam vſque habitant, dicuntur Galli: quas omnes gentes communi nomine Romani Gallos appellant. Strabo lib. 1. Ephorus eam partem, quæ Subſolanum ſpectat, Indos habitare ait, ad Auſtrum AEthiopas, ad Occidentem Gallos, ad Aquilonem Scythas. Dion lib. 39. Antiquitùs Celtæ appellati ſunt populi, qui ex vtraque parte Rheni habitant. Suidas in dictione Κέλτοι: Celtæ ſeu Galli gentis nomen, qui Germani dicuntur, Rheni fluminis accolæ. Et ſanè, huiuſmodi vſus nominis Celtarum, poſteris temporibus cauſam præbuit multarum intricationum & obſcuritatum. Romani enim bella ſua, quæ contra Celtas geſſerunt, ſaltem de ijs intellexerunt; qui vel ex Gallia venerunt, vel Galliam inhabitarunt. Cùm tamen ſatis conſtet, *Senones, Boios*, & alios, qui in Italia illos inprimis infeſtarunt & vexarunt, Galliæq; Ciſalpinæ nomen dederunt, in Germania habitaſſe. Idem accidit de expeditione illa Celtarum in Pannoniam, Thraciam, Macedoniam, Græciam, Aſiam: vnde hodie multi Galliæ incolas ſupra modum extollunt; de Germanis verò affirmãt, ſatis diu eos latuiſſe & incognitos fuiſſe, donec Cimbri & Teutones exardeſcentes, poſt Ariouiſti expeditionem Gallicam cum Romanis manus conſeruerunt. Quod ſanè, quod ad vſum nominis Germanorum attinet, libenter concedimus. Nam

I. Celtæ.

Nam,vt in ſequentibus pluribus demonſtrabimus,C. Iulius Cæſar
noſtros in Germania populos primus omnium à Celtis reliquis diſcreuit:
vbi econtrà Saluſtius Cimbros & Teutones Gallis annumerat: in quo O-
roſius quoq; & Sex.Rufus eum ſecuti ſunt. Et ſcribit Sex. Rufus,Iulium
Cæſarem Gallos vltra Rhenum oppugnaſſe: per quos certè Germani
noſtri intelligendi ſunt. Appianus quoque & Florus narrant, ſeruum
publicum Minturnis miſſum ad occidendum Marium, fuiſſe Gallum:
cùm tamen ex Val. Maximo conſtet, Cimbrum fuiſſe: & addit Velleius
Paterculus, eum à Mario in clade Cimbrica fuiſſe captum. A nonnullis
inſuper Baſſus Poëta allegatur, qui Germanici Cæſaris bella contra Cel-
tas deſcripſit: ſed quæ ſimiliter de Germanis noſtris intelligenda ſunt:
Romanæ ſiquidem hiſtoriæ perſpicuè teſtantur, eum verſus Occaſum
nullos ampliùs populos oppugnaſſe. Primum itaque hoc notandum,
Celtarum nomen ad vtroſque Germanicos populos in & extra Galli-
am pertinere: & idcircò res geſtas, quæ memorantur, de vtriſque in ge-
nere, & non de ſolis Gallis intelligendas eſſe. Atque huc pertinet,quod
Cæſar de Gallis affirmat, illos anteà Germanos ſuperaſſe magnanimi-
tate:ideo nimirum,quia illorum nomen Romanis magis cognitum fuit.
Nam & aliâs notum, ſæpiùs varios populos, qui non ſolùm nomine,
ſed & origine,lingua,moribus diſtant, vniuerſali cuidam nomini inclu-
di: veluti cùm Græci in Imperio Conſtantinopolitano Occidentales po-
pulos,ad Romanam Eccleſiam ſe aggregantes, Latinos nominarunt: &
Turci hodie eoſdem in genere Francos appellant.

Nomen Celtarum ipſum quod attinet, nullum omninò dubium *Celtæ.*
eſt ex Germanica lingua defluxiſſe: & quoniam Cæſar ipſemet confite-
tur,Romanos ipſum in Gallorum nomen commutaſſe:(Cuius ſententiæ *Galli.*
Marcellinus quoq; eſt, & Pauſanias,vbi ait: Vt Galli appellarentur,non
niſi vſus ſerò obtinuit: Celtas enim cùm ipſi ſe antiquitus, tùm alij eos
nominarunt:)alterum verò Galatarum, quo Græci frequentiùs vtuntur, *Galatæ.*
propiùs ad ipſum accedat: ex ſola pronunciatione nomina illa diſcer-
nenda eſſe iudicamus: cuiuſmodi dialectos, vt nunc, ita & antea, noſtri
procul dubio habuerunt: eademq; omninò eſſe, quæ adhuc in vernacula
lingua noſtra ſnperſunt, Walen/Welſche: quam poſteriorem vocem Cæ- Wallen/
ſar vertit in nomen Belgæ: vbi tamē profitetur, popnlos, quos ſub ijs com- Welſche.
præhendit, Germanicæ fuiſſe originis. Hoc autem nomen noſtri fortaſſe *Belgæ.*
acceperunt à peregrinando,& in has oras commigrando. Eiuſmodi nāq;
denotationem habet vocabulum Wallen: ad quem eundem modū quon-
dam ij, qui expeditionis in Palæſtinam Godefrido Bulionio ſocios ſe ad-
iunxerunt, nominarunt ſe die Walbrüder: ipſamq; peregrinationem ein
Walfart,Hinc Nicephorus Gregoras de ijs Galatarum nomē uſurpat: &
Zonaras tom.3.pag.233.ita loquitur Nemetzi gens Gallica,iuxta morem
Vandalicorum populorum, vt ſequetur,cum quibus Græci tum tempo-
ris ſe apprimè permiſcuerunt. Craſſior quoq; inde videtur promanaſſe
error; quòd nonnulli hiſtoriam hanc Gallis aſſcribant.

Alterum quoque vſum horum nominum, Walen/ Welſche/
hunc reperio: qnòd à noſtris etiam ad illos trahantur, qui alterius ſunt
linguæ & originis. Hinc Gothi & Daci in Tranſſyluania, finitimos ſu-
os VValachos nominant: & Angli reliquias Britannorum, qui cum
cæteris Britannis in Gallia in hodiernum vſque diem ὁμόγλωττοι eſſe per-

hibentur, vocànt Wallen; Belgæ Gallos, Welſche / & Artoin Welſch Brabant: nos in genere Italos Walen oder Welſche: quemadmodum

Niemetz. Vandalici populi de Germanis vtuntur nomine Niemetz / velut quos non intelligant, atque ita ipſis, ceu mutis, os ſit vocis inane: quemadmodum & Græci initiò barbarorum nomen omnibus alienigenis & peregrinis attribuerunt. Et ſic accipienda ſunt verba Stumpſij in Chronico Heluetico: Das kein Welſch Volck den Deutſchen alſo hold vnd geneigt ſey / als die Frantzoſen. Quam vocabulorum vſum Sueui & Heluetici hodie

Germani & Galli ὁμόγλωττοι. inprimis retinent. Celtas ſanè, ſiue Germanos & Gallos (ſicuti deinceps diſtincti ſunt) vt eandem originem, ita eundem quoque habuiſſe ſermonem; multis id documentis & auctoritatibus probatur: quorum aliquot aſſignare operæpretium fuerit. D. Hieronymus in Comment. epiſt. ad Galat. cap. 3. hunc in modum ſcribit: Vnum eſt, quod inferimus; Galatas, excepto ſermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam eandem penè habere, quàm Treuiros: nec referre, ſi exinde aliqua corruperint: cùm & Afri Phœnicum linguam nonnulla ex parte mutauerint: & ipſa Latinitas & regionibus quotidie mutetur & lingua. Treuiros enim Germanicè locutos eſſe, negari non poteſt: ſicut & à Strabone & alijs inter Germanos numerantur: eosque à Treribus, quos idem Strabo inter Cimbros collocat, originem & nomen traxiſſe, ſiquidem Saxones in hodiernum vſque diem eos nominant die

Scordiſci. Baſtarnæ. Neruij. Trerer / aſſeuerare non dubitamus. Scordiſcos narrat Liuius, cum Baſtarnis eadem vſos eſſe lingua: quos tamen Plinius inter Germanos collocat. Cæſar quoque teſtatur, Neruios, quos omnes ſcriptores Germanos eſſe cenſent, Gallorum lingua locutos eſſe. De Sertorio memorat Plutarchus, cum à Mario pro exploratore miſſum in Cimbrorum caſtra; quòd Gallicam linguam calleret, & cum illis ſermonem permutare poſſet. In Pauſania reperitur, Gallos ſua lingua equos appellare Marcas: quod vocabulum nonnulli exiſtimant eſſe Germanicum Mehre: ſicut ab hoc in vſu adhuc eſt vocabulum Mahrſtall: eſtque in hac ſententia Beatus Rhenanus, inde quoque defluxiſſe nomen Marſchalli: quem interpretatur Magiſtrum equorum. Vocabulum enim Schalck in vetere lingua Germanica in bonam quoque partem accipitur; vnde nomen Gotſchalci deſcendit: non aliter, atque hodie Miſnenſibus & Germanis vocabulum Bube eſt in vſu. Ad hæc nomina quoque regum & principum apud Gallos ſiue Galatas ex noſtra lingua ſunt deſumpta: itemque hæc: Anoroeſtus (Cæſari Ariouiſtus, Floro Ariobiſto) Litauicus, Brennus, Diuitiacus, Viridorix, Teutomarus, Deutorix, Adiotarix, Leonorius, Lutarius, Aduerta: quæ ſunt noſtra Germanica, & adhuc conſuetudine recepta, Ehrnveſt / Ludwig / Brenner oder Brand / Wittich / Friederich / Ditmar / Ditrich / Hederich / Leenhart / Lutter / Edward / &c. Atque eò ſpectat, quod Cæſar ſcribit, Gallos gloriatos eſſe, quòd à Dite deſcendant. Hunc enim obliquum deſumſit à vetere Germanico Ditz quod ſignificat Gott: hinc illa compoſita, Ditrich / Ditmar / Ditzman / Ditzwald: vnde hiſtorici corruperunt nomen Decebali, Detzel / pro eo ſubſtituentes nomen Totilæ: cuius nominis & ſoni Tho jo Dute / ein Zetergeſchrey / hoc eſt, clamor violentiarum ſiue ἰδυγμός, apud Saxones etiamnum in vſu eſt.

Facilè

Facilè quoque mihi perſuadeo, nomen Dingſtag inde denominationem accepiſſe: ſicut & VVeſtphali & reliqui Saxoniæ inferioris populi diem Mercurij appellant Godenstag/ à Goda, quod nomẽ ex priſcis Teutonibus Longobardi vſurparunt de Deo Mercurio, Paulo Diacono teſte: quod tamen nihil aliud eſt, quàm noſtrum Gott. Strabo mentionem facit nominis Andigiſtæ, à Galatis deæ Cybelæ attributi: quod arbitror eſſe noſtrum Germanicum Endigſte/ quaſi ad opitulandum pronæ: quo nomine ita eos vſos eſſe arbitror, vt Græcos nomine θεὸς, ἀπὸ τ̃ θέειν, quòd Deus facilis ſit ad opitulandum omnibus, in periculis eum inuocantibus. Ptolemæus inter ciuitates Galatiæ nominat Germanopolin: vnde quidam colligunt, peculiaris huius populi Germani partem iſthic conſediſſe. A Plinio denique mentio fit Teutobodiacorum: quòd fortaſſe Teutones quoq;, vnde nomen hoc defluxit, ſimul iſti expeditioni interfuerunt.

Ad pleniorem atq; perfectiorem informationem de vſu nominis Celtarum non intermittendum duximus, etiam de rebus illorum geſtis nonnulla adijcere, quarum tamen omnes vbique hiſtoriæ refertæ ſunt. *Celtarum res geſtæ, verſus occidentem.* Ex Celtis igitur, ad Occidentem qui ſe dilatarunt, *Senones* Romam captam diripuerunt & incenderunt A. V. 365. quamuis paulò pòſt, non ſine magna ſuorum iactura, Plutarcho teſte, à Camillo vrbe ſunt eiecti. Nam Liuio aſſerenti, eos tunc omnes ad internecionem cæſos, penitusq; deletos eſſe, aduerſantur illuſtria Polybij, Strabonis, & aliorum teſtimonia: eſtq; auctor Ptolemæus, ad Albim eos conſediſſe. Poſt Senones *Boij & Inſubres* irruptionem in agrum Romanum fecerunt. Galli in Francia primùm à Sextio & Fabio Maximo, deinde à Cn. Domitio & Caſſio Longino, vltimò à Iulio Cæſare oppugnati ſunt: quo tempore populo Romano vectigales facti, quotannis quadringentis H S, hoc eſt decies centena millia coronatorum, Eutropio teſte, pendere coacti ſunt: vnde & Velleius affirmat, ex prouincia illorum ad Imperium Romanum tantos fermè prouentus acceſſiſſe, quantos aliâs ex toto orbe. Celtas autem maximo Romanis terrori fuiſſe, ex hiſtorijs hinc inde colligitur. Sic enim Polybius: Gallico nomine (inquit) nihil Romanis terrius & horribilius. Et Plutarchus: Nullos Romani magis quàm Gallos timebant. Item Iuſtinus: Nomen Gallorum ſemper Romanos terruit. Hinc illud Vopiſci, Gallicus terror: & Liuij, tumultus Gallicus, qui nunquam à Romanis contemtus ſit.

Quibus accedit illud Plutarchi & Appiani: apud Romanos à bellis fuiſſe immunes ſacerdotes & ſenes, ſolis exceptis expeditionibus contra Celtas; Itemq; Romanos abſconditum habuiſſe theſaurum, quem ſolummodò reſerarent, ſi quando incideret bellum contra Celtas. Quem Iulius Cæſar tunc quoque diripuit, cùm de Gallis victoriam reportaret. De hoc ipſo Salluſtius quoque hunc in modum ſcribit: Per idem tempus aduerſus Gallos (Cimbros) ab ducibus noſtris, Q. Cœpione & T. Manlio malè pugnatum. Quo metu Italia omnis contremuit. Illique & inde vſque ad noſtram memoriam Romani ſic habuère, alia omnia virtuti ſuæ prona eſſe; cum Gallis pro ſalute, non pro gloria dimicare. Et Oroſius lib. 5. c. 22. Quotiescunque Galli exarſerunt; totis opibus ſuis Roma detrita eſt: vt ſub præſenti nunc concurſatione Gothorum, magis debeat meminiſſe Gallorum. Ciceronem quoque eò reſpicere arbitror, vbi

ad Atticum hunc in modum ſcribit: In Repub. nunc quidem maximè Gallici belli verſatur metus. Nam Hedui fratres noſtri pugnant: Sequani malè pugnarunt: & Heluetij ſine dubio ſunt in armis, excurſionesque in prouinciam faciunt. Senatus decreuit, vt Coſs. duas Gallias ſortirentur: delectus haberetur: vacationes ne valerent: legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ ciuitates, darentque operam, ne hæ cum Heluetijs ſe iungerent. In Diodori Siculi hiſtoria narratur, Carthaginenſes Celtas magnis ſtipendijs conducere ſolitos fuiſſe: quanquam hoc ipſis non ſemper ex animi ſententia ſucceſſerit.

Primo enim bello Punico contra Romanos finito, Celtæ ob ſtipendij ſolutionem turbas dederunt: quas vt Carthaginenſes ſedarent, coacti ſunt Romanorum auxilia implorare: quæ inſulæ Sardiniæ traditione demum impetrarunt: vnde vetus odium magis excitatum & inflammatum, ſecundo bello Punico, ab Hannibale ſuſcepto, cauſam præbuit. Quare cùm & hoc in bello Romani victores eſſent: victis pacem dantes, inter alias multas conditiones hanc quoque, Appiano teſte, expreſſè annexerunt: vt eiuſmodi ſocietatem Celtarum dimitterent. Affirmare quoq; non dubito, Celtas, apud Dionyſium Siciliæ tyrannum ſtipendia qui meruerunt, & Lacedæmonibus ad ferendas ſuppetias contra Thebanos & Epaminondam miſſi ſunt, ex Gallia fuiſſe: ſicuti præter eos Xenophon Iberos Hiſpanos nominat. Cæteri autem Celtæ, verſus Orientem qui magis conſederunt, finesq; ſuos (vt Strabo loquitur) cum Thyringetarum & Baſtarnorum regionibus terminarūt, inter Illyrios quoque, Pannonios, & Thraces ſe permiſcuerūt, Macedones aliosq; Græcos finitimos armis aliquoties infeſtarunt. De his Ariſtoteles teſtatur, tantam illorum fuiſſe audaciam, vt in prouerbium quoque abierit *Celtica audacia*, pro extrema quauis audacia. Alexandro Magno Triballos aliquando oppugnante, Celtæ legationem ad ipſum miſerunt: quos cùm Rex, exiſtimans ſe iam victoria hac adepta omnibus finitimis fore terrori, inter alia quoque interrogaret, Quidnam omnium maximè pertimeſcerent, reſponderunt: Hoc vnum, ne cœlum ruat. Qua ſalſa & amarulenta reſponſione Alexander offenſus, Celtas hominum genus audax & pertinax eſſe pronunciauit.

Celtarum res geſtæ verſus orientem.

Primum Celtarum bellum cum Macedonibus incidit in imperium Ptolemæi κεραυνοῦ: quem in prælio multis vulneribus confoſſum viuum ceperunt: ipſius inde caput buſto ademium, atque haſtæ affixum tota acie ad hoſtium terrorem circumtulerunt: nemine tandem reſiſtente totam illam oram diripuerunt. Circa idem tempus vires quoque ſuas in Oraculo Delphico experiri auſi, magna tamen ſuorum iactura recedere coacti ſunt. Et licet haud ita multò pòſt cum Antigono quoque Gonata inauſpicatò manus conſeruerunt: tantus tamen terror de ipſis iniectus eſt vicinis populis: vt multi reges pacem pecunia ab ipſis redimerent: & inter cæteros Pyrrhus quoque AEacides ſtipendium illis promitteret. Et ſanè Reges Orientales nullum bellum ſuſceperunt, in quo non vtebantur Galatarum opera: adcò vt ſi quis fortè regno eiectus eſſet, illorum duntaxat auxilium implorarct. Vnde cum Nicomedem Bithyniæ Regem reſtituiſſent, in Aſia poſtea remanſerunt, & regioni Galatiæ nomen impoſuerunt: vbi in quanta exiſtimatione & auctoritate fuerint, ex illo euidenter apparet: quòd Aſiæ Reges vecti-

galia

galia ipſis pendere compulerunt: quod tamen initiò Attalus I. Pergameni rex, Liuio atteſtante, facere recuſauit. Quanquam nihilominus à ſuis prædationibus & direptionibus non deſtiterunt: quibus nec reſiſti potuit: donec Antiocho Magno Romani Aſiam minorem eripuerunt: vbi à Manlio ingenti clade debellati, Romanis ſe primùm aſſociare; deinde à Deiotari ſtirpis interitu, illorum quoque imperium accipere coacti ſunt: quo tempore Auguſtus Cæſar regionem ipſorum populi Romani fecit prouinciam.

Suntq; hi ipſi Galatæ, ad quos diui Pauli extat Epiſtola: quod ipſorum nomen Græcis magis familiare fuit; vbi econtra Latini nomen Gallogræcorum retinuerunt. Athenæus & Iuſtinus narrant, Scordiſcos ex Gallis, qui in Græciam irruptionem fecerant, ſolos ſuperſtites fuiſſe. In horum prouincia Ptolemæus nominat ciuitatem Teutoburgium: cuius nomen inter Germanos quoque reperitur: à quo adhuc hodie Saltus Teutoburgenſis, vbi Arminius Romanos magna clade affecit, nomen retinet. Ad hos autem *Taurisci* quoque pertinent: à quibus Plinius *Noricos* deducit. Veteres Hiſtorici in ea ſunt opinione, Gallos Aſiaticos ex Gallia eò veniſſe: quibus minimè repugno: quamuis videatur, *Tectosages* in Germania quoque conſediſſe; à quibus adhuc ſuperſunt nomina Teck & Teckenburgum: vt ita Tectoſages ſignificent Teckſaſſen/ S in G mutato: ſicut & ex nomine Saſſe factum Græcum illud, Sacæ. Fieriq; poteſt, eos eiuſmodi migrationibus & peregrinationibus vocabulum Wallen præ alijs Germanicis illius oræ populis retinuiſſe: ſicut & ſub Gallieno Imp. mentio adhuc fit Celtarum; quo tempore Gothis ſe aſſociarunt. Nam quòd nomen ſæpiùs mutarint, plura aliâs extant documenta, quæ hîc conſultò præteribimus.

Galatæ à S. Paulo ad fidem Chriſtianam conuerſi.

Celtarum autem nomen in vigore ſuo manſit vſque ad Gallica bella Iulij Cæſaris: in quorum deſcriptionibus noſtros populos vſque ad Rhenum à reliquis Celtis in Gallia primus ſeparauit: quem hiſtorici quoque alijque auctores poſtmodò retinuerunt, non tamen ſemper, vt dictum, in vſu legitimo. De nominis autem Germanorum ratione non vniuſmodi reperiuntur ſententiæ: è quibus meritò Strabonis illa, è Latino eam deriuantis, reijcienda: qui vult illud Germanis inditum eſſe à Romanis, qui viderint eos & feritate animorũ, & proceritate corporum, colore flauo, forma præterea & moribus, & viuendi ritu, Gallis tanquam fratribus ſimillimos. Cùm tamen nullam omninò dubitationem hoc habeat, nomen Germanorum multò antiquius eſſe: quippe quod in Herodoto quoque reperiatur: vt propterea omninò exiſtimem, noſtros ex Oriente illud ſecum attuliſſe: ſicut nec Carmanorum nomen multùm ab hoc diſcrepat. Ezechiel Propheta *Thegorma* poſteros verſus Septentrionem collocat: à quo vt Germanorum nomen deriuem, facilè adducor: ſi prima duntaxat ſyllaba ab eo abſcindatur; id quod in Germanica noſtra lingua in peregrinis vocabulis frequentiſſimum eſt. Sic Græci ex Aſſyriorum nomine, Iuſtino teſte, nomen Syrorum fecerunt: & in Strabone leguntur nomina, Berones & Aones; quæ corrupta ſunt ab Iberi, & Iaones ſiue Iones: ſicut & hodie vſurpatur nomen *erania* pro Hiſpania.

II. Germani.

Germani à Thegarma.

Populos ſanè ab auis ſe denominaſſe, ſuprà pluribus demonſtrauimus: nec incredibile eſt, Moſen ex nepotibus Nohæ eos ſolùm no-

minate, qui proprias familias & gentes condiderunt: ſiquidem nemini dubium eſt, ipſius filios & nepotes plures liberos reliquiſſe. Quare cùm de nullo alio populo conſtat, cuius nomen ad Thogormæ nomen tantam cognationem habeat: in eam omninò concedimus ſententiam, Germanorum nomen ab illo deſcendere. Nam quod Ioſephus Phryges inde deducit, nulla nititur ratione: quorum originem ſuo loco demonſtrabimus.

Germani, peculiaris gens.

Germanos præterea ab exordio peculiarem gentem fuiſſe, quæ hoc nomen ſola retinuerit, ſed poſtea cum alijs quoque populis communicarit, ex iſtiuſmodi fortaſſe principio, quòd proximè fines ſuos cum Romanorum agris terminarint, omnino iudicamus. Nam vt ſupra monuimus, frequens eſt & vſitatum, vt ab vno populo multi denominentur: fieriq; potuiſſe arbitramur, Cimbros in Germaniam ipſos eſſe ſecutos: & cùm tã horũ, quã Teutonũ vires in bellis Romanis debilitatæ fuerint, ante alios prodijſſe, & inclareſcere cœpiſſe. In quanta enim exiſtimatione apud Romanos fuerint, ſatis oſtẽdunt ipſorũ hiſtoriæ. Imò & Cæſar ipſe aſſeuerat, Gallos in rebus bellicis neutiquã ſe cum Germanis cõparare auſos fuiſſe. Florus quoque auctor eſt, Cæſarem ipſorum auxilio victoriam contra Pompeium obtinuiſſe. Oroſij autem verba de graui & periculoſiſſimo Auguſti Cæſaris contra Germanos bello per totum triennium continuato, adſcribere hìc placet: Idem (inquit) continuo Germanos bello arripuit: è quibus 40000. captiuorum victor abduxit. Quod reuera bellum maximum & formidoloſiſſimum xv. legionibus per triennium geſtum eſt: nec ferè vllum maius bellum, ſicut Suetonius teſtatur, poſt Punicum fuit. Tiberius equidem, nouies ab Auguſto contra Germanos miſſus, in Taciti Annalibus profitetur, ſe magis conſilio, quàm vt & potentia contra ipſos profeciſſe: Sicambros aſtutia ſe circumueniſſe, vt ſe ipſi dederent: Sueuos item eorumq; regem Maroboduum, vt pacis conditiones à ſe acciperent: ſibi præterea perſuadet, poſteaquam Germanicus, qui tum Germanos oppugnabat, literiſq; ipſius domum reuocabatur, Romanos ſatis vltus ſit, nullo amplius bello opus eſſe, ſed hoc vno, vt Cheruſcos & alios rebelles Germanos in ſemetipſos concitet. Huc etiam ſpectat, quod Tacitus in Germania ſua narrat: Sexcenteſimum (inquit) & quadrageſimum annum vrbs noſtra agebat: cum primùm Cimbrorum audita ſunt arma: Cæcilio Metello & Papirio Carbone Coſſ. Ex quo ſi ád alterum Imp. Traiani conſulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur: tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi æui ſpacio multa inuicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hiſpaniæ, Galliæue, ne Parthi quidem ſæpiùs admonuere. Quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quàm cædem Craſſi, amiſſo & ipſo Pacoro, infra Ventidiũ deiectus Oriens, obiecerit? Præterea de Cæſaribus reperitur, eos plerunq; in ſuo ſatellitio habuiſſe Germanos: licet Galba hoc mutare fuerit conatus. Quid? quòd Romani in tot tamque varijs bellis nunquam Rhenum tranſcendere, ibiq; victoriam vllam reportare potuerunt: cuius ſanè rei certa documenta in Flori hiſtoria extant: ipſorumq; Germaniæ ... ſaltem in Gallia aut ad Rheni confluentem. Et quanquam Eutropius memorat, Auguſtum Cæſarem 40000. Germanorum in Galliam tranſportaſſe: Suetonius tamen id de Vbijs tantùm & Sicambris intelligit. Proprie au-

Germani in Germaniam venirunt.

Vſus nominis Germanorum.

priè autem Germanorum nomen ijs tribuitur, qui à Rheno vſque ad Pontum Euxinum, Danubio, Tanai, Viſtula, & Oceano circumſcribuntur: vt ita excludantur Rheti, Vindelici, Norici, item Getæ, Daci, Myſi &c. quanquam nullum dubium, hos ipſos quoque Germanici fuiſſe ſanguinis & originis; vt ſuprà indicauimus, Noricos à Celtis defluxiſſe. Hinc Strabo Getas, Myſos, Dacas, Thracibus annumerat: hinc & Herodotus Getas appellat ἀνδρειοτάτυς καὶ δικαιοτάτυς Θρηκῶν, hoc eſt, fortiſſimos & iuſtiſſimos Thracum. Liuius econtrà & Appianus Myſos vnà cum Dardanis, Triballis, Scordiſcis, Tauriſcis, Noricis, Rhenis, exiſtimat eſſe Illyrios: non aliter, ac Burgundi, Guthones, Baſtarnæ, Thyringetæ à Ptolemæo inter Sarmatas collocantur: & ab initio *Scytharum* nomen *Scytha.* generaliter ad noſtros tractum eſt; quemadmodum & propriè ad noſtros pertinet, & ex noſtra lingua deſumptum eſt. Putatur namque eſſe noſtrum Saxonicum Schutte. Hinc fortaſſis eſt, quòd Athenienſes magiſtratuum ſuorum miniſtros, Græcis τοξότας dictos, Scythas nominarunt, Suida teſte. Et quæ mutatio vſus huius nominis propriè inciderit, Plinius oſtendit his verbis: Scytharum nomen definit in Germanos & Sarmatas: nec alijs priſca illa durauit appellatio: quàm qui extremi gentium harum, ignoti propè cæteris mortalibus degunt. Hoc itaque in loco, vbi agitur, quomodo de noſtris nomina Celtarum & Germanorum vſurpata ſint, alia prætereà tria nomina, Thracum, Illyriorum, Scytharum coincidunt: quanquam addubitare nolo, Illyrios & Scythas, quoad originem & ſermonem, ab illis diſcernendos eſſe. Atque huc pertinet, quod Marcellinus Thraces omnes ὁμογλώττους fuiſſe negat. Deducunt autem *Thraces* à Thyras, Iapheti filio; vnde propriè fluuius Thyras nomen retinuit. *Thraces à Thyras.* Quanta verò initio potentia Thracum fuerit; de eo documenta hinc inde extant. Et ſanè, Troianos quoque Thraces fuiſſe videntur. Straboni ſiquidem Phryges ſunt Thraces: ipſumq́; Teucri nomen alteri Thyras valde affine eſt. Odryſarum præterea perquàm potens fuit regnum: de quo præter alios videatur Thucydides.

Quoniam autem Thraces adeò celebres fuerunt, & aliâs Græcis magis vicini; inde fieri potuit, ſub ipſorum nomine etiam populos aliquot Germanicos compræhenſos fuiſſe: & hæc ipſa cauſa eſſe poteſt, cur *Illyriorum* nomen noſtris attribuatur. *Illyrij.* Nam & hi aliquandiu potentia floruerunt: & tàm Macedonibus, quàm Romanis multum negotij faceſſerunt. De Scythis Plinius narrat, eos à Perſis cognominatos Sacas: *Scythæ.* *Sacæ.* quod præmemorata noſtra ſententia magis confirmat. Sacæ enim, à quibus Saxones antè deduximus, quoniam ipſis viciniores fuerunt; fortaſſe à Sacis reliquos Germanicos populos ita nominarūt, ſicuti Græci eandem ob cauſam Scythas. Hinc fortaſſe factum, quòd & Tranſſyluani ab Vngaris appellentur Saſæ. In hoc enim nullum omninò dubium, Scytharum nomine peculiarem quandam gentem vſam: & lubens ijs ſubſcribo, qui Scotos á Scythis deriuant. *Scoti à Scythis.* Et ſanè, quod veteres Scythas ἀνθρωποφάγους dixerunt: idem de Scotis D. Hieronymus aſſeuerat his verbis: Quid loquar de cæteris nationibus? cum ipſe adoleſcentulus viderim in Gallia Scotos, gentem Britannicam, humanis veſci carnibus; & cùm per ſyluas porcorum greges & armentorum pecudumq́; reperiant, paſtorum nates & fœminarum papillas ſolere abſcindere, & has ſolas ciborum delicias arbitrari.

Scythas autem Germanicè locutos fuiſſe, multa de eo extant documenta: ſicut & Plinius teſtatur, montem Caucaſum ab illis appellatum fuiſſe Graucaſum; quod interpretatur niuibus candicans, nempe à vocabulo Graw. Exiſtimarem præterea, nomen Chorſari, quo Scythæ Perſas appellant, eſſe Germanicum Köriſſer: Perſæ ſiquidem equitatu ſemper valuerunt, & in hunc vſque diem eam ob rem prædicantur. Retinuit autem Germanorum nomen hunc vſum, vſque ad mutationem à nouis populis in Germaniam, quam adhuc incolunt, factam; vbi nouorum nominum introductione, priſtina in deſuetudinem venerunt.

III. *ALEMANI.* Hinc Alemanorum nomen, quia Romanorum finibus viciniores fuerunt, alijs quoque Germanis attributum: atteſtante Vopiſco his verbis: Alemani ſunt, qui antea Germani. Quo nomine Germanos in hodiernum vſque diem appellant Itali & Galli: quod tamen in vernacula noſtra lingua planè obſoleuit: quod & de antiquiore iſto Germanorum comperimus: quemadmodum & in Gallia vſus nominis Celtarum ſiue Gallorum deſijt, & in ducatu Geldrenſi tantummodò manſit. Gallia namque tunc à Francis nouum Franciæ nomen, quod tamen ab initio aliquantò latiùs patuit, accepit: ſicut Burgundia à Burgundis, à Longobardis Lombardia; itemq; ſicut Britannia ab Anglis & Scotis, Anglia & Scotia; & Cimbrica Cherſoneſus à Danis Dania, ex conſtitutione Henrici Aucupis nominata eſt. De origine nominis Alemani illorum ſententiæ ſuffragamur, qui ab Alanis deriuant; ſed nec huic repugnamus, quod nonnulli Francos ab antiquis Germanis deducunt; nomenq; illud ab eis conſecutos cenſent, quòd libertatem ſuam contra nouorum populorum vim conſeruarint: eiuſmodi enim denotationem habet, tanquam à vocabulo Frey. In vernacula noſtra lingua nomen Deutſche

IV. Deutſche. de Germanis populis vſurpatur: de cuius origine meritò quæritur. Hoc ſanè multa probant documenta, longa conſuetudine fuiſſe multis ſeculis approbatum: ſicut & Tacitus nominis Tuiſconum meminit: teſtanturque Romanæ hiſtoriæ, Teutones vnà cum Cimbris Romanos oppugnaſſe; quo tempore rex ipſorum vocatur Teutobochus. De hoc itaque ita concludimus, ipſum poſt Aſcaniorum aduentum (nam quòd inde defluxerit, ſuprà oſtendimus) ſemper & præſertim apud Germanos populos, qui in Germania conſederunt, in perpetuo vſu fuiſſe: niſi quòd à peregrinando generali Celtarum nomini ſe incluſerunt: quod & Græci & Latini, vt dictum, de ijs vſurparunt: & quòd poſtmodùm Romani ipſis in ſpecie Germanorum nomen attribuerunt: quod tamen ante diximus, fuiſſe initiò peculiaris populi nomen. Nam in hoc caſu aliorum quoque populorum reperiuntur exempla: qui ſæpenumerò ab vno aliquo, qui inter ipſos potentia & auctoritate excelluit, generale nomen ſibi indiderunt. Et quoniam ſæpiùs dictum nomen, Deutſche, adeò frequens & quotidianum factum fuit in Germania; noui coloni libe[illegible]ius idipſum procul dubio retinuerunt & vſurparunt. Quemadmodum de Græcis quoque notum, quòd ab Eliza ἕλληνες ſe nominarint; cum tamen non omnes inde originem duxerint: ſicut & Romani de ijs hoc nomen nunquam vſurparunt: ſed, vt dictum, à Graijs Græcos ipſos nominarunt. Sic & Bohemi, Hiſpani, Itali, à veteribus incolis prouinciarum ſuarum nomen ſortiuntur: cùm tamen ab exordio eas alij populi incoluerunt. Et quid aliud inter eruditos hodie vſitatius eſt, quàm quòd veterum populo-

pulorum nomina de hodiernis incolis retinent? Nihil itaque ſententiæ noſtræ detrahit ſupra dicta auctorum diſtinctio, Myſos à Germanis ſeparantium, & inter Thraces referentium.

Et de vtriſque Myſis vtrumque verum relinquitur; quòd vt eiuſdem originis & nominis fuerunt, ita etiam eundem ſermonem vſurparint. Sanè, ſi nomina regum, quæ ex Myſis Triballi & Dardani vſurparunt, quis conſiderat: idem demonſtrabitur. Enimuerò ex regum & Principum nominibus de populorum origine aliquid certi poſſe concludi; ſuo exemplo probat Strabo: vbi ex nomine præfectorum Neapolis euidenter demonſtrat, Campanos Græcæ fuiſſe originis.

Vtriq; Myſi eiuſdem originis & ſermonis.

Et præterea cuiuis notum eſt, in Tranſſyluania, quæ priſcæ Myſorum ſedi valde vicina eſt, in hodiernum vſque diem linguam Germanicam manſiſſe; fortaſſe, vt mea fert opinio, quòd Myſorum quoque temporibus ea ibi in vſu fuerit. Nam quod nonnulli volunt, Carolum Magnum ex Saxonia nouos colonos illuc deduxiſſe, atque ita Germanicam linguam propagatam eſſe, omnino caret hiſtoriarum documentis: & magis veritati conſentaneum eſſe videtur, Tranſſyluanos Getarum & Dacorum reliquias eſſe, & per illas linguam Germanicam iis in oris conſeruatam. Strabo ſiquidem perſpicuis verbis teſtatur, Dacos & Getas ὁμογλώττους fuiſſe. Et ferme in eam item ſententiam, Terentium in Phormione idem propemodum teſtari voluiſſe; vbi introducit Dauum Getam vocare ſuum popularem. Neque verò ambigimus, ſeruilia iſta nomina Daui, Getæ, Myſis, à populis ὁμωνύμοις eſſe mutuata: ſicut & illud conſtat, Romanos ſeruos ſuos à prouincijs ſolitos nominare. Atque ita noſtri iſti populi ad Danubium Græcis ſatis diu noti fuerunt: à quibus etiam coloniæ ipſorum in Thracia multa perpeſſæ ſunt: de quo in ſequentibus agemus. Præter dictas autem cauſas ideo prolixiores in his eſſe voluimus: partim quia hoc ad ſufficientem refutationem eorum, qui fortaſſe ex hoc iudicio hoſce Myſos Henetis ſiue Vandalis annumerabūt: pertineat: ſiquidem nullum dubium, Græcos ex Henetis nonnullos inter Thraces collocaſſe, veluti Mædos, & Beſſos, è quibus hi Bosnenſium ſint auctores: partim verò, vt diligentiùs attendatur, qualis fuerit nominum populorum vſus apud veteres: ſiquidem id multum pariat errorum. Hoc enim nemo negabit, Græcos nomina Sarmatarum & Scytharum non vbique rectè diſcriminaſſe. Et quemadmodum Ptolemæus Hunnos, à quibus Hungaros deriuant, cum Sarmatis permiſcet: ita Græci quoque Turcas & Tartaros Scythis annumerarunt.

In Tranſſyluania à Dacis & Getis lingua Germanica manſit.

Dicendum nobis nunc eſt de rebus geſtis & mutationibus Myſorum: quamuis pauca admodum de ijs reperiantur, vt ſuprà quoque monuimus. Principiò autem Homerus illis tres inſignes virtutes adſcribit: iuſtitiam nimirum, temperantiam, & veritatem: vt copioſe ea narrat Strabo lib. 7. Ex quibus & illud obſeruandū, quòd ἀγχεμάχους eos appellat: epitheton hoc ita interpretans, Myſos bellatores quidem fuiſſe, pacificè tamen domi inuicem vixiſſe, & terras ſuas contra externam vim fortiter propugnaſſe. Præter hæc de Getis quoque & Thracibus, ſub quibus etiam Myſos comprehendit, teſtatur, odiſſe eos πολυγαμίαν.

Res geſtæ Myſorum.

Eſtq;

Eſtq; adhuc ex Homero colligendum, ſubſidia eos miſiſſe Troianis contra Græcos: atque ita Rheſum, qui Thraces in Aſiam miſit, Myſum fortaſſe aut Myſorum regem fuiſſe: quò Euripides propriè inclinare videtur. Nomen enim Germanicam deriuationem redolet vocabuli Rieſe/ quod Saxones Ryſe pronunciant. Hunc Rheſum Poëtæ fabulantur filium fuiſſe Muſæ Terpſichoræ: idque procul dubio non abſque ratione. Strabo ſanè vetuſtiſſimos Poëtas, nempe Ephorū, Orpheum, Muſæum, Thamyrin, Thraces fuiſſe aſſeuerat: itemque regionem Pieriam & montem Olympum antea ad Thraciam pertinuiſſe; Helicona deniq; montem Bœotiæ à Thracibus conſecratum eſſe Muſis. Quapropter omnino ſtatuerem, originem huius fabulæ promanaſſe à Rheſi natiuitate, qui fortaſſe liberalibus artibus imbutus fuerit: ſiquidem Pauſanias quoque de Thracibus teſtatur, ingenioſiores eos & acutiores fuiſſe Macedonibus. In Herodoto peculiariter narratur, Bithynos à Myſis ex Tracia eſſe eiectos: quem locum de his Myſis propriè intelligimus: quoniā antea ſatis probauimus, Myſos ex Aſia in Europam, non autem ex Europa in Aſiam migraſſe. Ab hinc porrò per multa ſecula nulla ampliùs eorum fit mentio: quod præter dictas cauſas inde accidiſſe exiſtimamus: quod non ſolùm à Getis & Dardanis fuerunt eneruati: verùm etiam ſemetipſos in nouos populos & nomina ſepararunt: cuius rei ſuprà ex Strabone meminimus: & præter hæc idem, vt & Ptolemæus, ſub Myſis aliquot adhuc peregrinorum populorum nomina recenſet: vt coniectura non careat, nouas ſimul dominationes inter ipſos extitiſſe; indeq; eſſe, quòd nulla apud hiſtoricos generalis de ipſis mentio fiat. Quanquam hoc non negamus, quod Strabo probat, Græcos Getarum nomen Myſis quoque attribuiſſe: Noſtris (inquit) annis Aelius Catus è regione Tranſiſtrana quinquaginta Getarum millia in Thraciam habitatura traduxit. Quæ gens eadem, qua Thraces, vtitur lingua: qui hac etiam ætate ibidem habitant, Myſique vocitantur, videlicet quia & priùs eo nuncupabantur nomine.

Bithyni ex Thracia eiecti.

Myſi diuidunt ſe in nouos populos & noua nomina.

Separatas igitur de Myſis narrationes in medium afferemus & quoniam ex ipſis potiſſimùm commemorantur Triballi & Myſi, qui hoc nomen adhuc in ſpecie retinent, vt ex Ptolemæo patet, & ſimilia aliorum populorum exempla extant: quid de eis proditum ſit, breuiter indicabimus: eo tamen ſeruato ordine, prout inſignior potentia apud ipſos fuit, & vt Dardanos cum ipſis coniungamus: quemadmodum communem ipſorum originem in præcedentibus ſatis demonſtrauimus.

Myſorum populi præcipui.

I. Triballi. Triballos autem à principio celebriores ex his fuiſſe reperimus. Et vt de nomine quoque ipſorum aliquid afferamus, exiſtimamus id noſtrum Germanicum eſſe Trewwallen · qualiſcunque illius cauſa fuerit: quanquam & hæc etymologia locum habere poterit, ſi quis à Treribus velit deriuare: vt idem ſit, ac Trerenwallen: niſi quòd Treres alius fuerunt originis: quippe quos Thucydides in vicinia Triballorum collocat. Arrianus auctor eſt, Macedonum ante Philippi Amyntæ regnum cum Triballis, ipſorumq; finitimis Thracibus & Illyrijs, continua fuiſſe bella: ex quibus tamen primum, quod nomine exprimitur, eſt expeditio illa, ductu & auſpicijs Sithaleis Odryſarum Regis contra Perdiccam II. ſuſcepta: de qua Thucydides lib. 2. vbi eos ſimul aſſeuerat liberum & immunem

munem fuiſſe populum; quam ob rem fortaſſe ipſemetSithalces eos oppugnauit, haud tamen auſpicatò: quippe qui victoria ea amiſſa, præ animi mœrore extinctus legitur. Amyntę II. temporibus, commeatuum penuria compulſi Triballi, in Thraciam irruptionem facientes, Abderitas inprimis infeſtarunt: cumque poſt binos conflictus adepta victoria, ipſam quoque Abderam obſiderent; à Chabria repulſi ſunt. Cum Philippo exinde, ex Scythica expeditione domum regrediente, prædæ ſeu ſpoliorum gratia manus conſeruerunt. Horum namque partem cùm ipſis denegaret: iter ipſi intercludentes, vi conati ſunt ea extorquere: prælioque feliciter dimicantes, tantam victoriam obtinuerunt: vt Philippus grauiter ſaucius, ſpolijs omnibus amiſſis, vix fuga ex manibus illorum elaberetur. Poſtmodò ſimiliter aduerſus Alexandrum Magnum mouerunt: quo tempore rex ipſorum nominatur Syrmus; quod nomen exiſtimant eſſe Germanicum Schirm. Quanquam autem conatibus ipſorum tunc fortuna non ęqualiter reſpondit: Alexander tamen vt indicaret, quanti faceret ipſorum virtutem, eos contra Perſas ſtipendio conduxit. Gallis in Macedoniam & Græciam irruptionem facientibus, Triballi ſimul bello petiti & victi ſunt. Quare exinde ab armis quieuerunt: donec Philippus vltimus Triballorum opera Romanis bellum inferret: qui tamen paulo pòſt Romanis reconciliati, ipſis in oppugnando Antiocho Magno & Galatis, Liuio teſte, præſtò fuerunt: quæ tamen amicitia nęc ipſa firma fuit. Eodem enim tempore, quo C. Marius Iugurtham debellauit, manus cum Minutio Rufo Proconſule magna ſuorum clade conſeruerunt: quo fortaſſe tempore potentia ipſorum deſijt. Nam ab hinc nulla amplius de illis narratio extat: fortaſſe quia Dardanii viribus auctis, Triballos in hoc bello domitos, prorſus oppreſſerunt: quanquam Strabo illud Auriatis Illyrijs attribuit. Et refert Appianus, illorum vires tunc ita fuiſſe fractas & attenuatas, vt & nomen ipſorum ferè interierit. Strabo ſanè alibi planum facit, Germanicos populos ad Danubium primùm ſibi inuicem arma intuliſſe, deinde cum finitimis colluctatos eſſe, & tandem cum Romanis multis prælijs contendiſſe.

A Triballis itaque præcipua Myſorum potentia ad Dardanos peruenit: *2. Dardani* quanquã eos vel ante hæc tempora potentia floruiſſe, hiſtorici nõ leuib. documentis oſtendunt. Nam Plutarcho teſte, à Parmenione, Philippi Amyntæ duce bellico, fuſi fugatiq; ſunt circa tempus natalis Alexandri Magni. Cumq; Galli Ptolemæo κεραυνῷ bellum inferrent: huic auxilium ſuum pro certo ſtipendio obtulerunt: quod tamen non acceptatum eſt. Demetrio II. rerum potito, cum Illyrijs bellum geſſere: quod Macedoniã deinde tranſtulerunt: quo tempore, Liuio atteſtante, rex ipſorum nominatur Langarus Hæc ipſorum contra Macedones hoſtilitas durauit vsq; ad Antigonum Doſonem: qui ipſos tandem placauit. Et quod Philippus penultimus Macedoniæ rex bella ſua contra Romanos haud ita feliciter confecerit, præcipuo ipſi impedimento fuerunt Dardani. Quare omnino ſibi propoſuerat, illos funditus extirpare: quam ad rem Baſtarnas, populos Germanicos, conduxit: vt pluribus hæc Liuius narrat lib. 10. dec. 4. vbi porrò aſſerit eos à Perſeo Philippi F. eſſe oppugnatos: quo tempore ipſorum rex nominatur Hononus: cuius filia Etuta Regi Gentio in Illyrico fuit nupta. Nomen autem Etuta arbitramur eſſe Saxonicum Editha, Hethute / cuſtodia patris. Vocabulum enim Hete in

priſca lingua Germanica ſignificat patrem: vnde nomina illa Hederich/
Hedwig/Edward/Etel/Adolff/Hatto &c.manarunt. Poſteaquam autem
Romani Macedoniam occuparunt, Dardani ſæpenumero limites præ-
tergreſſi,multas irruptiones fecerunt:quod ex Flori hiſtoria paſſim ani-
maduertitur: quanquā communenomen Thracum de ijs retinet: econ-
trà verò Eutropius aliquanto dilucidiùs illa memorat, in hiſtorijs illis ex-
primens Dardanorum & Myſorum nomina. In Appiani Illyrico vi-
dere licet, eos vnà cum Medis in Græciam irrupiſſe, & templa inprimis
diripuiſſe. Hinc cùm L.Scipio,pecunia accepta fœdus cum illis inijſſet: ex
iuſta Dei vindicta bella Romanorum ciuilia enata creduntur: vnde fœ-
dere illo dirempto,C.Scribonius Curio A.V.679. bello ipſos aggreſſus,
victoria parta manus ipſis præſcidit,Ammiano teſte: quo tamen parum
profecit;nec,quod potiſſimùm quæſiuerat,eos pacare potuit. Nam hoc
ipſo magis exacerbati,ſucceſſores ipſius bello petierunt,minùs tamen fe-
liciter: quod tamen ita poſtmodum vlti ſunt,vt C.Antonio, Ciceronis in
conſulatu collega,victo,ſigna militaria eriperent. Bello ciuili inter Cę-
ſarem & Pompeium,Pompeio ſuppetias tulerunt. Antonium denique
Triumuirum poſt pugnam Philippenſem exercitum contra ipſos miſiſ-
ſe, teſtatur Appianus, fortaſſè propter nouas irruptiones, quas in Mace-
doniam fecerunt: quippe quam, Plinio teſte, ſæpe multumque bello in-
feſtarunt. Quanquam apparet, potentiam illorum poſt cladem a Cu-
rione acceptam quotidie magis magisq; debilitatam eſſe; & fortaſſe Myſi
non ſiuerunt eos reſpirare;atque ita ſummam potentiam ad ſe traxerunt.
3\. *Myſi.* Tertia itaque hęc eſt mutatio,quę apud Myſos ad Danubium ob domi-
nationem accidit: qua inprimis nomen quoque illorum rurſus inclare-
ſcere cępit. Videntur autem Myſi antea Dardanis adhæſiſſe: ſicut & mo-
dò indicauimus, eos ad irruptiones illorum in Macedoniam multum
adiumenti tuliſſe: quapropter & ipſi à Curione ſimul armis petiti fue-
runt,atteſtante Appiano in Illyrico: quo tempore ex Romanis ducibus
Curio primus ad Iſtrum acceſſit, vt Sex. Rufus refert. Curionis ſucceſſor in
Macedonia M.Lucullus vires quidem ſuas in Myſis & ipſe expertus,nihil
amplius profecit, niſi quod terras ipſorum diripuit. Quanquā ex hiſtorijs
colligitur,eos exinde quieuiſſe vsq; ad imperium Auguſti Cæſaris;vbi M.
Craſſus iterum in illos profectus, victoria parta, maximā illorum partem
Imperio Romano ſubiecit. quod pulcrè cum omnib. circumſtantijs de-
ſcribit Dion lib.5.Cuius & Florus meminit: vbi preterea dilucidiùs expo-
nit,qua aſtutia á Romanis ſint debellati: cuius verba adſcribemus, vt in-
de & cæteris ex hiſtorijs ſimul perſpiciatur, conſilijs potius & omnis ge-
neris aſtu, quàm vi & fortitudine Romanos victorias ſuas obtinuiſſe. Sic
ergo Florus: Myſi (inquit) quàm feri, quàm truces fuerint, quàm ipſo-
rum etiam Barbarorum barbariſſimi, horribile dictu eſt. Vnus ducum
ante aciem, poſtulato ſilentio: Qui vos, inquit, eſtis? Reſponſum inui-
cem: Romani,gentium domini. Et illi: Ita (inquiunt) fiet,ſi nos viceritis.
Accepit omen M.Craſſus. Illi ſtatim ante aciem immolato equo, conce-
pere votum, vt cæſorum ducum extis & litarent & veſcerentur. Deos
audiſſe crediderim: nec tubam ſuſtinere potuerunt. Non minimum ter-
rorem incuſſit Barbaris Conidius Centurio,ſatis Barbaris efficacis,tamen
apud pares homines ſtoliditatis. Qui focum gerens ſuper caſſidem, ſu-
ſcitatam motu corporis flammam veluti ardente capite fundebat. Hacte-
nus Florus. Sed nec hoc bello Myſi adeo fracti & debilitati ſunt,vt priſtinā

inter

inter ipſos conſeruatam libertatem rurſus non expeterent atque aucuparentur: præſertim cùm à Romanis non ſufficiens illis obtingeret tutela & defenſio: quemadmodum Suetonius memorat, Dacos & Sarmatas, Tiberio Cæſare imperante, in Myſiam irruptionem feciſſe; quam non admodum curauerit, ſed impunè hoſtes direptionem exercere ſiuerit. Ad hæc exercitus quoque Romanus varias turbas apud illos mouit: de quibus Tacitus & alij videantur: vt ita veriſimile ſit, illos in omnem cogitationem incubuiſſe, vt externæ dominationis iugo excuſſo, in libertatem iterum ſe vindicarent: quam etiam nonnulli recuperarunt, vt ex Dione colligitur: nec vnquam alioqui Romani noſtros populos ita debellarunt, vt in obſequiò illorum manerent: licet plurimas de illis victorias obtinuerint. Sed & vicinorum populorum exemplum calcar ipſis addere potuit: qui in tot bellis nihilominus ſuam libertatem defenderunt. Enimuerò ſupra dicti Daci, licet à Traiano Imp. victi, & Romano Imperio ſubiugati, paulò pòſt tantas moleſtias intulerunt Romanis: vt Hadrianus prouinciam ipſorum relinqueret: & Aurelianus Daciam in Myſiam transferret. Ex quibus colligitur, Myſos quoque ad hæc non prorſus quieuiſſe. Capitolinus ſanè teſtatur, ſub Maximi & Balbini Imperio Romanos contra ipſos pugnaſſe. Ex quibus omnibus ita iudicamus, multa quidem eos contra Romanos molitos fuiſſe: ſed quia horum poteſtas apud ipſos ſatis firmos radices egerit, vt de libertate recuperanda deſperarent, ſedes tandem illas deſeruiſſe: & quanquam, quo pacto & quando hoc in actum deductum fuerit, nihil certi proditum ſit: eò tamẽ magis inclinamus, ſtatim id ſecutum eſſe diſceſſum finitimorum populorum: cuius principium quidam collocant circa A. C. 200. ſtatim poſt Antoninorum imperium. Nam ante hæc tempora Getæ, Tyringetæ, Daci, Alani, & alij, inter populos Germanos non nominantur. Fieriq́ue potuit, Myſis vnà cum Tyringetis ſiue Turingis (quæ nomina vnius eiuſdemq; ſunt populi: eſtq; Tyringetarum nomen idem, quod Getarum ſiue Gothorum ad Thyræ confluentem conſidentium: ſicut Thyſſagetarũ nomen denotat Getas ad Thyſſam conſidentes: vbi nec hoc dubium, Gotham Turingorum à Gothis eſſe denominatam) ad migrationem illam ſe accinxiſſe: & poſt multa pericula ac peregrinationes vnà cum illis in has oras perueniſſe, quas in hodiernũ vsq; diem vniuerſi poſſident. Nam vt hodie finitimas, ita olim non longè diſſitas tenuêre ſedes. Quod autem Alanorum ſiue Alemanorum, Gothorum, & Saxonum, in hiſtoria Romana tempeſtiuior fiat mentio, tanquam incolarum Germaniæ arbitramur præter ſedium ſitum, inde quoq; accidiſſe, quòd maturiùs ante Myſorum & Tyringetarum aduentum in Germania conſederint. Ab hoc igitur tempore Myſi Germaniæ incolæ facti ſunt: quæ quarta ipſorum ſedes poteſt numerari: à quibus in poſterum, iuxta inſtitutum noſtrum, nomen Miſnenſium, vtpote conſuetudine nunc receptum, retinebimus. Sciendum tamen eſt, has Miſnenſium ſedes olim inhabitaſſe Hermunduros: qui Miſnenſibus fortaſſe ad reſiſtendum impares, has oras reliquerunt: & cum vicinis ſuis Nariſcis, qui Voitlandiam tenuerunt, Boijs, in Bohemia qui conſederunt (ſicut regio hæc ab ijs nomen retinuit) & fortaſſe à Vandalis, qui lingua ſua Czechi, à Germanis autem à nomine veterum incolarum Bohemi vocantur, expulſi ſunt, ſe aſſociarunt, & cum illis in Bauariam commigrarunt.

Myſi quærunt libertatem.

Myſi cum Turingis in Germaniam commigrant.

4. Miſnenſes.

Quanquam Capitolinus refert, in magna illa Quadorum & Marcomanorum expeditione contra Imp. M. Antoninum Philoſophum, vtroſque Hermunduros & Nariſcos interfuiſſe: vt idcircò exiſtimemus, tunc cœpiſſe ipſorum diſceſſum & profectionem. Quòd ſi quis fortè exiſtimet, nos in hoc concludendo audaciores & prolixiores fuiſſe, præſertim cùm nulla certa documenta apud auctores extent: ſciat, nos niti ſupra adductis fundamentis: vbi inter alia ſatis euicimus, Myſos ad Danubium Germanica lingua vſos: & quoniam illis ea etiamnum familiaris eſt; &, vt modò dictum, Turingi quoque ad illorum confinia conſederunt; & præter hæc omnia ad hanc migrationem tot & tam euidentes cauſæ atque occaſiones anſam illis præbuerunt: veriſimile apparet, tantas ſedium mutationes apud illos accidiſſe. Sanè aliàs quoque negari non poteſt, hodie Germaniam maxima ex parte plures alios incolere populos, quàm veteres Geographi nominarunt. Neque obſtat, quod Ditmarus Præſul, qui tempore Henrici Aucupis vixit, affert; Miſniam tùm temporis Thaleminciam dictam, à Slauis ſiue Vandalis Lummaciam eſſe nuncupatam: ſicuti animaduerto, multos eò inclinare, quaſi nomen Miſnenſium huius oræ in Germania non à Myſis, ſed ab vrbe Miſna, vbi poſtea & Marchionatus & Epiſcopatus eſt fundatus; vrbis autem ipſius à fluuio Septentrionem verſus eam præterlabente, deſcenderit. Etenim ſi quis hæc probè examinet, nequaquam aduerſari noſtræ ſententiæ deprahendet. Quanquam libenter concedimus, Miſniam aliter à Vandalis, aliter à Germanis eſſe vocitatam: ſicuti accidere videmus, vt regiones à nouis populis noua interdum nomina accipiant: cuius rei, inter alia plura exempla, euidens exhibet documentum Sueuiæ nomen, ſub Saxonicis Imp. receptum: cùm antea prouincia illa ab Alemannis nomen ſortita fuerit, vt ſuprà meminimus. Et adhuc hodie videre eſt in alijs pluribus regionibus, eas à diuerſis populis diuerſis appellari nominibus: cuius rei plura exempla afferre ſuperuacaneum eſt. Et etſi hoc quoq; damus, vrbem Miſnam à fluuio nomen traxiſſe: fluuium tamen ipſum à Myſis denominatum eſſe nemo ambiget: quemadmodum à Myſis quoque Aſiaticis fluuius eius oræ Myſij nomen retinuit: cuiuſmodi exempla plura paſſim apud auctores extant; & in ſpecie de noſtris Aſcanijs, Caycis, Sueuis videmus. Et vt ſimpliciter ſententiam noſtram de hoc portò aperiamus: aliam præterea ipſius originem habemus nullam; niſi quis in Vandalica aut Slauonica lingua eam quærat. Nec ſtatim propterea ſequitur, Myſos in Miſnia non conſediſſe, aut ab his Miſnenſes eſſe oriundos, aut deniq; regionem ipſam ab ijsdem denominatam; quòd temporibus Henrici Aucupis nomen hoc nondum fuerit in vſu: ſicut nec hoc ſequitur, ſi quis negare velit, nec Tranſſyluanos à Gothis & Dacis, nec Heluetios ab Alemanis promanaſſe; quòd illa nomina de ijs hodie non vſurpentur. Quemadmodum indoctos quosdam & imperitos experimur VVeſtphalos à Saxonibus ſeparare: quòd nomen hoc ab illis non vſurpetur: cùm tamen ex hiſtorijs conſtat, Saxonum nomen non ſolùm Caroli Magni ætate, ſed quoq; diu pòſt, vsq; ad tempora Friderici Barbaroſſæ, vbi Principatũ VVeſtphaliç & Angariæ Colonienſis Archiepiſcopus, Henrico Leoni ereptũ, à Saxonia auulſit; vnde in hodiernũ vsq; diem veteris ducatus Saxonici inſignibus, albo nimirũ equo vtitur (vnde fortaſſe cum illa

Germania ab alijs populis habitatur, quam Romanorum temporibus.

Alia quorundam Miſniæ deriuatio.

VVeſtualos eſſe Saxones

mutatione

mutatione dominatus, diſſidium, quod inter Saxones & VVeſtphalos animaduertitur, ſimul exortum) VVeſtphalis quoque attributum fuiſſe. *VVeſtualorum nominis deriuatio* Hoc autem VVeſtphalorum nomen manſit ex veteri diuiſione, qua Saxones iuxta Veteræ curſum ſemetipſos diſcriminarunt. Nam qui ab Albi ad Veſeram vſque conſedêre, Oſtvalos ſe ſua lingua nominarunt; reliqui, qui exinde ad Rhenum vſque ſe dilatarunt, VVeſtvalos. Cuiuſmodi diſcrimen alijs quoq; Germanicis populis frequens fuit; præcipuéque Francis & Gothis; qui in Orientales & Occidentales Francos & Gothos diuiſi erant: & hodie adhuc Friſij à Veſera in Orientales & Occidentales ſe diuidunt. Quanquam tamen inter horum populorum & Saxonum diuiſionem hoc intereſt: quòd Saxones illam deſumſerint non à ſuo nomine, ſed à peregrinando & migrando, quod in Germanica lingua eſt Wallen: vt ita nomina Oſtvalorum & VVeſtvalorum nihil aliud ſint, quàm Wallen, qui verſus Ortum & Occaſum conſederunt: quemadmodum veteres quoque incolæ huius oræ in Germania, vernacula ſua lingua ſe nominarunt Weſtwohner; vnde defluxit corruptum illud Latinorum Iſteuones. Sicut autem Oſtvali deinceps, nomine illo repudiato, commune Saxonum nomen vſurparunt: ita viciſſim apud VVeſtualos Saxonum nomen venit in deſuetudinem, retento peculiari VVeſtphalorum: quod ipſimet tamen iuxta conſuetudinem tàm ſuæ quàm veteris Francæ linguæ pronunciant Weſtuelinge. Hanc enim terminationem Jngk/ Francis quoque fuiſſe vſitatam; præter alia oſtendunt vetera ipſorum nomina, Merouingi, Carolingi, Lotharingi, Salingi; à quo poſtremo etiamnum nuncupatur ſylua quædam der Salings & Salingoſtadium ciuitas ad Mœnum.

Et, vt mea quidem fert ſententia, Francorum quoque nomen non *Origo nominis Francorum.* coaluit ex vocabulis Frey vnd Ancke: vt liberos homines, ſiue liberos ruſticos (vocabulum enim Ancke in vetere Germanica lingua hanc notationem habet, & adhuc à ruſticis ita vſurpatur) ſignificaret: ſed deriuatur à ſolo vocabulo Frey/ quòd illi terminatione ſua Jngk extenderunt, & enunciarunt Freyincke/ vnde iuxta conſuetudinem ipſorum Diphthongo ai, addita ſyncope, manſit nomen Francke: quod pluribus monet Franciſchinus Curtius I C. in tractatu de Feudis: & Baldus quoque ita interpretatur. Hinc & Villam Francham Sabaudiæ ciuitatem denominatam eſſe exiſtimamus: vt ſignificet villam liberam: fortaſſe, quod ab initio villa fuerit: cuiuſmodi quiddam de Mediolano quoque apud Strabonem videre eſt. Liuius quendam ex Allobrogum ducibus nominat Branchum: quod nomen eſt Germanicum Francke: vnde apparet, veteri ipſum conſuetudine apud noſtros fuiſſe receptum: ſicut & Strabo nominat βρέγχυς, vnde nonnulli Francos deriuant. Quòd ſi cui fortaſſis hæc non ſufficiant; doceat quæſo, quomodo Myſi in Europa, quos numeroſiſſimum fuiſſe populum conſtat, ita funditus fuerint extirpati, aut nomen ipſorum ad Danubium penitùs ſublatum? quid item propriè eos impedierit, quò minùs occaſionem illam, è Romanorum iugo ſe eximendi, non acceptarent? Perſtat igitur ſententia noſtra, originem tam populi quam nominis Miſnenſium eſſe à Myſis: cumque *Origo Miſnenſium à Myſis.* nomen ipſum penitus iam oppreſſum eſſet, ab vrbe denuò ad regionem & populum promanaſſe. Quemadmodum de Moſcouia quoque notum, nomen illud à fluuio Moſca ad vrbem, indeque ad regionem proueniſſe:

ueniſſe: fluuium verò ipſum à Moſchis, qui ad eas oras ex Oriente, vbi veteres Geographi eos nominant, migrarunt: cumque ho[c] ipſum quoque nomen à Rhoxanis, vt Strabo eos nominat, ſiue Ruſſis eſſet oppreſſum; ab vrbe denuò ad regionem defluxiſſe: duo ſiquidem iſta nomina, Moſchorum & Ruthenorum ſiue Ruſſorum indifferenter de incolis iſtis vſurpantur. Quod autem ab vrbe Miſna nomen hoc ad totam regionem defluxerit; factum eſt occaſione Marchionatus, quem Henricus Auceps ibi erexit: de quo poſtea pluribus agemus. Arbitramur item, ex ſimili initio nomen Lummaciæ, cuius ſuprà meminimus, ortum; fortaſſe ab oppido Lummitſch/ quod aliquando Vandalorum metropolis huius oræ fuerit: ipſa ſiquidem pronunciatio non multùm diſcrepat: fieriq́ue potuit, ciuitatem eam à profundis vijs, quæ ibi conſpiciuntur, id nominis accepiſſe, nempe à Slavonico vocabulo *Lummati*; quod eſt rumpere ſiue frangere: ſicut & Rochlitium à rupturis & locis cauernoſis quidam denominatum volunt. Porrò de varijs Miſnenſium in hiſ oris caſibus, eorumque Repub. & rebus geſtis, nihil proditum eſt: cuius præter alias cauſas non minima hæc eſt: quòd à Romanorum finibus longiùs diſſiti, belli quoque aleam cum ipſis tentare noluerint, veterum cladium acceptarum memores: vel etiam quòd, vt antea Getæ ad Danubium celebriores fuerunt, & idcircò nomen ipſorum etiam Myſis fuit attributum; ita in his oris Turingi cùm potentia tum auctoritate eos longè ſuperarint: & idcirco nomine illorum Myſi quoque denotati fuerint: de cuius vſu ſuprà meminimus: & adhuc hodie videmus, multos ſępenumerò populos ab altero, qui ipſis vel imperat, vel in maiore auctoritate & fama eſt, denominari: de quo ſæpiùs iam

Turingorum regnū in Germania.

dictum. Turingos namque potentia creuiſſe & floruiſſe, vel hinc patet: quod peculiare regnum conſeruarunt vsque ad Hermenfridum, à Theodorico Metenſium Rege in pugna cæſum A. C. 522. à quo tempore Francis parere coacti ſunt.

Miſnenſes à Vandalis oppreſſi.

Illud tamen comperimus, Miſniam à Vandalis eſſe bello petitam, occupatam, & ſatis longo tempore habitatam. Hi namque populi, perinde ac Sarmatę, ſemper Germanis populis fuerunt finitimi, nonnunquam etiam iiſdem permiſti: & quoquo verſum ſeſe noſtri verterunt, illos protinus inſecuti, vacuas illas regiones & ſedes, à noſtris relictas, occuparunt: & peculiaria regna & dominatus condiderunt. Quo autem tempore Vandali in Miſniam venerint, dictu difficile eſt: illorumq́ue idcircò ſententiam reijcimus, aſſeuerantium, eos vnà cum alijs Slavis (hoc enim nomen Vandalicis & Sarmaticis populis generaliter tribuitur) circa tempora Heraclij, ſiue A. C. 600. in Germaniam & Romanorum prouincias primùm aduenisse.

Vandali dicuntur Slavi.

In hoc verò conſentiunt auctores, hos Vandalos in Miſnia peculiare Soraborum nomen habuiſſe: [cui]us deriuatio á Serbis, quorum Ptolemæus meminit ſub Sarmaticis populis in Aſia, nobis non diſplicet. Eſt enim veriſimile, ſenſim eos Occidentem verſus longiùs progreſſos: & quoniam præterea Sarmatę ad Danubium non longè à Myſis conſederunt; & in horum regionem, vt ſuprà monuimus, ſub Imperio Tiberij Cæſaris irruptionem fecerunt, grauiterq́ue moleſtarunt; Serbi quoque Myſis ſenſim propinquiores eſſe facti, eoſdemque in Germaniam migrantes inſecuti videntur: vbi ſucceſſus cognatorum ſuorum erga Myſos

animaduer-

animaduertentes, procul dubio eoſdem bellis petitos defatigarunt, donec regionem ipſorum occuparent.

Nam quæ alioqui huius populi fuerit potentia, ſatis oſtendit, quòd præter Miſnenſes ſuperiorem Luſatiam, & totum illum tractum vſque ad Albim & Salam poſſederunt: & ex his oris, alijs quoque populis Germanicis, Francis nimirum, Saxonibus, Turingis, multa damna & incommoda intulerunt. Quanquam deinceps à noſtris ſenſim rurſus debilitati ſunt, donec tandem Henricus Auceps Imp. penitus eos opprimeret, & tam Miſniam quàm Luſatiam Romano Imperio adijceret. A quo tempore nomen quoque illorum in his oris magis magiſque decreſcere & obſoleſcere cœpit; adeo vt hodie prẹter paucas ciuitates, cuiusmodi ſunt Serueſtum, Sorbecca, Sorauia, penes Vandalos duntaxat, qui in Luſatia adhuc habitant, romanſerit: quippe qui ſua vernacula lingua Serbos ſe nominant: vt omninò exiſtimem, Seruios quoque in Myſia, quorum nomen non multum ab hoc diſcrepat, inde vocitatos, & Serborum partem fuiſſe; fortaſſis, quòd in propinquorum ſuorum diſceſſu ab Iſtro, illic remanſerint: ſicuti eiusmodi diuiſio & ſeparatio antiquitus fuit frequentiſſima. Suntque ita in dicta Soraborum ſede in Germania partim vetera partim noua nomina vſu recepta. Nam vt de Miſna ſolummodò dicam: Miſnenſium nomen inde acceptatum & approbatum eſt: idque, vt dictum, ob Marchionatum contra finitimos populos, Vandalos nimirum, Bohemos, Sileſios, Polonos, ab Henrico Aucupe Imp. erectum: vt ita irruptionibus illorum in Romanum Imperium eo in loco reſiſteretur. Marchionatus namque in Imperio eiusmodi initium habuiſſe, & hoc initiò Marchionum munus fuiſſe; præter veteres hiſtorias teſtatur nomen ipſum: cuius deriuatio eſt à vocabulo Marck/quod in priſca lingua Germanica ſignificat fines ſiue limites: vnde adhuc dicimus, ein Marckſtein. Eſtque vocabulum Marchia nequaquam à Græco νομαρχία, abſciſſa prima ſyllaba; ſed à Germanico Marck deductum: vt idcircò Marchia ſignificet prẹfecturam limitis; Marchio verò rectorem ſiue gubernatorem eiusmodi præfecturæ: tanquam ab antiquo Germanico Graffe/ quod denotat præſidem ſiue iudicem: vt hoc ex nominibus iſtis, Gograffe/ Freygraffe/ Centgraffe/ Saltzgraffe/ Holtzgraffe/ quæ primum vſum retinent, colligitur. Qualis autem portò ſtatus fuerit poſt illam mutationem, & abrogationẽ dominatus Vandalici in Miſnia; & præcipuè quomodo Marchiones, quibus hoc officium & dignitatem Henricus Auceps demandauit (primus autem dignitatem hanc geſſit vnus ex agnatis ipſius) eo perfuncti fuerint; quomodo denique alter alteri ſucceſſerit: de eo ipſæ conſulantur hiſtoriæ.

Sorabi Romano Imperio ſubijciuntur.

Seruij pars Serborum.

Miſnenſium nomen receptum.

Origo Marchionatus in Imperio Romano.

Marchia vnde deriuetur.

Vnicum hoc de Marchionibus ſilentio hîc prẹtereundum non eſt: ex ipſis Echatdum principiò ab Othone II. Imp. Miſniam hẹreditariè poſſediſſe, poſtquam Bohemos, qui eam occuparant, inde eiecit: quanquam tamen poſteri ipſius non diu eam retinuerunt: Etenim non multò pòſt VVethini & Soibeccæ Domini, originem ſuam trahentes à VVitekindo Duce Angariæ & VVeſtphaliæ, poſtremo Saxonum Rege, eam in feudum acceperunt.

PHILIPPI MELANTHONIS ORATIO DE REGIONE ET GENTE MYSORVM, RECITATA A DOCTORE IOANNE HOMILIO.

CVM HVNC HONESTISSIMVM *Gratiarum*
cœtum intuens, anni ſuperioris terribiles & pa- *actio.*
nicos motus recordor, toto pectore gratias ago
Filio Dei, Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt
cuſtos & vmbraculum Eccleſiæ, quòd clemen-
ter his regionibus pacem tribuit, & Academi-
am & hæc doctrinæ ſtudia non deleri ſinit: ac ar-
dentibus votis eum oro, vt deinceps quoque nos
protegat & gubernet. Honeſtiſſima verò con-
ſuetudo eſt, in his congreſſibus aliquid dicere, quod diſcentium ſtudijs
& moribus proſit. Ac optarim has partes dicendi attributas eſſe homini
facundo & erudito, qui plus & facultatis & authoritatis in hunc locum
adferret. Scitis enim me hominem Geometram, in alio doctrinæ genere
verſari. Sed quia graui conſilio pluribus hic dicendi locus tribuitur, & me
iuſtum eſt legibus obtemperare: peto vt ſicut conſueuiſtis, pro veſtra co-
mitate, me patienter audiatis. Ego etiam conſcius mihi infirmitatis meæ,
argumentum elegi, cuius cogitationem ſciebam vobis voluptati fore,
etiamſi à me pro dignitate ornari non poſſit.

Cùm hoc triennio hanc regionem Myſorum (ſic enim rectè no-
minari exiſtimo, vt poſtea dicam) peruagatus ſim, & ſtudioſè ſitum vr-
bis, hominum ingenia, mores, doctrinam, Eccleſias, ciuitatum diſcipli-
nam, artes, venas metallicas, agros, gubernationis formam, contempla-
tus ſim: decreui mecum picturam aliquando huius regionis edere, ac
doleo non multò antè ab Apiano æditam eſſe, qui & patriæ hoc offici-
um debuit, & hortatorem ad hoc opus habuit Principem, cuius autho- *Apianus.*
ritas erat grauiſſima, Ducem Saxoniæ Georgium. Nam ego quidem
nondum latus Meridianum totum vidi. Sed tamen multæ cauſæ meam
cupiditatem accenderunt. Delectatus ſum naturæ varietate in his locis,
ciuitatum diſciplina, hominum moderatione & munditie, frequentia e-
ruditorum. Deinde & gratitudinem me huic genti debere ſtatuo, quæ
mihi inter honeſtiſſimos & erudiţiſſimos viros, poſt longas & moleſtas
peregri-

peregrinationes non modò domicilium, ſed etiam locum in Academia, has dulciſſimas artes, quæ pacis ornamenta ſunt, docendi præbet.

In hac cogitatione cum hoc tempore verſarer, & iam primas lineas huius Chorographiæ ducere cœpiſſem, nec intendere animum in aliud argumentum poſſem: ſcripſi etiam aliquid de hac regione, quod hoc loco recito, & vt hîc quoque ſignificationem gratitudinis meæ oſtendam, & vt ab auditoribus peritis admonear, ſicubi á ſitu regionis deſcriptio mea aberrat.

Patriæ & aliarum regionum cognitio vtilis.

Iudico autem hoc Argumentum & iunioribus vtile eſſe. Eſt enim pars eruditionis, noſſe vetuſtas gentes & honeſta exempla. Et magna virtus eſt, amare patriam, & eius tranquillitatem omni officio tueri. Hanc virtutem accendit conſideratio pulcherrimorum ornamentorum, propter quæ patria, quam natura diligimus, bonis mentibus fit multò charior. Ac præcipuè ad hunc finem refero hanc orationem, vt in iunioribus erga patriam pietas alatur & confirmetur.

Myſiæ ſitus.

Primùm autem vt exteri ſitum ſcire poſſint, figuram & metas regionis indicabimus. Myſia quæ in Germania iam annis plus 80. ſic nominatur, trianguli figura eſt, cuius ad Meridiem baſis eſt longa, iuga montium, qui Sudetes à Ptolemæo nominantur, quibus Bohemia dirimitur à Myſia. Suntque extremis oris Baſis duo inſignia oppida, Birna & Plawen. Latus à Birna orientale ſine vlla dubitatione eſt Albis. Latus verò ad occaſum à Plawen eſt fluuius Pica, à quo Grecum nomen eſt vrbi Citte, vnde Pica Lypſiam præterfluens, non procul à veteri Imperatorum arce Merseburg in Salam infunditur: vt ſit non procul inde trianguli cacumen, vbi Sala in Albim infunditur: conſtituamus enim hiſtorico more tanquam limites conſpicuos & durabiles. Cùm autem celebratiſſimum flumen ſit Albis, qua in parte orbis terrarum ſit hæc regio Myſorum, exteri etiam ſcire poſſunt.

Lypſiæ ſitus.

Sed vt propiùs aſpici ſitus poſſit, hæc quoque addo, Lypſia quæ non procul abeſt à trianguli vertice, gradus habet longitudinis 30. m. 58. Latitudinis verò vnum & quinquaginta m. 44. Hæc ſpacia & doctis indicant, in qua parte mundi hæc regio ſita ſit.

Tubanti populi. Calucones populi.

In hoc autem triangulo ad Baſin & ad Albim, Hermunduros magnã partem tenuiſſe ex hiſtorijs intelligi poteſt, quos fuiſſe Germanicã nationem appellatio indicat, cuius etymologia nõ obſcura eſt. Et ſcribit Cornelius Tacitus in Hermunduris plus fuiſſe diſciplinæ ciuilis & artium, quàm apud cæteros Germanos, & cum Romanis ſocietatem eos & fœdera feciſſe. Ad occaſum Tubanti fuerunt, fortaſſis propter ſubterraneos ignes & copioſas ferri venas à Typhoëo dicti. Ad trianguli κορυφὴν, Calucones fuerunt. Ac vt metæ agnoſci meliùs poſſint, addo de vicinis, poſt cacumen trianguli ad Albim duæ celebratiſſimæ gentes ſedes tenuerunt. In ripa occidentali fuerunt Longobardi à Salinis ad Parthenopen & ferè ad Brunſuigam vsque. In ripa Orientali Senones fuerunt, vbi nunc vetus Marchia eſt. Poſtquam autem Romanę Monarchię fatalis periodus circumacta eſt, & multæ gentes aliæ alijs de cauſis progreſſæ, nouas ſedes quæſierunt: Franci & Burgundi in Galliam tranſierunt, Gothi in Pannoniam & Italiam, Heneti à Viſtula & Carpatho in Germaniam, certiſſimum eſt Henetos occupaſſe Bohemiam, & Elyſiam, quæ nunc Sileſia eſt, & alia vicina loca.

Eo tem-

Eo tempore & Myſos, ſeu vicinos Henetorum, ſeu partem conſediſſe in hoc amœniſſimo triangulo conſentaneum eſt. Vſitatum eſt enim coniecturam facere de originibus gentium ex lingua & nomine. Veniſſe autem in Bohemiam, & in hæc loca peregrinam gentem lingua oſtendit. Cumq́; fuerint Myſi gens magna, & in Aſia littus ad Helleſpontum, & in Europa magnam oram, quæ nunc eſt Muldauia, Boſna, Raſcia & Seruia tenuerint, & res magnas geſſerint, fuit eorum nomen clariſſimum. Quare non facilè deleri potuit. Cumq́; nusquam alibi reliquum ſit, niſi in hoc triangulo, credibile eſt nouos illos hoſpites Germanis permixtos, & fuiſſe Myſos, & vetuſtam appellationem retinere voluiſſe. At vt antea vicini eis Tyrigetæ fuerunt, & vltra hos Sacæ, ita eodem tempore gentes illæ, vnde ſunt Turingi & Saxones, in vicinia ad Salam & ad Albim conſederunt. Cùm autem fuerit excellens virtus illius vetuſtæ gentis Myſorum, decus aliquod eſt, ab hac ſtirpe ortos eſſe. Tribuit enim veteribus Myſis Homerus tres virtutes, quæ ſunt præcipuæ in hac hominum ſocietate, & fontes ſunt aliarum. Ait enim eſſe Myſos hominum iuſtiſſimos. Scitis autem primam eſſe virtutem iuſtitiam, quæ quidem magnam ſapientiam & multas alias virtutes complectitur. Neceſſe eſt enim iuſtos intelligere diſcrimen honeſtorum & turpium, quod cum conſiderant, fontem eſſe Deum agnoſcunt, & intelligunt Deum hunc radium ſapientię ſuæ in homines transfudiſſe, & vindicem eſſe ſcelerum, intelligũt igitur ei obediendum eſſe, iuxta hoc diſcrimen honeſtorum & turpium. Iam hęc ſapientia multarum magnarũ rerum doctrinam continet. Hinc igitur orta iuſtitia eſt, Deum rectè agnoſcere, & ei obedire iuxta diſcrimen honeſtorum & turpium, & propter Deum fouere communem conſociationem, neminem lędere, vitare & punire ſcelera. Ex hoc fonte oriuntur Veritas, Fides in pactis, Beneficentia, Gratitudo, gradus in Imperijs, & ordinis conſeruatio.

Gentium origines ex lingua cognoſci poſſunt.

Myſorum virtutes ab Homero celebratæ.

Myſi iuſti.

Deinde inquit Homerus, Myſos præliatores eſſe. videtis ſapienter fortitudinem adiunctam eſſe iuſtitiæ: quia gubernationem iuſtam neceſſe eſt arma tenere, & vi coërcere ac punire domi contumaces ciues, & foris depellere latrocinia. Propter has cauſas ſcitis Imperia diuinitùs & inſtituta & armata eſſe.

Myſi præliatores.

Tertia virtus eſt Temperantia, quæ aliarum multarum nutrix eſt, modeſtiæ & caſtitatis. Inquit enim Homerus lac fuiſſe potum illius antiquę gentis, cum Thraces vicini vituperentur propter temulentiam. Et Strabo recitat Poſidonij teſtimonia de caſtitate Myſorum & Getarum, ac nominatim inquit, apud Menandrum vituperari ab eis polygamiam. In Argonautico carmine ſcribitur amanter exceptos eſſe in Myſia Græcos duces, & rurſus nauim ibi inſtructam frumento, carnibus, vinõ. Fuit igitur in illa gente intellectus honeſtorum officiorum & diſciplina: quare & ipſam à generoſa ſtirpe, quæ virtutem intellexit & coluit, ortam eſſe conſentaneum eſt. Narrat autem Arianus in Bithynicis, duos fuiſſe filios Phinei Myſum & Thynũ, & ab altero Myſos, ab altero Bithynos procreatos eſſe. Ac fuiſſe in littore Helleſponti ſenem vatẽ Phineã manifeſtum eſt ex Argonautico carmine: qui etiamſi nõ fuit pater illarũ gentium, tamen ſapientiam de motib. cœleſtibus, de phyſicis cauſis mutationũ in corporibus, de remedijs morborũ, de Deo & de iuſtitia, ex Phœnicia, ſeu ex Tyro & Sidone in illã Aſiæ oram intulit. Natũ n. eſſe Phineã in Tyro aut Sidone

Myſi temperantes.

Græci in Myſia humaniter excepti.

Phinei duo filij.

Phineas.

omnes

omnes affirmant, & aliqui fratrem fuiſſe Cephei ſcribunt, à quo quia doctrina de motibus cœleſtibus propagauit, ſidus quoddam appellatum eſt.

Phœnicum ſtudia.

Scitis autem vetuſtiſſimam ſapientiæ poſſeſſionem de Deo, de iuſtitia, de motibus cœleſtibus, & de natura rerum fuiſſe apud Phœnices, Sidonios & Tyrios, & horum vicinos, acceptam a primis patribus, à Noha & eius filijs & nepotibus, quibus Deus certo conſilio illam opportunam ſedem attribuit, vt eorum doctrina latè ad ortum, & ad occaſum propagari poſſet. Siue igitur à Phineo accepta eſt ſapientia, ſiue à vicinis loncibus, qui doctrina & omnibus artibus excelluerunt, cùm eſſent hæredes ſapientiæ Iaphet, vetuſtæ res Myſorum oſtendunt eos diſciplina vicinis antecelluiſſe.

Cùm veterum Myſorum talis fuerit virtus: & nomen, & lingua conueniat cum hac gente, quæ ad Albim conſedit, cognationem non aſpernandam eſſe exiſtimo.

Philo Dreſdenſis.

Si cui autem hæ coniecturæ non placent, quæ tamen ingenioſiſſimo & doctiſſimo viro Philoni Dresdenſi placebant, non pugnamus de hac noſtra opinione, & oſtendi nobis certiorem originem petimus. Exempla virtutum tamen ſumere hanc gentem à veteribus Myſis, & delectari eam ſocietate nominis honeſtæ nationis, ſinunt.

Nunc de hac veſtra patria dicendum eſt. Sunt autem in regionum & gentium laudibus gradus. Non contemnenda eſt loci natura, ſeu vbertas. Eſt enim Dei donum, & hoc genus humanum conditum eſt, vt multis rebus indigeat: quia vult Deus multa eſſe prouidentiæ teſtimonia, & diuerſis officijs & artibus, tanquam vinculis hominum ſocietatem aſtrictam eſſe.

Prouidentiæ diuinæ multa ſunt teſtimonia.

Deinde ornamenta ſunt regionis vrbes, & ædificiorum ars & elegantia, quæ etiam hominum ingenia, & vitæ conſuetudinem aliqua ex parte, oſtendunt. Tertia & vera laus eſt pia Eccleſiarum conſtitutio, iuſta forma gubernationis, & politica diſciplina: Vult enim Deus Eccleſiam, cui in tota æternitate communicabit ſuam ſapientiam, iuſtitiam & lætitiam, hoc modo & non aliter colligere: videlicet voce Euangelij, qua vult hominum mentes in hac imbecilli & mortali vita ad agnitionem Mediatoris flecti, & hauriri initia vitæ æternæ. Nec verò ſine literis & ſine linguarum & artium cognitione propagari doctrina poteſt.

Opera præcipua in gubernatione hominum.

Sunt igitur hæc ſumma opera in gubernatione hominum, vocem Euangelij incorruptam proponere, & conſeruare doctrinæ ſtudia: ad hoc ſummum bonum alij labores in vita referantur, & ſint Imperia politica Dei hoſpitia & muri Eccleſiarum. Hos gradus bonorum in conſideratione regionum & gentium intelligamus, & rectè diſcernamus. Sic enim vita hominum à Deo ordinata eſt, vt Nutricatio, Oeconomia, & gubernatio politica referantur ad hoc ſummum bonum, videlicet ad piam Eccleſiarum conſtitutionem.

Redeo autem ad eum gradum, quem initiò nominaui. Dei beneficio montes ad baſim trianguli, aliquot miliaribus venas habent, gignentes cum alia metalla, ferrum, plumbum, ſtannum, tum verò plurimum argenti.

Metallicæ venæ plenæ miraculis.

Multa ſunt autem naturæ miracula, vbicunque ſunt venæ metallicæ: & ſine magna varietate artium & machinarum, ex terra erui & percoqui non poſſunt. Quare facile intelligi poteſt, multos in ijs locis eſſe ingenioſos artifices, multos etiam qui regant opificum manus, cognitione Arithmetices & Geometriæ, multos item qui naturam rerum in

terra naſcentium diligenter contemplantur, vt eas ad vſum in medicatione transferant.

Fuerunt in Macedonia venæ celebres, in eo loco vbi vrbs fuit Philippi, olim nuncupata Dathos, item Crenæ. Harum venarum prouentus annuus fuit ſexies centum millia coronatorum, vt noſtro more loquar. Fuiſſe autem aliquando vberiores venas Fribergenſes & Schnebergenſes, manifeſta teſtimonia extant. *Metallicæ venæ in Macedonia*

Iam hîc dicendum eſſet de cauſis metallorum & generatione variarum ſpecierum, & de natura hydrargyri, quod ſentio ſingularem ſpeciem eſſe, à Deo ſic conditam, vt ſit metallorum ſemen, & hallucinari eos, qui non certa lege, ſed caſu confluere illam maſſam exiſtimant, vt fulmina, ſeu alia mixta imperfecta. Sed tota Philoſophia de metallorum origine, generatione, coctione, differentijs, ne quidem magnis voluminibus exponi poteſt: & gratia habenda eſt viro doctiſſimo, Georgio Agricolæ, cuius extant libri de metallis copioſè ſcripti, quibus & patriam ornat, & vniuerſam poſteritatem de his mirandis naturę operibus ita docet, vt in hoc genere tam luculenta ſcripta nulla fuiſſe exiſtimem. *Hydrargyrum.*

Reliqua Myſia cùm paululum verſus Septentrionem progredimur, tota ferax eſt tritici & olyræ, & aliorum frumentorum, & in multis locis gignit vinum & crocum. eſt & diſtincta agris, pratis, fluminibus, ſyluis, ac rerum, quæ ad victum homini conuenienter neceſſariæ ſunt, copia tanta eſt, vt etiam delectus & mundicies ſeruari poſſit. Hæc de terrę natura primùm commemoraui, vt grati munera diuina agnoſcamus, & cogitemus ſine hac, vt ita dicam, nutricatione, cætera bona haberi non potuiſſe. *Myſiæ reliquæ ferti. litas.*

Cùm igitur terra fœcunda ſit, & frumento & metallis abundet, magna eſt in ea multitudo hominum, vrbes multæ, aliæ alijs maiores & ornatiores, arces & pagi plurimi. Elegantia verò ædificiorum tanta, vt pleraſque Germanię partes hac laude ſuperet. Hoc decus multas virtutes complectitur. Nam vbi cura eſt rectè ædificandi, ibi neceſſe eſt & multarum artium artifices eſſe, & naturas hominum dociles. Deinde per ſeſe virtus eſt intelligere & amare ordinem & elegantiam in ædificando. Non enim iam de luxu aut immodico ſplendore loquor, qui non poteſt eſſe multorum, ſed de communi mediocrium hominum conſuetudine, qui in omnib. oppidis in hac regione plus adhibent artis in ædificando, quàm in pleriſq; alijs Germaniæ partibus. Eſt autem iuſtitia quędam valetudini ſeruire, quam ad rem opus eſt diſtincta eſſe habitacula puerperarũ, ęgrotorum, turbæ domeſticæ. Deinde prudentia eſt diſtinguere loca ſuppellectili & cęteris rebus. Non in ijsdem habitaculis, panni, veſtes, frumentum, vina ſeruari poſſunt: aut ſi quis nauticam vitam probat, aut Amaxobiorum conſuetudinem, qui totam rem familiarem in plauſtris vehunt, vbi diſtingui non poſſunt, ſtabula, focus, cubicula, is Gryllo ſimilis eſt, qui a Circe in porcum mutatus, recipere hominis figuram noluit. *Myſia populoſa.* *Habitaculorum diſtinctio.* *Amaxobij.*

Tertia pars orationis eſt de naturis, ingenijs, & moribus hominum: hęc enim præcipuè conſideranda ſunt, ſicut & Homerus monuit, qui Vlyſſem ait non tantùm vrbes multas vidiſſe, ſed etiam iudicia, & mores cognouiſſe. Proſunt enim exempla ad commonefactionem de multis magnis rebus. Figurę corporum non deformes, non horridę ſunt, & ingenia ſunt ad diſciplinam, ad virtutem, ad doctrinas, & ad alias hone- *Vlyſſes ab Homero laudatus.* *Myſorum ingenia.*

Ttt ſtas

ſtas artes idonea. Summum autem bonum eſt in ſocietate hominum, vera De. agnitio, quæ vt in hac regione luceat, Dei beneficio Eccleſiæ rectè conſtitutę ſunt, & ſonant Euangelij vocem ſine corruptelis, & ſine diſſidijs, & in congreſſibus publicis magna frequentia eſt hominum modeſtè conuenientium ad conciones, & ad communem precationem.

Scholæ in Myſia

Ac vbique in oppidis adiunctæ ſunt Eccleſijs Scholæ literarum, in quibus adoleſcentia diſcit ſummam doctrinæ Chriſtianæ, Latinam & Græcam linguam, & iuniores recitant κατήχησιν ad verbum, vt aſſuefiant ad agnitionem & inuocationem Dei, & ad honeſtos & pios mores. Sunt & iudicia Eccleſiaſtica conſtituta, vt paſtores regantur & defendantur, & vt doctrinæ puritas & ſanctitas coniugiorum conſeruentur. Et quia Eccleſiis & gubernationi ciuili opus eſt multarum linguarum & artium ſcientia, & lumen vitæ eſt vera doctrina de Deo, & de natura rerum:

Academia Lypſica quomodo inſtituta.

Lypſica Academia ita conſtituta eſt, vt lingua Latina, Græca & Hebræa rectè & fideliter hîc doceantur. Præterea ordine libri Prophetici & Apoſtolici enarrantur, & aſſiduè repetitur integra doctrina Eccleſiæ Dei, comprehenſa in libris Prophetarum & Apoſtolorum, & in Symbolis Apoſtolico, Niceno & Athanaſiano, & in Confeſſione Lutheri. Hunc perpetuum conſenſum Catholicæ Eccleſiæ Dei, Academia vniuerſa piè amplectitur, & fideliter tuetur, vt libri qui hîc eduntur, oſtendunt.

Sunt hîc & legum ciuilium Interpretes, eruditione & ſapientia excellentes, quorum conſilijs & ſententijs iudicia in multis gentibus reguntur. Sunt & artis Medicæ Doctores viri eruditiſſimi, quorum & in medendo, & in docendo celebratur eruditio & fides. Traduntur & iunioribus partes Philoſophiæ omnes, fueruntq́; olim ſtudia Mathematum hîc tanta, vt inde in alias regiones propagata ſint: didicerunt hîc initia Mathematum Regiomontanus, Haſfurdus, Schonerus, quorum nomina nota ſunt. Et docuit hîc Alexander, qui & edidit enarrationem demonſtrationum Geometricarum, ex quibus magnam partem Dialectices & Phyſices Ariſtoteles extruxit. Ac peperit ipſa Myſia duos in hoc genere doctrinæ excellentes, Petrum Apianum, & Iohannem Pfeil, quem nominant amici Philonem, quia propter ampliſſimam eruditionem, conferunt eum ad veterem Philonem, de quo dictum fuit, ἢ Φίλων πλατωνίζει, ἢ πλάτων φιλωνίζει. Id ad hunc noſtrum non minus congruit, quàm ad illum.

Philo.

Etſi enim non eſt meum de ſummis viris iudicare; tamen exiſtimo eum antecelluiſſe eruditione in tota Philoſophia omnibus, quorum eruditio hoc ſeculo celebratur.

Virorum clarorum in Myſia catalogus.

Non volui hoc loco Catalogum inſtituere Clarorum virorum, qui in hac Academia floruerunt, & qui conſilijs ſuis patriam rexerunt. Nam forma gubernationis iuſta & moderata, & iudiciorum conſtitutio oſtendunt fuiſſe & eſſe, non ſolùm ingenioſos, & vſu peritos gubernatores, ſed etiam eruditos. Tantùm de ijs dicam, qui primi cum aliqua celebritate linguas docuerunt Eccleſiæ neceſſarias, & eas latè propagauerunt. Bernardus Ciglerus natus in familia Equeſtri huius gentis, cùm linguæ Hebrææ magnum vſum haberet, non ſolùm huius ætatis ſtudijs in ea lingua, ſed etiam poſteritati profuit.

Græcam linguam ante annos triginta ſex Crocus Britannus, qui Aleandrum Lutetię audierat, hîc frequenti auditorio docuit. Hunc ſecutus

tus eſt Petrus Moſellanus, cuius oratio Xenophonteam ſuauitatem referebat. Nunc Ioachimus Camerarius, qui Groci auditor fuit, Græcæ linguę ſtudia hîc regit: qui cùm omni genere virtutum excellit, tum verò cognitionem & vſum Græcę linguæ tantam habet, vt non Athenæ veteres tam ſint Atticæ, quàm ſunt ipſius ſcripta.

Magnum decus eſt autem & gentis huius & Academiæ, quòd in nulla regione viri plures ſunt, & fuerunt, in ordine Equeſtri nati, excellenter docti & eloquentes, quàm in hac regione. Schonbergij, qui fuit Cardinalis & Epiſcopus Capuanus, eloquentiam, etiam ipſa Italia admirata eſt, qui quidem Legatus fuit ad tres ſummos in Europa Reges, ad Imperatorem Carolum, ad Regem Gallorum Franciſcum, & ad Regem Angliç Henricum. Nunc quoq;, vt audio doctos iudicare, nullius oratio Latina, omnium qui nunc quidem ſcripta edunt in Italia, aut alibi, melior eſt, quàm Pfingij, & Chriſtophori Carolouicij. Sunt & alij multi, qui nobilitatem generis eruditione ornant.

Dixi breuiſſimè de Eccleſijs, & de luce doctrinarum. Nunc pauca addam de forma gubernationis politicæ. Dei beneficio iam annos quadringentos huius trianguli gubernatio manſit eadem: qua in re & Dei beneficium agnoſcendum eſt, & ipſorum Principum laudanda iuſtitia & moderatio. Acceſſerunt Turingia & pars Saxoniæ, & Electorum dignitas, quæ acceſſio etiam teſtimonium eſt virtutis, & authoritatis horum Principum. Sed omnia complecti nunc non poſſum. Familia Principum vetus eſt, orta ab eadem ſtirpe, quę procreauit laudatiſſimos Imperatores Saxonicos Othones. Cumque vicinam regionem ad Salam, Muldam & Pliſiam diu tenuiſſent: poſtea Fridericus Barbaroſſa, Conrado totam Myſiam gubernandam tradidit, eumque Marchionem Myſiæ nominauit, ſiue id nomen eſt à νομαρχία, vt Sabinus vir ingenioſiſſimus exiſtimat, ſiue à limite cuſtodiendo. Inde propagati Principes tenuerunt totum hunc triangulum, quorum ſemper ſumma fuit authoritas: quam nequaquam voluerunt eſſe infinitam, aut tyrannicam; ſed honeſtiſſimis legibus & iudicijs regi. Ac notum eſt honeſtiſſimos conſenſus eſſe iudicum, qui ex ordine Equeſtri, & ex Doctoribus delecti, quotannis quater ad cognitionem controuerſiarum totius ditionis conueniunt.

P[o]litica administratio qualis in Myſia.

Principum Myſorum familia.

Quanta in pace, & in bellis virtus Principum fuerit, multa oſtendunt. Fridericus qui habuit admorſam genam, patriam defendit aduerſus Bohemos, Adolphum Naſſauienſem, & Albertum Auſtriacum. Cumq; à Marchione Brandeburgenſi captus eſſet, virtute & fide nobilitatis in hac regione liberatus eſt. Albertus auus inclyti Principis Ducis Electoris Mauricij, duobus potentiſſimis & ferociſſimis Regibus oppoſitus eſt, Carolo Gibboſo Regi Gallico, & Matthiæ Regi Pannoniæ, ac longo bello Gallos ex Flandria eiecit, poſtea & Matthiam depulit ab obſidione vrbis Auſtriacæ, cui nomen eſt Neapolis, & hac pugna repreſſus Matthias, longius in Germaniam non progreſſus eſt. Cumq; Albertum domeſtico bello implicare conaretur, ac miſiſſet in hanc viciniam exercitum: virtute Alberti & agnatorum patria feliciter defenſa eſt, & hoſtes pulſi & diſſipati ſunt, & non ſolùm hæc vicinia, ſed etiam reliqua Germania magno periculo liberata eſt. Fuitq; Albertus, quoad vixit, pręcipuus Dux in hoc Imperio, & maximè formidatus externis Regibus, & turbulentis Principibus, ſicut Achilles in Græco exercitu nominatur vallum Achiuorum.

Fridericus Princeps Myſiæ.

Albertus auus Mauricij Electoris.

Poſſem multa ſapienter, iuſtè, moderatè facta Principum huius familiæ recitare: ſed hæ breues commemorationes non habent lumen, niſi integræ temporum hiſtoriæ notæ ſint, & conſideretur qualis fuerit in ipſis Principibus natura & perpetua voluntas erga Rempubl. Hoc tamen affirmari poteſt, hos Principes pro excellenti ſua ſapientia magis adiunxiſſe ſe ad Imperatores, & authoritate ſua & opibus magis defendiſſe communem Germaniæ ſalutem, quàm fecerunt cæteri. Fuit igitur ſingularis beneuolentia erga eos Friderici Imperatoris Barbaroſſæ, Friderici Imperatoris ſecundi, ex cuius filia natus eſt Fridericus, qui habuit admorſam genam, ac deinde Rodolphi, Henrici Lucelbergenſis, Caroli Quarti, Sigiſmundi, Friderici Auſtriaci & Maximiliani. Horum præſtantiſſimorum Regum amicitiam, illuſtre teſtimonium eſſe de ſapientia & virtute horum Principum, ſatis intelligi poteſt. Nec verò fieri poteſt, quin boni principes habeant adiunctos viros ſapientes & bonos in conſilijs, & quin vita eorum cenſura ſit multorum in populo, vt dicitur:

Principes boni, etiam bonos habent conſiliarios.

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cùm iudex alios, quod monet ipſe facit.

Myſorum ſtudia erga religionem.

Cumq; in toto genere humano ſemper immota gubernationis norma eſſe debeat, Decalogus rectè intellectus, & Deus magiſtratum velit eſſe vocem, & cuſtodem huius ſuæ æternæ legis: ſequuntur hanc veram normam, & in hac tota regione, Magiſtratus præcipiunt, vt populi mores congruant ad præcepta Dei, & puniunt contumaces. Piè defendunt Eccleſias, ne vera Dei inuocatio extinguatur, & pellunt homines, qui aut idola defendunt, aut Cyclopicis ſermonibus Deum contumelia afficiunt, aut falſis opinionibus Eccleſiarum conſenſum turbant. Puniuntur latrocinia & ſeditiones. Defenduntur legitima coniugia, ac ſeuerè puniuntur adulteri, & contaminati inceſtis libidinibus. Nec toleratur publicè conſuetudo cum vlla, cum qua non eſt fœdus coniugale Eccleſiæ teſtimonio factum. Puniuntur & fures, & alij qui fidem pactorum in contractibus non ſeruant. Quia verò naturæ hominum placidę ſunt, & ad agnitionem & inuocationem Dei, & ad bonos mores voce Eccleſię, & diſciplina domeſtica, & exemplis pœnarum publicarum aſſuefiunt, minùs eſt contumacię & ſcelerum. Eſt autē diſciplina domeſtica in vrbibus eò melior, quia plurimi ciues vt nuſquam alibi, norunt vtcunq; literas, & domi ſacros libros legunt, & filios ac filias doceri literas curant, & magno ſtudio ſuos ad reuerentiam publici miniſterij Euangelici, & ad pias precationes aſſuefaciunt. Vbiq; in ſingulorum mediocrium ciuium ędibus, inter ornamenta pręcipua conſpiciuntur libri ſacri, hiſtoriæ Monarchiarum, picturę continentes argumenta vtilia ad commonefactionem, ſumpta ex Hiſtorijs. Vbiq; recitant pueri manè, & ad menſam preces & pias ſententias, & admonentur, ſingulas familias debere eſſe Eccleſias & templa Dei, in quibus velit Deus habitare, & ſic fieri eas domicilia Dei & Eccleſias, in quibus certò habitet Deus, quas ſeruet, protegat, & gubernet, cùm diſcunt familiæ Euangelij doctrinam, & rectè Deum inuocant fiducia Mediatoris, & mores regunt iuxta diuinam doctrinam, ſeque ad communem veræ Eccleſiæ ſocietatem adiungunt, & conſeruationem publici miniſterij Euangelici adiuuant.

In tali cœtu adeſſe Deum protectorem & gubernatorem, affirmat Filius Dei, cùm ait: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

Manifeſtum eſt & mundicie hanc gentem antecellere alijs Germanis, quæ & ipſa per ſeſe eſt virtus, poſita in delectu rerum naturæ conuenientium, & ordinis conſeruatione, & nutrix eſt multarum aliarum virtutum, ſedulitatis & frugalitatis. Excitat enim curam res naturæ conuenientes eligendi & tuendi, & præbet aſſiduas operas, cùm ornantur domus, lecti, veſtes, & reliqua ſupellex. Ingens verò decus in hac domeſtica conſuetudine eſt matronarum modeſtia, quæ œconomiam præcipue gubernant: & earum exempla filiæ intuentes, & ad agnitionem Dei ad bonos mores, & ſcientiam œconomicam aſſueſiunt. *Myſi ſtudioſi mundiciei.*

Signum & hoc eſt in hac natione, & diligentiæ in tuenda vita ciuium, & amoris erga honeſtas artes, quod in ſingulis vrbibus maioribus publica ſtipendia phyſicis Medicis dantur, quorum excellens eſt eruditio in Græca & Latina lingua, & tota philoſophia, vt res oſtendit, quia multi æditis monumentis ſtudia doctrinarum iuuant, & patriam ornant. Notiſſimi ſunt enim libri Georgij Agricolæ, & Iani Cornarij etiam exteris nationibus. *Myſorum liberalitas erga doctos*

Hæc de patria veſtra, Auditores, bono ſtudio dixi, non ſolùm vt me hoſpitem gratum eſſe intelligatis, ſed multò magis vt vos adhorter, vt conſiderantes ornamenta patriæ, Deum ardentioribus votis oretis, vt ea conſeruet. Vera eſt enim vox: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam. Deinde vt ſinguli ſuo loco pareant patriæ, tanquam dulciſſimæ matri, à qua victum, leges, diſciplinæ, religionis, literarum & artium intellectum acceperunt, & hoc fœdere obligati ſunt ei, vt eadem bona poſteris tradant. Accedat & diligentia in cauendis occaſionibus diſſenſionum, & ciuilium motuum. Nemo turbet patriæ tranquillitatem priuatis cupiditatibus, ambitione, odijs, curioſitate, ne tam multis Dei donis ornata regio fiat μυσῶν λεία, vt olim dicebatur. Quare & pij precibus apud Deum, & omnibus honeſtis officijs iuuare patriam ſtudeatis, & vnuſquiſque tali ſit animo erga eam, vt verè de ſe prædicare poſſit idem quod Erechthei coniunx inquit, cùm patitur filiam fieri victimam pro ciuitatis Atticæ ſalute, vt tunc putabatur: *Epilogus.*

Ω πατρὶς εἴθε πάντες οἱ ναίουσί σε
Οὕτω φιλοῖεν ὡς ἐγὼ, καὶ γε ῥαδίως
Οἰκοῖμεν ἄν σε, ἢ οὐδὲν ἂν πάσχοις κακόν.

Oro autem Filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, & vt ſemper in hac regione ſibi colligat æternam Eccleſiam, ne extingui in ea lucem Euangelij & honeſtatum artium, nec deleri diſciplinam ſinat, & in totius regionis Principes, gubernatores, populum & vrbes, & cætera hoſpitia clementer gubernet & protegat.

IOANNIS BOCERI
Elogium Miſniæ.

Eſt ſita, quà roſeo glacialis ſæuit ab ortu
Eurus, & algentes Albis conſtringit arenas,
Terra viris armisq́ potens, dum fata manebant:
Eudoſiis habitata viris; nunc Miſnica pubes
Incolit eiecti ſedes, quas longa vetuſtas
Mutauit, dixitq́ ſuæ cognomine gentis.
Fluminibus regio, multis incluſaq́ ſylvis,
Diuerſas ſpectat vario ſub ſidere gentes
Albis ab aurora quà ſiccos irrigat agros,
Vandalicos fines, & rura patentia ſpectat.
Excipit à medio vicinos ſole Boëmos:
Saxonas ad gelidam ſemotos reſpicit Arcton;
Quà venit Auſtriacos Zephyrus mox conſpicit agros.
Terra ſub Arctois quâ vix præſtantior oris:
Principibus generoſa ſuis, promptiſſima bello,
Vbertate ſoli, fuluis fœcunda metallis.
Exornant alias & ditant munera terras:
Hæc gignit fruges, hæc dulcis dona Lyæi.
Thuriferis alibi tellus eſt pinguis arenis:
Illa ſed argenti riuis, fuluiq́ metalli
Omnes exſuperat. Temeſe quot culta refudit;
Quot dedit Eoa fœcundaq́ vena Syenes:
Quot Cybeles plangentis agri, quot Thracia tellus:
Miſnica tot fundit præſtantia terra metalla.
Quot Sicyon baccas, quot fertilis Africa ſpicas,
Inclyte vel quot habes tumidos Bumaſte racemos:
Tot tenet argenti præluſtris Miſnia venas.
Hæc æris, plumbiq́ nigri producit & albi
Congeriem. Grato quid conſita rura Lyæo,

Aptaq́

Aptaq́ commemorem gratis quid frugibus arva?
Et liceт ingentis ſpectas loca ſingula mundi,
Non tamen invenies, quo ſit tam fertilis vllo
Materies congeſta loco: vel largius vsquam
Indulſit natura ſibi, tam diuite vena,
Quæ non ceſſanti transmittit ſecula fructu.
Gratia Dis ſuperis, qui tanta niteſcere dona
Non prohibent cœlo miſeris mortalibus alto:
Abſtruſas ſed ſæpe vias, tacitosq́ meatus
Demonſtrant terræ, plumbi quâ copia, quâ ve
Argentum obſcuris largè ſuccreſcat in antris.

IN MISNIÆ CHOROGRAPHIAM

Epigramma

CHRISTOPH. MANLII.

Tota ferè triquetrâ regio concluſa figura eſt,
Quæ vetus à Myſis Miſnia nomen habet.
Supremum tenuit Calegia priſca cacumen;
Quà Sala Albiacas confluus auget aquas.
Læuum Pica latus, dextrum vagus occupat Albis:
Sudetes imæ ceu baſis inſtar habent.
His terram metis definijt ipſe Melanthon
Eudoxusq́ ſui temporis Homilius.
Nec tamen errarit, ſi quis faſtigia montes
Piniferos Albim mauelit eſſe baſin.
Dextrum Sala latus ſic clauderet, Egra ſiniſtrum:
Nec concinna minùs forma triquetra foret.
Vtrumuis (ſiue hic placeat, ſiue ille) trigonum
Spectandum præbet parua tabella tibi.
Flumina cuncta vides, montes, nemora, oppida & artes:
Certius ex ipſo vix tueare polo.

ORATIO DE SAXONVM ET ILLVSTRISSIMAE SAXONICAE FAMILIAE ORIGINE, ANtiquitate & dignitate.

ETSI NON EST CONSVETVDINIS OMNIVM, QVI DICTVRI ſunt, initio dicendi rationem reddere, curde qualibet re oratio inſtituatur: propterea quod in perorantis voluntate & arbitrio ſitum eſſe videatur, deligere id, quod vel communi vtilitati optimum, vel ſuo ingenio aptiſſimum ipſe iudicet: tamen mihi iam in hoc theatrum prodeunti, & verba publicè facturo ab eo more paulisper deflectendum eſſe intelligo. Præterquam enim quod hoc à me exigere videtur ætas mea, quæ adhuc eiusmodi eſt, vt nihil ſine conſilio & approbatione ſapientum & doctorum virorum mihi incipiendum eſſe omnino ſtatuam: veſtra etiam me impellit dignitas, quæ certè tam probare audituque ſuo confirmare ea, quæ hic proponenda ſunt debet, quàm me de dicendi argumento laborare & deliberare, eiusque euidentes rationes reddere par eſt. Accedunt præterea, officium hoc, quod iam publica autoritate & de ſententia ornatiſſimi collegij Philoſophici ſuſtineo: temporumque iſtorum ſtatus & conditio: quæ me non leuiter adhortantur, vt hoc ſtudioſiſſimè faciam, meique inſtituti honeſtas cauſſas vobis oſtendam.

Cogitanti igitur mihi, qua de re hoc potiſſ. loco & tempore dicerem, nihil meis ſtudijs conuenientius, nihilque officio omnium noſtrum dignius, atque etiam communi iuuentuti vtilius eſſe viſum eſt: cum reliquæ admonitiones neceſſariæ aliâs factu ſint: quàm vt aliquam Hiſtoriæ Saxonicæ & Miſnicæ (cuius ſcriptionem mihi Illuſtriſſimi & Clementiſſimi noſtri Principis Electoris, Domini AVGVSTI, S. R. I. Archimarſchalli &c. mandato impoſitam eſſe ſcitis) particulam, ex illis ipſis conſignationibus noſtris, peterem atque illuſtrarem: Vt, ſi poſſem, etiam ad ſtudium Hiſtoriarum, de quo ſapientiſſimi quique affirmant, nullam ad prudentiam ciuilem comparandam expeditiorem viam eſſe, diſcentium animos exuſcitarem atque accenderem.

Atque

Atque vt amplius verum fatear, præter muneris mei rationem, atque gratitudinem Illuſtriſſimę domui Saxonicæ, à qua tot iam beneficijs affectus ſum, debitam, etiam vt iſtud argumentum in manus ſumerem, amore Patrię non ſegniter me ſtimulante inuitatus ſum: Quæ me non ſolum ſub huius Illuſtriſſimæ familię patrocinio naſcentem produxit, atque vnà cum cariſſimis parentibus meis, quos DEI gratia adhuc ſuperſtites habeo, aluit atque fouit, ſed & occaſionem atque ſubſidia ad diſcendum bonas artes, & veram de DEO cognitionem in ſincera doctrinæ luce hauriendum ſuppeditauit & conceſſit. Cumque diuinitus omnium hominum animis, mirificus quidam Patriæ amor inſitus ſit, ſine dubio ea etiam de cauſſà, vt ad curam & defenſionem illarum rerum, quas patria continet, puta religionis, Legum diſciplinæ, artium honeſtarum &c. extimularemur, itemque vt illam cœleſtem ſedem atque patriam, vnde noſtra origo eſt, amandam & expetendam eſſe admoneremur: Eò vos libentius conſilium meum in delectu huius argumenti probaturos confido. Nec verò nullum hinc fructum iuniores capient. Eſt enim non poſtrema pars eruditionis ſolidę, & veræ, vetuſtas gentes & honeſta maiorum exempla noſſe.

Sanè vt eò vnde digreſſus ſum quàm citiſſimè reuertar, magna per ſe virtus atque pietas eſt, patriam & pios atque præſtantes Principes amare, eosque omnibus fidelitatis, venerationis, & ſubiectiſſimæ obedientię ſtudijs ornare, patriæque ſalutem & ornamenta, quibuscunque licet officijs iuuàre: Quę virtus in generoſis naturis magis accenditur conſideratione pulcherrimorum ornamentorum & beneficiorum diuinorum, propter quæ magiſtratus & patria, quam alioqui natura diligimus, etiam multò fiunt cariora. Etſi autem argumentum hoc per ſe ampliſſimum eſt, & ego mihi meę tenuitatis optimè conſcius ſum, cum natura, vt Euripides inquit, ſim ἀκομψὸς εἰς ὄχλον δοῦναι λόγους: tamen non dubito quin in me audiendo, eam beneuolentiam quam ſoletis, eam attentionem, quam vultus veſtri & iſta oculorum in me coniectio tacitè pollicentur, adhibituri ſitis: idque vt faciatis, etiam vos reuerenter & amanter rogo.

Neque vero hîc perfectam atque integram quoque tractationem, huius de Saxonicæ domus antiquitate & origine Hiſtorię, inſtituere poſſum, multò minus de vniuerſa Hiſtoria ſeu omnibus eius partibus multa monere, cum ingenio præſtantiori, doctrina maiori atque etiam ſtudijs longioribus eam operam niti oporteat: Verùm tantummodò cum de illa Hiſtoriæ parte, quæ τὸ γενεαλογικὸν Polybio dicitur, atque eiusdem teſtimonio in reliquis Hiſtoriæ partibus præcipuè delectat, pauciſſima dixero, ad familiam noſtram Saxonicam ſermone conuerſo, breuiter quædam de ea in medium allaturi ſumus, quæ dignitatem eius non exiguam nobis ob oculos ponant. Hos enim orationi meæ tanquam certos terminos & cancellos vel breuitatis vel perſpicuitatis cauſſa ipſe conſtituam, extra quos ſi egredi conabor, facilè me autoritate veſtra reuocabitis.

Atque

Atque in hoc ipſo equidem ſi orationis elaboratione & elegantia minus vobis ſatisfecero, vt ſaltem ex magno rerum cumulo ſelecta quædam audiatis, atque vt vel ſola breuitate vobis tædium leuare poſſim, ſtudebo.

Omnibus temporibus floruerunt aliquæ præſtantes familiæ, præſertim verò in ijs gentibus, quæ vel virtutis bellicæ & in Rerumpubl. adminiſtratione prudentiæ induſtriæque ſingularis: vel ingenij doctrinæ & variarum diſciplinarum laudem habent non poſtremam, quæque non prorſus barbaris moribus inſtitutiſque fuerunt. Quæ ſanè res bonitatis & prouidentiæ diuinę argumentum manifeſtiſſimum eſt: à qua tum ſocietas inter homines, ijs quaſi adminiculis conglutinata eſt & perpetuò conſeruatur: tum doctrinarum ſtudia, ſine quibus vera Dei agnitio in his terris vix propagari poteſt, ſemper prouehuntur & illuſtrantur.

Quis enim inſignlorum & Heroicarum quarundam familiarum virtute plurima imperia condita, exornata, inſtaurata, confirmata conſeruataque; quis earundem auxilio multas doctrinarum partes erutas, auctas, illuſtratas, è ſqualore & ſitu reductas, contra barbariem defenſas & propagatas eſſe neget? Adeò quidem vt etiam gentes aliàs barbaræ & efferæ hac commoditate & beneficio, non omninò caruerint, neque non intellexerint, & quanti eſſet momenti, & vnde hoc ipſum promanaret: vt imò apud has etiam, virtutes & artes quaſi hæreditarię in familijs interdum fuerint. Taceo quod ab ijs Scholæ ſæpius illuſtres apertæ & excultę: ſicut hoc nomine in recentioribus gentibus Saracenos & Turcas numerandos eſſe nouimus, Quippe, qui partim Aegyptiorum & Arabum ea in re conſuetudinem ſecuti ſunt, vel adhuc ſequuntur. Illius certè (vt de barbaris iam taceamus) exempli apud Græcos etiam illud eſt præ cæteris, quod de Aſclepiadeis ex Aegypto oriundis legimus, quorum continua fuit ſucceſſio in arte medica, quæ præcipua pars eſt ſapientię Dei in creatione rerum expreſſę, ſicut à D. Paulo nominatur.

Sanè, vt obiter hoc inſeramus; non ſolùm conſideratione, ſed etiam admiratione dignum eſt, quòd vna illa Aeſculapij poſteritas certæ artis ſtudium, culturam, profeſſionem & vſum annis amplius mille retinuit & conſeruauit, cum ſemper liberi in parentum veſtigia ſucceſſerunt, & artis auitę poſſeſſionem propagarunt. Inter quos & Hippocrates auus & nepos, clari ambo ſcriptis ſuperſtitibus fuerunt, è quibus alter qui Magnus cognominatur, primi nepos, decimusnonus fuit ab Aeſculapio, Et ſententijs eiusdem hodie etiamnum Medici ſaniores tanquam de cœlo prolatis oraculis addicti ſunt, ita vt contra eas ſtatuere aliquid aut experiri nefas eſſe ducant. Hoc certè ingens Dei beneficium fuit, & ſine dubio ſingulari Dei conſilio factum, vt ſcilicet poſteris maiorum inuenta religiose cuſtodientibus, & ad ea experientiam propriam addentibus, ars aucta, illuſtrata & abſoluta creſceret, incorruptaque ad poſteros transmitteretur. Nec minus & illud memorabile eſt dignumque obſeruatu, cum Aeſculapium vnà cum Peleo,

leo, Iaſone, Achille & alijs nobiliſſimis in eadem Schola à Chirone Centauro educatum eſſe conſtet, & poſteri eius, parti Meſſeniacæ in Peloponneſo imperarint, vt Homerus & Pauſanias teſtantur, ſapientum & eruditorum virorum iudicio non obſcura aut ignobili eum ſtirpe natum fuiſſe.

Qua in re perſpicuè videmus, apud veteres, graues & ſapientes homines optimarum artium & ſapientiæ ſtudia penè propria illuſtrium familiarum fuiſſe, cum hodie contrà ab illis quaſi exulare videantur, & ferè non niſi à tenuis fortunæ hominibus tractentur & colantur, qui cum neceſſarijs adminiculis deſtituti ſint, rariſſimè ad ſolidam artium cognitionem & eruditionem peruenire queant. Cum contrà ex Aſclepiadarum hiſtoria & exemplo illuſtriſſimo appareat, quantum momenti in ea re poſitum ſit. Ii enim quoniam à natura ingenio bono inſtructi mox etiam velut cum lacte principia artis ſuxerunt, & ferè adhuc balbutientes ad corporum ſectorum contemplationem & remediorum ſimplicium conſiderationem adhibiti, ordineque per omnes doctrinæ partes ducti, atque protinus ad opera artis experienda aſſuefacti ſunt, hinc eam præſtantiam ſunt conſecuti, atque in tota ſerie maiorum nullus non autoris primi veſtigijs inſiſtens, proprijs quibuſdam dotibus excellere & inclareſcere potuit. Sed ad propoſitum noſtrum reuertamur.

Quemadmodum igitur cum ſemper excellentiores quædam familiæ & vbique ferè fuerint, atque etiam apud barbaros, apud quos non ſemper virtutum artiumque bonarum contemtus extitit, vt imò virtutum certarum quaſi quædam propria poſſeſſio apud ipſas inuenta ſit: Ita apud gentes & paulo humaniores & alias deinceps quæ moribus inſtitutiſque maximè laudabiles & excultæ fuerunt hoc ipſum in Reipublicæ gubernatione legitima & iuſta, multo manifeſtioribus indicijs conſpicitur. Nam inde tanta olim cum veneratione cultæ ſunt familiæ apud Perſas Achæmenidæ, Parthos Arſacidæ, Græcos Heraclidæ, atque ex his ipſis Heraclidis apud Spartanos Eurytionidæ & Agidę, apud Macedones Temenidę, Aegyptios Lagidæ, Syrios Seleucidę, Argiuos Amithaonidæ & Temenidæ, Mycenæos Perſidæ & Pelopidæ, & alibi alię.

Vnde in eadem Græcia, Aeacidarum, atque ex his rurſus Teucridarum & Pyrrhidarum, Item Aleuadarum, Euriſacidarum, Cecropidarum, Erechthidarum, Metionidarum, Theſidarum, Medontidarum, Piſiſtratidarum, Alcmæonidarum, Codridarum &c. nomina quàm ſæpiſſimè reperias. Inde etiam eſt quod conditores ſæpenumero affecti ſunt nobilibus familijs ex Deorum numero, Indeque Heroës denominati. Inde porrò totarum gentium inter ipſas de antiquitate contentiones acerrimę extiterunt, de quibus paſſim videre eſt, & hoc loco à me agi fuſius non poteſt. Quæ certè omnia eò ſpectant, vt oſtendatur virtutum ſicut & vitiorum animi ſemina etiam in ſobole hærere, & veriſſimum eſſe illud Horatij:

Fortes creantur fortibus & bonis;
Eſt in iuuencis eſt in equis patrum

Virtus,

Virtus, nec imbecillem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Et Pindari alterum, φυᾶ τὸ γενναῖον ἐπιπρέπει πατέρων παισὶ λῆμα: Cum ſimili modo robur corporis ſanitasque, & contrà debilitates vitiaque membrorum & inualetudo etiam a parentibus in liberos propagentur.

Porrò non ſolum omnibus ætatibus familiæ nobiliores diuerſis in gentibus & Rebuspublicis extiterunt, non ſolùm etiam cultæ eædem ſunt, atque multum illis honoris delatum eſt à ſubditis, vt hactenus attingendo docuimus: Verùm etiam omnibus ſeculis & omnes ferè apud populos, ſumma diligentia, tam in accurata conſignatione, quàm inquiſitione familiarum originis, incrementi, propagationis, rerum geſtarum, finis &c. adhibita eſt. Ita in libris Moſaicis & alijs ſacrarum literarum in vtroque inſtrumento veteri & nouo monumentis traditur poſteritas Adami, & propagatio primorum hominum continua linea vsque ad Noham deducta, & rurſus ab hoc ſerie non interrupta, vsque ad Abrahamum, huiusque poſteros Iſaacum & Iacobum, poſt quem deinceps fuſius paulò & Iudę poſteritas regia, ex qua Saluator mundi natus eſt, & Leui ſtemma ſacerdotale vsque ad Christi aduentum ſubijciuntur. Euſebius in Hiſtoria Eccleſiaſtica libr. 1. cap. 11. ex Africano commemorat & teſtatur, in templo Hieroſolymitano præcipuarum familiarum Iudaicæ gentis Genealogias fuiſſe repoſitas & cuſtoditas: quæ monumenta omnia tandem ab Herode Magno per ignem abolita ſint, ne quisquam omnia videlicet generis antiquitate & nobilitate ipſi præferri poſſet, cum non ſolum extraneus is eſſet, ſed etiam ex plebeia & ignobili familia natus: vtpote cuius auus Herodes, ſacerdotis cuiusdam Ethnici in templo Apollinis Aſcalones æditusuum egiſſet. Quare & deinde factum eſt, cùm ἀρχεῖα ſublata, atque multarum familiarum ſeries & origo certa, in memoria hominum labefactata eſſet, vt diſputationum & contentionum de ijs nugæ, quæ in Paulinis taxantur epiſtolis, exortæ ſint.

Græcorum & Romanorum non minor fuit attentionis prouidæ hac in re cura & ſtudium, quàm vel Ebræorum, Aegyptiorum atque Arabum, cuius indicia & teſtimonia omnia ex Hiſtorijs in hunc locum neque debuimus neque voluimus congerere. De Græcis tamen vnum atque alterum addere non pigeat.

Stephanus facit mentionem Genealogiarum Suidæ, facit & mentionem Hecatæi, cuius etiam de rebus Iudaicis commentarij aliàs à Ioſepho nominantur. Suidas & ipſe meminit cuiusdam Acuſilai Argiui Hiſtorici, qui ſtemmata deſcripſerit, ex æneis potiſſimum tabulis, quas pater eius, dum neſcio quid foderet, inuenerat. Idem autor de Simonidis Melicertæ libris Genealogiarum tribus refert. Meminit & Hyginus talium ſcriptorum ſuorum libr. 2. de ſignis cœleſtibus.

Hæc

Hæc tamen omnia vt alia multa antiquæ eruditionis monumenta egregia, maximo cum ſtudiorum damno perierunt. Quamuis noſtra ætate Reinerus Reineccius V. C L. collectis hinc inde ex veterum ſcriptis, quæ ſuperſunt, & tota antiquitate originum deſcriptionibus aliqua ex parte ingentem illam iacturam nobis reſarcire ſtuduerit, editis in primis tribus Monarchijs quæ floruerunt, familijs præcipuis: ſicut idem in ſequenti Monarchia Romana, in ijs, quæ ab alijs noſtræ ætatis ſcriptoribus omiſſa ſunt, deinceps Deo iuuante præſtiturum ſe policitus eſt. Apud Romanos T. Pomponius Atticus familiarum illuſtrium origines & ſtemmata conſcripſit, de quibus etiam nihil ad nos peruenit, niſi forte fragmentum eius operis eſſe velimus de Porcia familia Gellij expoſitionem, & Ciceronis in epiſtolis alteram de gente Papyria. Noſtro tamen tempore in ijſdem Romanis familijs magna cum laude & vtilitate operam ſuam nauauit Generoſus & illuſtris Baro Suarcenauius, Richardus Streinius, Item Iohannes Glandorpius, cuius commentarij nondum omninò prodierunt. Neq; etiam vulgariter hac in parte de Hiſtoria Romana meritus eſt Onuphrius Panuinius.

Vt verò & hoc addamus, in hoc ipſo ſtudio & ab hac laudatiſſimæ diligentiæ in Genealogijs indagandis opera, celebratur doctiſſimus Imperator Adrianus, & æmulus huius Valentinianus, vt teſtis eſt Victor. Sicut ab eadem veterum familiarum inquirendarum & cognoſcendarum cura apud nos commendatur Maximilianus I. Imperator, qui ea de cauſſa ſuis ſumptibus liberaliter fouit Sunthemium & Stabium, vt Germaniæ familias, quarum nobilitas vetus & incorrupta eſſet, explorarent atque deſcriberent. Quo in inſtituto deinde ipſos ſecutus eſt VVolffgangus Lazius, nepotum eiuſdem Maximiliani munificentia ad eam rem inuitatus. Vt interim de Georgio Sigiſmundo Seldio & alijs Viris doctiſſimis & clariſſimis nihil hîc à nobis dicatur. Non poſſumus etiam ſilentio præterire noſtri illuſtriſſimi Principis & Dn. D. AVGVSTI atque ipſius fratris Mauricij, Ducum Saxoniæ & creandis Rom. Impp. Septemuirorum &c. hac in parte generoſum & laudatiſſimum ſtudium: qui & ipſi ad explicandam VVittekindeæ familiæ, quæ inter Saxonicas omnes vetuſtiſſima eſt, & potentiſſima atque virtute & laude præſtantiſſima ſemper fuit, originem, non exiguas impenſas contulerunt, vſi hac in re doctiſſimorum Miſnicæ gentis virorum Georgij Agricolæ, & Georgij Fabricij opera. Quæ autem prioribus ſeculis totius Teutonicæ gentis in hoc ſtudio fuerit oſcitantia, & pluſquam ſupina negligentia, vndeq; illa profecta ſit, ab alijs ſæpius non ſine ſortis noſtræ iniquiſſimæ deploratione demonſtratum eſt. Etſi magnitudine & præſtantia rerum geſtarum nullis etiam fortiſſimis & celebratiſſimis populis ceſſerit gens noſtra, ſicut verè de ea quidam cecinit:

Armorum nunquam Germania victa labore,
Arma celebrandi victa labore fuit.

Sed hoc forſan facilius fuerit deplorare, quàm naufragio iſti, quod in vniuerſum Reſpub. literaria & politica, itemq; iacturæ, quam Germania noſtra præcipuè paſſa eſt, opem aliquam adferre.

Cùm autem Saxonica familia, in hac tota noſtra patria & gentibus eiuſdem nulli tam apud nos, quàm alibi etiam, veterum Heroum cedat antiqui generis nobilitate, rerum geſtarum gloria, potentiæ dignitate, alijsque virtutibus & dotibus, quæ in illuſtribus perſonis & familijs conſiderantur: Nos quoque, (etſi, vt mentio iam facta eſt, à Fabricio, cuius tamen commentarios nondum mihi inſpicere licuit, ſine dubio, quòd de tanti viri perſpectiſſima diligentia augurari poſſumus, iam antè hoc præſtitum eſt,) horum omnium exemplo aliquid de laudatiſſima hac familia in medium afferemus: Idque vt eò commodius fieri poſſit, pauca etiam de Saxonum origine & rebus geſtis maximè ἀξιομνημονεύτοις, indicabimus, vt ita quaſi commentariolus & argumentum alterius Hiſtoriæ, enodatius aliquando deſcribendæ, eſſe poſſit.

Ante Caroli M. tempora ex fuerunt Germaniæ conditiones. Diſtributa erat vniuerſa inter tres præcipuas gentes, quæ & potentia & celebritate atque autoritate reliquas antecellebant: Atque vt fit idcirco etiam continuis æmulationibus, odijs, & nonnunquam armis etiam infeſtiſſimis inter ſe certabant: Hæ erant Saxones, Boij & Franci. Saxones tenebant plagam ſeptentrionalem, Boij meridionalem, mediam inter vtroſq; Franci: qui denique vicinis omnibus ſuperiores facti, maximam non ſolùm Galliæ ſed & Germaniæ partem occuparunt, ita vt imperij ſui limites etiam vltra Iberum fluuium extendere cœperint. Cum autem de Saxonibus hoc loco præcipuè, inſtituta ſit tractatio noſtra; etſi de Francis etiam in Saxonica Hiſtoria neceſſariò quædam inſerenda ſint, vtpote ſine quibus illa nec integrè referri nec intelligi poſſit: tamen & de ijs ipſis & de Boijs nihil altius repetemus, vt & propoſiti noſtri memores ſimus, & ad hunc locum atque tempus reſpectum habeamus.

De Saxonum igitur maioribus, primò omittimus fabellas illas aniles, vt de ſaxea Saxonum natura, deque illorum conditoribus, qui Petreoli à petris vel ſaxis vocati ſint, (vt Chronicon quoddam Ienacenſe habet) vel neſcio quibus alijs: Item de cultellis etiam huius populi, vnde de aliorum multorum ſententia Saxones nomen ſuum adepti ſint: Item de origine à Danis Nordmaniſque, aut à reliquijs Macedonici exercitus poſt obitum Alexandri Magni, quæ ſententiæ ſunt in VVittekindo, Vrſpergenſi, Aubano, Chronicis quibuſdam Saxonum, & refutantur partim à Cranetio, vel etiam ab Anglis Britanniæ incolis, cui poſtremæ opinioni & Neoſtadienſe Chronicon Tyringicum aſtipulatur, ſicut & ab Vrſpergenſi & Aubano Bohemo refertur, ſed à Crancio etiam refellitur. His enim nugis ante noſtra tempora Monachi, eruditæ antiquitatis proruſ ignari, delectati ſunt, omnesque fere pagellas compleuerunt. Tametſi eos alicubi & noſtri temporis non parui nominis viros doctos ſequi auſos, eaq; figmenta ſuis commentarijs inſerere non dubitaſſe, cernimus. Nos verò de his ipſis, vt de alijs etiam Germaniæ gentibus, certò ſtatuimus, hos perinde, atque de Cimmerijs, Sueuis vel Sycbis, Germanis, Getis, Dais, Alanis, Vandalis &c, eruditorum eſt opinio, ex orientalibus regionibus & Aſia vel Scythia illa vaſtiſſima in Germaniam progreſſos eſſe. Habuerunt enim iſti gentem vicinam Sacarum, à quibus Saſſones Ptolemæi qui in Scythia vel Aſia, Boreali ſupra montes Alanos citra tamen Imaum montem habitarunt, præſertim cum nomina pen conueniant, reipſa diſſentire non videntur.

Hi ig

Hi igitur ſine dubio vel cum Alanis vicinis, vel etiam ante illos, (nam vetuſtiorem Saxonum quàm Alanorum in Germania memoriam eſſe aliqui contendunt) in prouincias noſtras tranſierunt: etſi quo tempore quibusq; ducibus id factum ſit, nullus autorum tradat. Atque hæc eſt, vt doctorum fert ſententia, & gentis & nominis Saxonici vera origo. Neque enim vel immediatè ab Aſcane filio Gomer, nepote Iaphet, vt quidam opinati ſunt, nomen eſt: vel, quod abſurdius eſt à Cattis, ſicut delirat Crancius, & qui eum ſecuti ſunt: qui tamen & ipſi non vbiq; ſibi conſtant, cum alibi de Cattorum & Saxonum commixtione Heſſos prodijſſe autument. Vera autem vocabuli ſignificatio eſt, iuxta ipſorum Saxonum enunciationem, Saſſen, id eſt incolæ, indigenæ, habitatores, Sicut & Vngari vicinos ſuos Tranſſyluanos vel Septemcaſtrenſes Dacorum & Getarum poſteros, etiamnum hodie Saaſen appellare dicuntur, cum illi ſe de Saxonum gente, illuc à neſcio quo in coloniam ducta, ortos eſſe glorientur. Ita verò antiquum vocabulum aſpera & craſſa pronunciatione quaſi corruptum eſt, quod præcipuè ſuperioris Germaniæ populi facere conſueuerunt, vt multis exemplis in commentario noſtro de veteri lingua Teutonica demonſtrauimus. Sunt ab hac ipſa ſignificatione non diuerſa nomina Holtſatorum, id eſt ſylueſtrium incolarum, & nomen Cœnobij in Bohemiæ & Bauariæ finibus ſiti VValdſaſſen, item Edelſaſſorum, qui corruptè Alſati nunc vocantur, quos nobiles incolas vel opima loca inhabitantes interpretamur. Quod verò doctiſſimus Vir Capnio, Saxones à Phrygibus oriundos eſſe aſſeruit, vt teſtatur etiam Spalatini ad ipſum quæ extat epiſtola, id nos ad Friſios potiſſimum referendum eſſe cenſemus. Namque in ea quidam ex doctiſſimis ſunt ſententia, Phryges vna cum Cimbris Aſcanijs & Caycis, qui vetuſtiſſimi Germaniæ populi ſunt, in hæc ſeptentrionalia & occidentalia loca penetraſſe, atque Phryſiorum gentem & nomen condidiſſe. Porrò de Sacarum peregrino etymo alij aliter explicant. Quidam enim ducunt à voce Sagan, vnde & Saga & præſagium, & Teutonicum noſtrum Saegen cum alijs quibuſdam extare putantur. Ideoque ſacerdotes & vates hoc ipſo vocabulo non male ſignificari aiunt: & ſententiam illam priorem, qua nomen Saxonum ab Aſcane deriuari diximus, aſtipulatricem habent, cum & illud cuſtodem ignis vel ſacerdotem denotet. Alij verò Sacas iuſtos & liberos interpretantur, alij aut pares aut habitatores: quorum poſtremum cum noſtro Teutonico etiam congruere videmus. Sed de his quoq; nunc ἀκριβῶς diſputare nos non eſt neceſſe: quare in hiſtoria Saxonum progredi ſatius erit. Fuerunt autem Sacæ ex præcipuis populis regni Perſici, vt teſtantur Creſias, Herodotus & Xenophon, quorum vnus etiam Sacarum inter Perſiæ Satrapas meminit, eosq; in Xerxis exercitu nominat. Poſt quæ tempora Dario etiam contra Alexandrum militarunt, & ſub Cyro præclaras res geſſerunt. Neq; Alexandri M. exercitus ijs caruit.

In Germania verò primum à Ptolemæo ponuntur iuxta Cymbros in Cherſoneſo Cymbrica, in cuius medio ſeu dorſo ferè habitarunt, vbi etiam Teutones, Marſi & Gambriuij aliquando fuerunt, atque ſuperioribus ſeculis Nordalbingi, quos hodie Ditmarſi, Stormari & alij ſecuti ſunt. Tametſi hæc ſedes ipſorum ab alijs ita definiatur, vt fuerit ea ab Auſtro Cymbricæ regionis, quam Iuriam eſſe volunt, Cherſone-

ſum inter duo maria Germanicum & Britannicum, id eſt vt noſtri vo
cant orientale & occidentale procurrentem, quæ tamen ſententia à p
ori non multum diſcrepare videtur. Quamuis autem antiquiores e
Saxones in Germania negare nolim, quam Ptolemæus eſt, ſicut Saxo Si
landicus Danorum Hiſtoricus eos ſtatim à prima Danorum memoria
initio nominat: & quidam per Teutones, qui ante natum Chriſtum a
nis plus quinquaginta cum Cymbris in Italiam profecti ſunt, Saxon
intelligant, idque demonſtrare conentur: nec deſint etiam ex Gallic
ſcriptoribus, qui Ariouiſtum Cæſaris in Gallia hoſtem Saxonem fui
velint: tamen eas ſententias, quò minus iam amplectamur, nedum d
fendamus, cauſſæ nobis ſunt grauiſſimæ, cum præſertim de Teuton
bus conſtet, eoſdem cum Tuiſconibus illos fuiſſe atque Aſcanis poſt
ros, qua in parte, quod Saxonum nomen ab Aſcane ſit, ante refutatu
eſt: & Ariouiſtus Germanorum Rex à Cæſare appelletur, meliusq
pro Sueuo haberi debeat, nec Sialandico Hiſtorico plena in omnibu
fides habenda ſit. Apud Tacitum, qui prior Ptolemæo ſcripſit, null
Saxonum mentio extat, cum tamen & hoc conſtet, Ptolemæum Ger
maniæ ſtatum, qualis fuit non ſuo tempore, ſed paulò prius, deſcripſi
ſe, atque ideo mirum eſſe poſſit, ſic eos à Tacito deinde prætermiſſo
eſſe. Cum verò deinceps in fœderibus fortè vicinarum gentium contr
nouos ex Aſia agminatim irrumpentes populos fides virtusque eorum
conſpecta & probata fuiſſet, innoteſcere ita cœperunt, vt multis alijs i
Germania gentibus famam militaris ſcientiæ & fortitudinis eripuerin
Ea certè de virtute ipſorum fuit opinio, isq; terror ad Saxonum auditum
nomen, vt Sidonius Apollinaris ſcribat: Nullus hoſtis hoſte Saxone tru-
culentior, nec robore tantum & audacia, ſed etiam conſilio & arte vin-
cit. Tanto enim cum periculo, præſertim ab irruptionis ipſorum vnà
cum alijs gentibus Germanicis in Galliam, de qua mox plura dicemus,
tempore, cum illis dimicatum eſt, vt iſtam in Imperio Romano, eiusq;
omnibus etiam prouincijs de ſe opinionem excitarint. In Romana Hi-
ſtoria prima mentio Saxonum fit in Hiſtoria Diocletiani & Maximia-
ni R. Impp. autoresque ſunt Eutropius, Oroſius & Beda, quo tempo-
re vnà cum Francis prædati ſunt Saxones in Gallijs & mari Britannico.
Deinceps etiam nominantur in bellis Valentiniani I. Imp. ſub quo Sa-
xones & Alemanni Galliæ inhiantes noua bella excitârunt, hi quidem
duce Brando & auxilijs quorundam Saxonum capta Moguntia, cum
magna Chriſtianorum multitudo inde abducta eſt: illi infra Coloniam
Agrippinam in Tungris, vbi aſſiduis irruptionibus Romano Imperio
moleſti erant: quos tamen vtrobique Imperator feliciter repreſſit, ſupe-
rius ad Neccarum præſertim, caſtellis aliquot extructis, inferius etiam
præſidijs firmis in limite poſitis, cuius rei & Oroſius mentionem fecit.
Et factum hoc eſſe ſcribitur circa annum Chriſti 370. vel paulò poſt.
Ita verò gens illa paulatim celebrior facta eſt, vt deinde circa 400. an-
num D. Hieronymus in vita Hilarionis etiam eorum mentionem faciat,
qui in Germania ſua ætate tres præcipuas gentes floruiſſe dicit, Aleman-
nos ſeu Sueuos, Francos atque Saxones, de quo alibi latius explicaui-
mus. Circa annum 449 pars quædam Saxonum tranſiuit in Britan-
niam Inſulam quæ olim Albion dicta eſt.

Inuitati

Innitati enim eò erant Saxones cum vicinis Anglis parte Sueuorum à Virigerno Rege contrà Scotorum & Pictorum depopulationes: In quo bello tamen Scoti borealem inſulæ partem obtinuerunt, atque de ſuo nomine appellarunt: itidemq; peregrini hoſpites Angloſaxones Auſtralem occuparunt, Britannis veteribus incolis, vt in eiuſmodi fœderibus fieri ſolet, oppreſſis vel exactis, & nomine regionis etiam in Angliam mutato. De quo præcipuè Beda, Cranciusalijque ſcriptores recentiores inſpiciendi ſunt. Odoacrum Saxonum ducem ſub Childerico Merouei F. Franco in Gallia Aurelianis deinceps inhiaſſe, ſed repreſſum eſſe ſcribitur. Secutum etiam Francicum in Tyringia bellum, quod per Saxones potiſſimum geſtum eſt: qui & militiæ exactæ præmium, Tyringiæ partem ſeptentrionalem acceperunt: de quo tamen bello diuerſæ ſunt expoſitiones & partim falſæ, vt refutat eas Crancius lib. 1. Saxon. aliquot capitibus. Poſtea quidam Saxones vnà cum Longobardis in Italia militarunt, in quam Longobardi gens Suenica Anno 568. ex hac vicinia ad Albim progreſſi, & infuſi magnam eius partem cum regno ferè inuaſerant: præſertim cum occaſione non parua, Romani imperij ex diuulſione in Orientem & Occidentem facta inclinatione non exigua, vterentur. Cum autem iugum Longobardorum ſuperiorum Saxones libertatis ab initio amantiores ferre non poſſent: auxilijs Sigeberti Francorum Regis in patriam Germaniam redierunt, & ſedes ſuas à vicinis quibuſdam Sueuis, qui in hodierna Pomerania habitaſſe putantur, (vocantur enim à VVittechindo transalbini, nec fuerunt Rheni accolæ vt Crancius & alij habent) occupatas, vt & Paulus Diaconus & VVittekindus Corbeienſis cum recentioribus aliquot ſcriptoribus teſtantur, difficulter recuperarunt: De quo tamen aliam aliorum ſententiam eſſe ſcio. Quomodo porrò, intra Rhenum & Albim ad Viſurgis, vtramque ripam in Oſtualos & VVeſtualos diuiſi ſint, de eo Hiſtoriæ recentes nos con docefaciunt, & infrà aliquid ex VVittekindo à nobis addetur. Hoc nunc repeto, quod tandem Caroli Magni tempore ita Regnum ſuum confirmatum habuerint, ſicut ante attigimus: vt non modò præcipuis tum temporis Germaniæ gentibus, & non poſtremo quidem loco annumerarentur, ſed & ictibus potentiſſimæ gentis Franciæ iam ſæpius eliſis, multum illis negocij faceſſere poſſent. Limites habuerunt eo tempore à Septentrione Oceanum & mare Balthicum, qui etiamnum eſt, ab ortu Albim, à meridie ſyluam Hercyniam vel vltrà, ab occaſu Rhenum, qui non parum iam mutati ſunt, qua de re alibi plus referendum erit. Cùm igitur inter gentes tres potentiſſimas & virtute præſtantiſſimas quas ante nominauimus odia eſſent ἄσπονδα, aſſiduaq; motus ex aſſidua æmulatione & inuidia, atq; ideo ſubinde bella atrociſſima accenderentur: Fortuna tandem lites diremit atque Francis aſpirauit, vt ampliſſimo imperio ſuo, etiam Boiorum regnum adiecerint, eosque tamdiu in officio continuerint, donec rebellione iterum orta totus Reipub. ſtatus ibidem mutatus eſt per Francos, regio nomine ſublato & principibus ſubſtitutis, per quos illud regnum deinceps aliquandiu adminiſtratum eſt. Quare tanta acceſſione aucti, atque toti ferè Galliæ & Germaniæ imperantes, Saxonum etiam fortunam ſibi tentandam eſſe exiſtimarunt: cum illi præſertim altera ex parte peropportunè etiam alijs bellis præſertim Cymbricis & Danicis ſæpe diſtinerentur. Neque ſpe ſua omninò defraudati ſunt Fran-

Et Ephori illi quidem noſtris Septemuiris in Romano Imperio paulò aptius fortè comparari poſſent, non abſimili magiſtratus vel Senatus ratione oſtenſa. Aliâs Regis Saxonici belli tempore electi, munus & dignitas ferè eadem fuit, quæ Dictatoris apud Romanos. De Herruſcis etiam non diſſimile habet exemplum Seruius Grammaticus, apud quos XII. Lucumones, quos tanquam Reges ex ipſorum lingua dictos fuiſſe autumat, cum potentia fuerunt, qui tamen aliū etiam ſuperioris dignitatis & autoritatis agnoſcere coacti ſunt. Ex hac autem commemoratione apparet fuiſſe tam apud Saxones Ariſtocratiam, id eſt ſtatum Reipub. illum, qui eſt inter Tyrannidem & Democratiam medius proportione Geometrica: quem Plato optimum iudicat, & ſummis laudibus euehit, vt qui beatiſſimas faciat ciuitates & imperia. Multum enim Reipubl. cōducit, priuatos id curare, vt ſuum quiſq; locum, ſuum munus ita tueatur, ne quantum in ipſis eſt, pulcherrima illa Harmonia Geometricæ proportionis perturbetur. Eſt verò Geometrica proportio, cum gradus in Repub. fiunt, & delecti optimi & doctiſſimi quiq; plurimū autoritate valēt.

Sed ad Hiſtoriam noſtram reuertamur. Nominantur à quibuſdam ex recentioribus & præſertim Broduſio Familiæ illæ nobiliſſimæ apud Saxones, quæ floruerunt circa illa mutati regni à Carolo M. tempora: atq; aduocatur ea in re teſtimonium & fides cuiuſdam Henrici Baſſæi Monachi Ballenſtedenſis, & Annalium quorundam Brunſuicenſium, ſicut & cum illis Catalogi familijs quibuſdam vel potius perſonis tantum ex ijs, non obſcurè conſentit deſcriptus à Georgio Rixenero Caduceatore Boiarico catalogus eorum, qui in Germaniæ ludis equeſtribus, quos Torneamenta vocarunt, ſtrenuè ſeſe geſſerunt. Sunt autem hæc nomina familiarum & Dynaſtiarum illarum, à locis prædiorum, ſiue arcium, caſtellorum vel etiam oppidorum deſumpta. Dynaſtia Stadenſis ad Albim infra Hamburgium in Saxonia, Daſſelenſis inter Einbecum & Hoxariam apud Erichsburgum, Biehlingenſis in Tyringia, Quedlinburgenſis ad Hercyniam verſus Saxoniam, Aſcanienſis ad Aicherslebiam, Ballenſtedenſis ad Hercyniam, Catelenburgenſis ad Nordhemium, Hallermundenſis ad Hildeshemium, Liſtenia, cuius Dynaſtiæ locus mihi ignotus eſt, VVoldenburgia, quæ deinde ad dioeceſin Hildesheimenſem pertinuit, Engrana in veteri Saxonia vel VVeſtualia, & ibidem Arnsburgenſis & VVarburgenſis, Poppenbergenſis & VVinſeburgenſis in tractu Hildeshemenſi, Tannebergia in ditione Luneburgenſi, Tiffoldenſis in VVeſtuali, VVunsdorfia in Ducatu Brunſuicenſi, Alslebienſis ad Salam infra Salinas Saxonicas, Ringelhemia inter Goſlariam & Bockelheimū, Stalburgenſis in Hercynia & ibidem Mansfeldenſis, Haldeslouienſis, cuius nominis ditiuncula quædam in dioeceſi Magdeburgenſi eſt, Supplinburgēſis quæ dynaſtia in Hercynia teſte Fabricio fuit, Lippenſis in Vueſtualia, in Brunſuicenſi Ducatu VVolpenſis, Nordheimenſis, vnde oppidū ſupereſt huius nominis ſatis lautum, Arnſteinenſis in Hercynia, Hoienſis & Ridebergenſis in VVeſtualia, VVernigerodenſis ad Hercyniam, Lauenrodenſis in Hanoſeræ ſuburbio quod Neapolis nomen habet, Spigelbergenſis in VVeſtualia, Lindenſis, vel vt alij legunt Linaenſis, Homburgenſis quæ ad Hildeshemium præſulatum deinde peruenit, Gerenrodenſis ad Hercyniā vt conijcio, Falckēſteinenſis itē ad Hercyniā, VVetypenſis ad Salam, Ploccenſis ad Bernburgum, Nordringenſis ad Salā, quo

loco deinceps Cœnobium Muncheneuburgum fuit: VVipreñſi in Hercynia, Pleſſenſis ad Gottingam, Peinenſis quæ Hildesheimio Epiſcopatui ceſſit, VVarbienſis, Gibichſteinenſis ad Salam, Mulingenſis & aliæ. Harum inquam dynaſtiarum familiæ referuntur eſſe antiquiſſimæ in tota Saxonia: ad quarum ab arcibus vel Caſtellis, vt apparet, denominationes, breuiſſimas ego ſitus notas, (neque enim ita ſuis locis omnes hæ Dynaſtiæ, in veteribus monumentis definiuntur) vt hodie de ijs coniectare poſſumus, adijcere volui.

Ex hac autem ſerè vel enumeratione de paucis quibuſdam rapſtibus monendi ſunt auditores, antequam ad VVittechindeæ familiæ tractationem accedamus. Obſeruetur igitur primò, ex tanto numero harum familiarum vetertimarum Saxoniæ (nam de his ſolis nunc loquimur) nullas omninò hodie reſtare, præter duas, Engeranam, atque Ballenſtedenſem ſiue Aſcaniam. Niſi quis forte ex Stalburgla, Lippiā, Tiſfoldenſiq; & VVarbienſi (vel ſi quæ aliæ addi poſſent) veteribus illis familijs, hodiernas eorundem titulorum proſapias etiamnum reſtare in Hercynia, VVeſtualia, & ad Albim euidenter probare poſſit. De Mansfeldia certè conſtat, antiquiſſimam illam, ex qua Hoierus ſub Henrico V. Viperti Groicenſis hoſtis fuit, deſiiſſe: quamuis non minus nobilis Querfurdia in locum ſucceſſerit, vnde hodierni Comites Mansfeldenſes originem ſuam ducunt. Idem autem in alijs etiam proſapijs accidiſſe credibile eſt: de quo tamen, vt non omnino diſcrepantes à nobis ſententias reijcimus, ita nihil certi me hîc affirmare poſſe fateor. De Saxonicorum verò principum, quæ hodie Dei gratia Milniæ, Tytingiæ, & Saxoniæ Septemuirali præeſt; itemq; altera Anhaltinorum & huic agnata Lauenburgenſium ſtirpe certius affirmari poteſt: cum non pauci veterum Annalium id teſtētur, & conſtans de hoc inter eruditos ſit aſſertio & approbatio, nec ex ſtemmatum deſcriptionibus, quæ in manibus hominum ſunt, nullum omninò argumentum huius rei ſumi poſſit: quæ demonſtrant, nuſquam interrupta ſerie, has à conditoribus ijs familiarum, qui tempore Caroli M. vixerunt, propagatas eſſe. Superſunt quidem aliæ familiæ nobiliſſimæ, vt Carolina, ex qua duces Bauariæ & Palatini Rhenenſes: Item Landgrafij Haſſiæ & Reges Portugalenſes extare putantur: Et coniecturas quidam afferunt ſuas de poſteris VVelphorum, quidam de Merouingorum. Non recenſ etiam nobilitas eſt Brunſuicenſium & Luneburgenſium Ducum, qui vnà cum Ferrarienſibus ex Longobardica quadam vel Azonum, vt nominant, propagine deſcendunt. Taceo iam de Henetæ originis ſtirpibus illuſtribus, vt ſunt Ducum Sileſiæ, Pomeraniæ & Mechelburgi, quæ ipſæ quoque magnam vetuſtatem præ ſe ferunt. Verum de ijs hoc loco non agimus, cum tantum de familijs ex Saxonico ſanguine propagatis loquamur. Hanc tamen ideo mentionem fecimus, ne quis putare poſſit, iniuriam alijs factam, cum tantum duas ex veteri illa nobilitate Saxonica ſtirpes reſtare profeſſi ſumus. Neque hoc prætereundum eſt, eodem ingentis illius in regno Saxonico mutationis tempore, ex hoc ipſo familiarum catalogo multas eſſe bello conciſas & deletas, multas etiam ſpontaneo exilio aliò tranſlatas, quæ Francorum & præſertim Christianæ fidei iugum ferre noluerunt: quemadmodum hoc de Germanorum in Pruſſia incolis quibuſdam conſtat ex altera illa fabula de Saxonibus à Carolo M. (quanquam alij Geiſan

Vngari

Vngariæ Regem hoc feciſſe dicant) in Tranſſyluaniam miſſis, ab eruditis reijciatur. Quædam etiam à Francis ob rebellionum creberrimarum perfidiam omnino vita multatæ vel poſſeſſionibus exutæ ſunt. Sic accidit, vt Dynaſtiæ multarum talium familiarum Eccleſijs nouis & præſulatibus donatæ, quarundam etiam bona, alijs famllijs, quarum fides in religionis & magiſtratus cultu enituit, attributa ſint. Hac enim ratione ſtatuimus, familiæ Engeranæ VVittekindi, eiuſq; poſteritati paulatim Ringelheimenſia, Quedlenburgenſia, Nordheimenſia, VVettinenſia, Gibichſteinentia & alia prædia atque poſſeſſiones obueniſſe. Quod ipſum in Ballenſtedenſi familia etiam videre eſt, quæ & Aſcaniam Dynaſtiā ſimul, atq; aliquandiu Vuolpenſia, Ploccēſia & alia bona, poſſedit.

Deinde propter lucem in lectione Germanicæ hiſtoriæ, illud etiam obſeruare vtile eſt, quod Dynaſtiæ Saxonum (ſic enim iam ante toties appellare libuit) quæ modò nominatæ ſunt, omnes ferè poſt Caroli M. tempora Comitatuum titulo ornatæ ſint. cum hoc nomen anteà apud Saxones non auditum, vel ſaltem admlſſum eſſet, Francis eum nobilitatis ordlnem deinceps ex ſuæ ditionis terris ln Saxoniam quoq; inuehentibus. Quod quo conſilio, quando & quomodo factum ſit, alibi dicetur, præcipuè autem in commentariorum noſtrorum Myſnicorum libro IIII. Extitit verò ab illa veteri Dynaſtarum ſeu Baronum appellatione paulò ante noſtra tempora adhuc apud Saxonicos Comites mos iſte, quòd quidam ſæpenumero nobiles Domini, quàm Comites vel Grafij appellari maluerunt.

Verùm nunc tandem ad Scopum inſtituti noſtri præcipuum deferimur, vt videlicet Illuſtriſſimæ domus Saxonicæ, ſub cuius tutela & patrocinio viuimus, vetuſtiſſimam nobilitatem, ex iſtis Saxonum antiquitatibus & monumentis elatius ob oculos ponamus. Fuit igitur in ijs, quas recenſuimus, familijs, etiam Engerana in VVeſtualia, ex qua vſq; ad Caroli M. tēpora aliquot Reges in bellis Saxonicis (de quorū cauſis nunc etiam nihil addo, extiterunt, multasq; victorias contra Francorum potentiam obtinuerunt, donec hæc familia tandem omnium prima fidem Chriſtianā accepit, totiq; genti ſuæ communicauit atque inuexit, quæ certè non poſtrema præſtantiæ & dignitatis in hac ſtirpe nobiliſſima, pars eſſe merito cenſetur. De huius Engeranæ Dynaſtiæ vocabulo ſituque, & alijs quæ conſiderari poterant, hic omittemus, cum præſertim illa omnia Commentariorum noſtrorum lib. III. complexi ſimus, atque ideo de conditorum ſtirpis rebus geſtis, paucis etiam, vt temporis ratio ferre poteſt, explicabimus. Nominatur igitur apud ſcriptores primus omnium ex nobilibus Dominis de Engern Sighardus, quo Saxones, in bellis aduerſus Dagobertum Francum, Rege vſi ſunt circa annum 630. vel ſex annis poſt, quo tempore Cœnobium Sampetrinum Erfurdiæ Dagobertus condidit: quamuis Annonius lib. 4. & Cranciusde huius hoſte diuerſum ſentiant, eumq; Bertualdum vel Bertholdum appellent, quem ſui Anhaltini Genealogiæ inſerunt. Sed Francorum etiam Chronica quædam Sighardum referunt, qui illis temporibus contra Francos libertatem Saxonum fortiſſimo animo defenderit, & poſt multa denique contrà Dagobertum feliciter geſta prælia, in Saxonum frequentibus in Francici regni prouincias velitationibus, victus caſtriſque exutus ſit. Et quod ad Crancium quidem attinet, eam ipſe de fide ſua in Hiſtoria ori-

ginis & rerum geſtarum à familia VVettynenſi, quæ Saxonicæ veteri & Imperatoriæ agnata fuit, deſcribenda, opinionem reliquit, vt non obſcurè colligere poſſimus, etſi ex antiquiſſimis iiſq; varijs annalibus (quorum ipſi eo tempore copia non potuit non eſſe maxima) familiæ iſtius præclaram originem illuſtrare potuiſſet, nunquam tamen eum fuiſſe facturum. Quarum enim familiarum ſtudioſior fuerit, in commentarijs eius paſſim, & ſtatim quidem ex libri 1. Saxoniæ cap. 1. videre licet. Sed virulentiæ & inuidiæ illius erga domum & gentem nobiliſſimam, quam Myſnenſem ferè per contemtum ſi non alienigenam vocat, nec vnquam Saxonico nomine dignari vult, pœnas ſine dubio apud gratam erga principes noſtros de toto orbe benemeritos poſteritatem iuſtiſſimas dabit. Sanè & ergà aliam adhuc, inter Principes Germaniæ hoc tempore clariſſimam, non minus malè animatus eſt. Sed omiſſis de iniuria & maleuolentia Crancij querimonijs, ad ſeriem Principum Angriæ reuertamur. Sighardo ex Iulanda Obetritorum, vel vt alij Saxonum Regis Goſuini filia, nati ſunt Didericus & Sigeuualdus Dynaſtæ Engerani, quorum ille paternis veſtigijs inſiſtens, etiam cum regia dignitate Saxonibus in militia contra Francos & præſertim Regem ſeu Ducem eorum Carolum Martellum præfuit: quanquam hoc reperimus, quod patri fortuna diſſimilis fuerit. Bis enim ſiue à Martello ſiue ab huius filio Carolomanno captus eſt, vt Annonius, Regino & Vrſpergenſis teſtantur: & quidem nominatur alicubi arx ipſius Hochburg, in qua ſemel obſeſſus captiuitatem ſubire coactus ſit. Huius nomen etiam Sigeberto Gemblacenſi notum eſt. Sub hoc tamen rege & Saxones ſoluendi tributi Francici iugo liberatos eſſe ſcribitur: cum prioribus annis, nimirum ſub Dagoberto Lotharij F. (vt quidam determinatè aſſerunt, cum quo etiam res fuit Bertholdo Saxoni præter Sighardum, à Francis aliquando planè victi quingentorum boum tributum promittere coacti eſſent. Quanquam ab alijs tradatur, onus hoc ſub eodem Diterico ipſis impoſitum eſſe, quod vero non abſimile eſt. De Dagoberto Franco tamen ferè omnes conſentiunt præter paucos, qui Clodoueum nominant: & hæc occaſio affertur, quod Saxones in gratiam Francorum Tyringiam ab Henetorum incurſionibus liberarint: itemq; altera cauſſa, quòd poſtquam Clodoueus ſeu Ludouicus Bathildin Ballenſtediam Beringi filiam abduxiſſet, ipſa deinde hortatrix Regi fuerit, ad gentiles ſuos onere atque ignominia illa eximendos. Vxor Dobra ſeu Dobregera, Obetritorum etiam regina, Didericho præter duas filias Mechtildin & Hildegardin (quæ Hermanno Beringo Ballenſtedio deinde nupſit) peperit Edelhardum & VVernckinum Dynaſtas Angariæ. Horum alter, Edelhardus videlicet, etiam regia in gente ſua dignitate potitus eſt: quanquam idem poſt plurima & grauiſſima regno Francico illata damna, ad extremum non adeò felici, aduerſus Pipinum, Torte vſus. Ab hoc enim occiſus eſſe ſcribitur. His temporibus Pipinus contra Saxones Francorum nomine grauia bella geſſit, & trecentorum equorum victis illis impoſuit tributum, quod tamen non diu ſoluiſſe putantur. Grypho enim Pipini frater tunc etiam ad Saxones tranſijt, & perfugio ſuo eis non parum profuit. Edelhardum ex Heila Friſiæ regina ſuſcepiſſe quidam tradunt duos filios: Albionem, quem primum Saxoniæ Palatinum Lazius vocat, qui & annalibus Benedictini Monachi, Sigeberti & Vrſpergenſis celebratur, famamq; nominis ſecundam

dam poſt VVittekindum patruelem, de quo mox dicturi ſumus, in Hiſtorijs tenere iudicatur: & Hermannum Dynaſtam Engeranum, qui in prælio ad Buchholcium á Carolo Magno interfectus eſſe ſcribitur, quanquam vt de hac tota re quidam dubitant, ita præcipuè de anno, Vrſpergenſi cum alijs non conueniat. VVernekinus autem frater Edelhardi Dynaſta Angariæ ſeu Engræ & item Iburgi (in ditione Præſulis Oſenbrugenſis hodie ipſius caſtrum, huius nominis, primarium eſt) quamuis ad regiam nomen non aſpirarit, atq; à bellis ferè abſtinuerit, poſteritatem tamen eam nobis reliquit, quæ non modo maiorum decus ſtrenuè tutata eſt atque auxit: ſed etiam originem familiæ noſtræ Saxonicæ, cuius ceu propagines quædam adhuc ſuperſunt dedit auſpicatiſſimam. Ex Cunhilda enim vel Gundehilda Rugiæ Principe, (vnde & VVernekinus à quibuſdam ſcriptoribus Rugiæ Dux vel Princeps appellatur) præter filiam Haſalam ſuſtulit VVITTEKINDVM, Regem Saxonum contra Francos per triginta annos conſtitutum, qui poſtea ob celebritatem rerum geſtarum Magnus, teſte etiam Garzone Bononienſi, dictus eſt, & religionem Chriſtianam profeſſus, à Carolo M. Saxoniæ Dux creatus, nouisq; inſignibus vt mox pluribus perſequemur auctus & ornatus eſt. De Brunone, quem alterum filium VVernekino quidam addunt, atq; ab eo Duces Saxoniæ, proauos Ottonũ Impp. falſò deriuant, in quibus ſunt Spalatinus, Chytræus, Cruſius, & alij nonnulli, de hoc igitur, nunc non diſputate libet: Sicut & variantem aliam Lazij ſententiam non addo, cum etiam in Genealogijs quibuſdam huius appellationis frater VVittekindi tantummodo nominetur: nec Impp. Saxonicorum proſapia ei tribuatur. Vt autem à ſententijs iſtis diſcedamus, autoritas nos mouet Annalium quorundam non ita recentium, autorumq; probatiorum fides, quam in ſequentibus enarrationibus non immerito ſequemur. De Vitekindo Magno multa ſcribit Regino lib. 2. interq; alia prodit, hunc poſtquam multis annis Carolo M. fortiter reſtitiſſet, ab eo fide publica in Galliam euocatum, religionis Chriſtianæ profeſſione (quanquam Bardeuici vel Mittenbachij id factum eſſe noſtri velint ſcriptores) ſuſcepta, pacem cum eo iniiſſe, qua de re & Cranelus lib. 2. Saxon. c. 22. legi poteſt. Nec pauca de eo habent Sigebertus & Annonius, Itemq; Benedictinus Monachus, qui vnum è primoribus VVeſtualorum Sax. diſertè appellat, ſed hoſtiliter ipſum inſectari quàm laudare mauult. Fertur hic aſſertionibus quorundam etiam poſſeſſiones inter Salam & Albim habuiſſe, atque eaſdem à Carolo M. ereptas tandem recepiſſe, quare & conditor VVetyni & VVitebergæ vulgo habetur, quanquam id filio cognomini ab alijs tribuatur. Sed illud ex vetuſto quodam Chronico certum eſt, quod Ducatum ad Viſurgin tenuerit atq; ad poſteros propagârit, qui etiam integer poſteris permanſit: condito videlicet deinceps Ducatu Saxonico altero ad Albim ab Ottone Magno, qui Hermanno Billingano conceſſus eſt. Cũ & Ludolphus VVittekindi M. pronepos Heinrici aucupis auus, prius orientalem Saxoniam, id eſt eam quæ inter Viſurgin & Albim fuit, auito VVeſtualicæ Saxoniæ regno adieciſſet. Inde eſſe putant aliqui, quod in Chronicis quibuſdam Saxonicis nominatur Rex ^ ngariæ, ab arce & propugnaculo Saxoniæ veteris, id eſt VVeſtualiæ, antiquitus primario. Eodem enim modo & conſuetudine inualeſcente ipſum Saxoniæ regnum inde cognominatum eſt, vt & Monachus Pirnenſis è Chronicis Saxon. annotauit, &

vetus

vetus inſcriptio lapidis ſepulchralis Hamelæ conſentit, quæ ita habet: Anno Domini D C C. Bernhardus Comes, Chriſtina Comitiſſa, Regni Angariæ de Oſten, fundarunt hanc Eccleſiam. A Carolo M. Dux Saxoniæ creatus noua etiam inſignia accepit, nempe pro equuleo regni Saxonici nigro, candidum, in campo rubeo abſque frenis & ephippio ſalientem. Initio ſtatim ſalutiferæ fidei ſuſceptæ Epiſcopatum Engeranum condidit: de quo, cum in primo præſule deſijſſet, Baſilica tempore fundationis ædificata adhuc extare dicitur, quamuis ab Heinrico Aucupe deſtructam, tumbamq́; VVittekindi Padebornam, ſicut Geuæ coniugis ipſius Bertelheimium tranſlatam eſſe Pirnenſis ſcribat. Voluit enim in æde à ſe extructa ſepeliri VVittekindus, quod & factum eſt, poſtquàm à Geroldo Duce Sueuiæ interfectus eſſet. Additur autem & hoc paſſim, prouincias ipſius pleraſq; à Carolo M. poſt obitum ipſius in VIII. præſulatus diſtributas eſſe, & populos ſubditos Deo & Epiſcopis ſeruire iuſſos. Cum autem duos ex diuerſis coniugibus haberet filios VVittekindus: per maiorem natu VVigbertum, ex Geua Daniæ Regis filia, vna cum Haſula, nobili cuidam Saxoni Betnoni (ex Ballenſtedia is familia fuiſſe putatur) nupta vt Chron. Saxon. habet, ſuſceptum, Ducum Saxoniæ in VVeſtualia & vicinis partibus proſapiam eam reliquit, ex qua Heinricus Auceps cum poſteritate ſua oriundus, Imperatoriam dignitatem genti ſuæ conciliauit. Ab altero autem patri cognomine filio (quare & VVitechindus iunior differentiæ cauſſa dictus eſt) quem ipſi Suatana Bohemiæ Princeps teſte VVancone (qui ab Adamo Fuldano allegatur) item Spalatino, Lazio, Beuthero, Seldio, Cruſio, Brodufio & alijs, etiam ſtirpes nobiliſſimæ, quæ hodie cum totius Europæ celeberrimis & maximis familijs antiquitate, fortitudine, iuſtitia, grauitate & potentia certant, deſcendère. Coacti ſumus, vt videtis, breuiſſimè tantum iſta perſtringere. Aliàs enim ſi VVittekindi illius Magni res geſtas ex Francicis & Saxonicis Annalibus & Hiſtoricis colligere vellemus, prius nos tempus deficiat, quàm vel guſtum aliquem earum rerum auditoribus præberemus. Subſiſtere quaſi hîc etiam in filijs VVittekindi cogimur, nec de eorum Hiſtoria latius explicare.

VVigbertus igitur hæres paternarum opum in VVeſtualia, Dux videlicet Saxoniæ & Dominus in Angern (quanquam & Crancius Ducem Angriæ nominet) ad pacis artes poſt fœdus inter Saxones & Francos religionisq; mutationem conuerſus, paternæq; pietatis æmulus, inſtituit condere Collegium VVuildershuſium, tranſlatis eò Roma multis ſanctorum pro temporis illius religioſo errore reliquijs, quod deinde à filio ipſius VValdeberto abſoluitur: qui & ipſe reliquiarum conquirendarum & impetrandarum gratia Romam profectus à Leone Pontifice voti compos factus eſt. Inhumatus eſt in eodem Cœnobio VVigbertus vnà cum fratre VVittekindo II. & filio VValperto, quem vnà cum Brunone Saxon. Duce, Sindafilla Rabodonis Phryſiæ ducis filia, ipſi pepererat, quod & Engelhuſij teſtimonio confirmatur. VVittekindus II. ſeu iunior cognomento, veteri conſuetudine quoad titulum & poſſeſſiones paternas ceſſit fratri natu maiori, ipſeq; Saxoniæ orientalis parte quadam contentus fuit, nempe tractu illo ad VVettynum inter Salam & Albim, à quo Comitis nomen tenuit, nec non ideo præfectus Soraborum vel Burggrafius Sorbeci, & Dominus Budſetij vnà cum poſteris aliquot

audiuit. Ditmarus certè conditam ab eo familiam Budſeciam nominat, & honorificentiſſimam eius mentionem facit. De hoc VVittekindo non pauca etiam in Gallicis & alijs ſcriptoribus reperias. Vxor ei tribuitur Iulanda Comes de Rochliz: vnde ſuſtulit Ditramum, VVittekindum & Fridericum, quem aliqui ſine rebus geſtis (niſi quod illi cæſo, Ditgramus in gubernaculis ſucceſſiſſe dicitur) ſineq; poſteritate adijciunt.

Sed neque nunc vt diximus in Hiſtoria progredi, nec omnia diligentius perſequi poſſumus. Solummodo igitur nomina ſtirpium ſeu propaginum illarum clariſſimarum, quæ ab his duobus VVittekindi Magni filijs ortæ ſunt, & quidem ex hoc ipſo numero filiorum ordine bipertito deſumpto, recenſebimus. A VVigberto igitur vel huius filio Brunone fratre VValberti, (qui cum Brunone fratre VVittekindi Magni ſeu I. vt mentio facta eſt, ab alijs confunditur) conditi ſunt, vt etiam iam ante attigimus, Duces Saxoniæ veterrimi, id eſt in VVeſtualia. Hic enim ex Suanna, de Monfurt & Rotenfan Comitis Filia, ſuſcepit Ludolphum Henrici Aucupis auum, Crancio & Pirnenſi teſtibus. Deinde vt ex fide dignis monumentis accepimus, à VValberto altero VVigberti filio Brunonis fratre, condita eſt proſapia quædam Comitum Ringelheimenſium: ex qua Heinrici Aucupis coniunx altera Mechtildis, hoc titulo celebris eſt.

Secuta eſt Ducum Sabaudiæ & Marchionum Saguſianorum &c. origo, ab Immodo VValberti filio, ſeu, vt Crancius & Hedio numerant, illius ex filio Theodorico Comite Ringelhemenſi, nepote. Teſtantur hoc Hedio, Lazius, (qui tamen de maioribus Immodi variat) Volaterranus, Vignierius &c. Hæc familia quæ Immodinorum ab Hedione dicitur, adhuc ſupereſt in Galliæ limitibus, & produxit Felicem V. Pontificem Romanum. Proceſſit de aliquorum affirmatione etiam Comitum Oldeburgiorum gens, à VValberti alio filio, qui iuxta Hedionem nepos eſſet, Regenberto: qui vt VVittekindus Saxo habet gentiles à Danorum incurſionibus liberauit. Hanc ſententiam & Boecrus in ſuis Regibus Daniæ ſecutus eſt. Nam illuſtriſſimorum Ducum Holſatiæ & Sereniſſimorum Regum Daniæ originem ab Oldenburgenſibus eſſe nemo dubitat. A VValramo quoque ſeu Alramo nepote, vel Hedionis ſententia, pronepote VValperti ex VVittekindo, vetus proſapia Marchionum Monferratenſium, quæ ante poſteriores Marchiones ex Impp. Conſtantinopolitanis oriundos ibi regnauit, profecta eſt: qua de re præter noſtra Chronica & ſtemmatum deſcriptiones legendum eſt Chronicon Bergomatis lib. 12. & Geographia Volaterrani lib. 4. Ex hac etiam aliquot Reges Hieroſolymæ, Tyri & Theſſaliæ orti ſunt, atque ex eadem adhuc hodie ſupereſſe dicuntur, in Italia Marchiones Finarij, ex quibus Alfonſus Carettus noſtro tempore fuit in aula Maximiliani II. Imperatoris. Fuerunt præterea ex VVigberti poſteris Saxoniæ Ducibus, quidam Tyringiæ & Haſſiæ Duces, poſtquam Burchardus, ex Caroli M. ſtirpe vltimus eius terræ dux, bello oppetijſſet. Quos tandem ſequuntur aliquot Romani Imperatores, aliquot Bauariæ, ab Heinrico Rixoſo videlicet Aucupis filio Ottonis M. fratre; & aliquot Sueuiæ, ab Ottonis eiuſdem filio Ludolfo, Duces: atque in his vnus Romanus pontifex Gregorius V. antea Bruno dictus, qui vnà cum Ottone III. Imperatore, agnato ſuo, Septemuiralem Senatũ in Imperio inſtituit. A Brunone Heinrici Rixoſi filio potiſſimum (nam & Ludolphi Ottonis M. F. poſteri hunc titulum geſſerunt)

runt) propagati etiam ſunt Marchiones Saxoniæ, Dominiq; Brunſuigæ, qui poſt Ottonum Impp. obitum, eorum in Saxonia ditiones ſuis etiam coniunxerunt, donec ab Henrico IIII. poſteritas eorum deleta & exciſa eſt. Reperiuntur præterea etiam tituli Comitum Nordheimenſium, vt in Heinrico Craſſo Ottonis V Veſerani Bauariæ Ducis F. Item Bichlingenſium, qui ab huius Heinrici Filio Cunone (vt ſupplementum Schafnaburgenſis Chronici, Lazius, Crancius & alij teſtantur) deſcenderunt, & in Tyringia paulò ante noſtra tempora deſierunt. Nordringenſium quoque Comitum proſapia ex hac ipſa VVigberti, & quidem ex Ringelheimenſium Comitum linea deducitur, qua de re Brotufius præcipuè tradit, de quibus omnibus hoc breui tempore ſatisfieri auidis auribus non poteſt.

A VVittekindo iuniore vel II. Magni illius ſeu I. filio natu minore, VVigberti fratre conſanguineo, deſcenderunt primò Comites VVertynenſes Dominiq; Budictini, qui à Dirgramo propagati ſunt, Item Comites Merſeburgenſes & Pleiſſenſes, è quibus veterrimi Miſniæ Marchiones, qui ante Dedones & Henricos regnârunt, de quibus alio loco plura agemus, orti fuere. Ex eiuſdem Ditgrami nepotibus ex filio Ditmaro, Chriſtianus quidam conditor eſt primorum ferè (excipitur enim vnicus tantum Gero Stadenſis) Marchionum Luſatiæ: quod qui negant, illis in I. & III. Commentariorum noſtrorum Myſnicorum libris aliquid reſpondebimus. Ex eiuſdem Ditgrami poſteris quidam etiam Ileburgenſem comitatum tenuerunt, quorum primus Fridericus, Ditgrami pronepos, primus Miſnæ Burggrafius, Marchiæ quoque Myſnenſis aliquando procurationem ſuſtinuit, ſicut illius ex fratre Dedone nepos Ditericus Brandeburgenſem Marchiam aliquandiu gubernauit: nec primus in ea prouincia Marchio Siffridus, à VVittekindæa origine alienus fuiſſe credatur, vtpote quem Diterici Ringelheimenſis ex VVigberti linea filium fuiſſe quidam aſſerere conentur. Hi ipſi Comites VVertynenſes produxere etiam Brenenſes quoſdam Comites, ſicut de Gerone, Timonis fratre & alijs quibuſdam deinceps conſtat. Nec à Rochlicenſium titulo quidam abſtinuerunt, ex Timonis poſteritate. Præcipuè autem ab hac Ditgrami proſapia deſcenderunt Marchiones Myſnenſes: tum ij, qui poſt veterrimos illos ex Merſburgijs & Pleiſſenſibus Comitibus, Myſniam rexerunt, vt Ditericus Timonis pater, huiusq; frater Dedo & eo prognati Heinrici duo, vſq; ad Conradum VVettinenſem ſeu Landsbergium: tum ij, qui à Conrado oriundi Marchiam Luſaticam extincta ſtirpe Chriſtiani, Dedonis Landsbergenſis, & Viperti Groicenſis, item plerosque inter Albim & Salam comitatus, cum Marchia Miſniæ coniunxerunt: Deindeq; Landgrafij Tyringiæ & Palatini Saxoniæ facti, & fodinis metallicis valdè fœcundis ditati, ad extremum etiam Saxoniæ Ducatum eum, cui Electorum dignitas annexa eſt, vnà cum munere illo ampliſſimo, & Burggrafiatu Magdeburgenſi adepti ſunt: Cum interea multa alia cæterarum linearum agnatarũ extinctis illis, bona & poſſeſſiones acquiſiuiſſent, quod alio loco diligentius monſtrabitur.

Hic igitur nobiliſſimus ille ramus eſt, qui non ſolum patriam noſtram hactenus annis propè ſeptingentis, nempe ab Henrici Aucupis præfecturarum limitanearum conſtitutione, felici vmbra ſua protexit & tuta-

& tutatus eſt: ſed etiam à quo ampliſſimi in vniuerſam Europam fructus, non minus atque prius ab illa altera VVigberti ſtirpe Imperatoria redundarunt, ſicut iſta paulò poſt pluribus repetenda nobis erunt.

Nec minus gloriæ & ſplendoris familiæ huic affert, quod ex eadem VVittekindi II. ſeu iunioris proſapia conſtanti Hiſtoricorum ſententia ſereniſſima Galliæ Regum ſtirps, in ordine tertia, & quæ adhuc rerum potitur, profecta eſt. Sicut in ea ſunt ſententia Vrſpergenſis, Annonius, Volaterranus, Chronicon Colonienſe, Crancius, Onuphrius, Seldius, Vignierius, Bodinus, AEmylius, Reinerus & alij. Quamuis Vrſpergenſis, vt qui Chronicon ſuum ex diuerſis tanquam ῥαψῳδὸς collegit, alicubi variet: nec Annonius & Volaterranus diſertè perſonarum ſeriem & nomina cognominaque explicent, ſed de gente Saxonum conditorem fuiſſe, ſolummodo affirment: Et contrariam inuehere ſententiam videatur VVittekindus Corbeienſis, qui è Francia orientali hoc eſt Germania, cum ſeruulo vno In Gallias profectum Odonem (qui deinceps Rex Galliæ factus eſt, & à noſtris autoribus VVittekindi II. Comitis VVettinenſis ex filio VVittekindo in Gallias profecto, nepoteq; Ruperto Andium Duce pronepos fuiſſe cenſetur, Hugonis Capeti patruus magnus,) illum ergo primum Carolo Caluo ob victoriam contra Danos, id eſt Nordmannos non tantum innotuiſſe, ſed ſecundum à Rege factum eſſe, filioque eius Ludouico Balbo non minus carum extitiſſe ſcribit, adeo vt Carolo Simplici Calui nepoti, (ita enim diſtinguendam VVittechindi expoſitionem paulò confuſiorem Reinerus exiſtimat) tutor deſtinatus, ab Arnolpho Imperatore Regnum nomen & dignitatem obtinuerit.

Nominat tamen Rupertum Hugonis Magni patrem Capeti auum, Ottonis illius filium, non fratrem, vt alij tradunt. Sed cum locus iſte VVittekindi ſatis confuſus, mendis quoque non carere videatur: & Vrſpergenſis in vita Ludouici Balbi veriorem illam ſententiam, (quam tamen deinde in Henrico Aucupe ex VVittekindo corrigit) primò ponat, conſentiantque Chronicon Colonienſe, & autores ante nominati: libenter nos quoque eam tanquam communiorem opinionem amplectimur. Sic enim ab Vrſpergenſi maiores Ottonis recenſentur: Anno Domini DCCCLXXXVI. Otto Vir militaris & ſtrenuus à principibus Galliæ Rex creatur in Palatio Compendij. Hic patrem habuit ex equeſtri ordine Rutpertum, auum verò paternum VVittichinum ex Germania profugum. Hæc ille. Ita igitur vulgaris & approbata eſt ſententia, VVittekindum III. Ditgrami fratrem, in Galliam militiæ exercendæ cauſſa, cum paternas opes tribus fratribus haud ſufficere poſſe putaret, profectum eſſe, eò à Carolo Caluo conductum, quo vnà ſecum duxit filium ſuum Rupertum, qui poſtea dux Andium factus eſt. Rupertus autem duos ibidem procreauit filios, Ottonem Franciæ Regem, & Rupertum II. qui Rupertus alter poſt fratris obitum Carolo Simplice capto regnum affectans, ab exercitu eius, vt Corbeienſis etiam habet, occiſus eſt, filiumque reliquit Hugonem magnum Comitem Pariſiorum, qui Carolo capto rurſus veſtigium in regnum poſuit, donec filius ipſius Hugo Capetus, Caroli poſteritate deleta, vi fauoreque militum, Galliæ regnum acquiſitum, & confirmatum ad poſteros ſuos tranſmiſit.

Quæ autem dignitates aliæ ad Regum Galliæ familiam pertineant, quodq; aliquando in ſuos quoq; diſtincta ramos & propagines fuerit, ſicut exemplo eſt ſtirps Burgundica, quæ ante annos centum deſijt, etiam hîc commemorare non poſſumus. Illud præ reliquis conſtat, ex eadem Hugonis Capeti poſteritate, & quidem Regia linea eſſe oriundos in Gallia Duces Burbonios, ex quibus Reges Nauarræ & Principes Condæi noſtro tempore ſunt celebres. A quodam Lamberto etiam, Hugonis Capeti filio, qui à fratre Ruperto Rege Galliæ expulſus in Germaniam ad Ottonem Imperatorem veniſſe dicitur, cuiusq; poſteri deinde in bellis Friderici Barbaroſſæ in Italiam profecti ſunt, Hugoniorum Brixiæ gens ſe ortam eſſe gloriatur: ad quam & Spinularum Mocenicorumq; familias refert Franciſcus Spinula ex hiſtoria Maluetij Brixlani. Sed de his etiam ſatis.

Huc vſq; igitur antiquitatem, originem & propagationes familliæ Saxonicæ à primis velut exordijs & incunabulis, quantũ vetuſta monumenta ſuppeditant, repetere nunc voluimus. Ne enim amplius progrediamur, tempus nos prohibet, & illa quæ reſtant: quæque hîc breuitatis cauſſa omittere coacti ſumus, commodiori forte loco præſtari conuenit. Non poſſumus autem, vt debebamus quidem, de omnibus etiam iſtius familiæ ornamentis & dignitatibus, ea quæ ſupereſt orationis parte, agere: neque item de ingentibus beneficijs, quæ Deus vniuerſo humano generi, per totam VVittekindi M. ſtirpem & poſteritatem, & præſertim per noſtros Illuſtriſſimos principes contulerit, pro rei dignitate loqui: cum id excellentioris ingenij, ſapientiæ, facundiæq; & temporis longioris opera indigeat: & prætereà labori iſti nunc partim ſuperſedere ideò velimus, quòd eius generis quædam, ante etiam ex hoc ipſo loco propoſita eſſe conſtet. Illud ſolummodo non poſſumus non grata animi ſignificatione perpendere & celebrare, quod illuſtre maximè eſt in VVittekindae a familia: quòd videlicet tantis, tam Eccleſiam ſuam, quàm Rempublicam Germanicam beneficijs per eam Deus affecerit, quanta vix ab vlla alia, quæcunque etiam illa ſit, profecta eſſe nouimus. Poſtquam enim VVittekindus M. ad religioſam Chriſtianorum fidem amplectendam toti genti Saxonicæ non ſolum ſuo exemplo præluxiſſet, ſed ab opere incepto non deſtitiſſet etiam, donec longè lateq; radices illam egiſſe videret: quo & liberalitatis ipſius in condendis & ditandis Epiſcopatibus & templis eximiæ argumenta pertinent: filium nepotemq; in eo ſtudio pari inflammatos ardore reliquit, quos & pronepos ſimili pietate æmulari ſtuduit.

Quid verò de atnepote illius Henrico Aucupe atq; huius poſteris Imperatoribus dicemus? Hi enim ſunt, qui non ſolum in Saxonia, ſed & tota Germania & Imperio religionem Chriſtianam aduerſus barbarorum & infidelium irruptiones defenderunt: vicinorumq; Henetorum gentem Idolatricam vel exciderunt, vel tandem etiam ad Chriſti iugum adduxerunt: Vt de Præſulatibus ad infideles iſtos in doctrina de vero Deo erudiendos magno ſumptu & liberalitate conditis, nihil nunc dicamus. Hos certe fundatores Magdeburgenſis, Myſnenſis, Mersburgenſis, Cicenſis, Brandeburgenſis, Hauelburgenſis, Bambergenſis Epiſcopatus agnoſcunt: Nec collegia alia ampliſſima partim originem, partim inſtaurationem ſuam ipſis ſe debere negant.

Taceo

Taceo quæ emolumenta ab iiſdem Henrici poſteris ad imperia politica promanarint. Nullis vnquam laudibus Ottonis III. Imp. conſtitutio illa omnium ſeculorum memoria gratitudineq; digniſſima, ab agnato ipſius Gregorio V. Ottonis M. Imper. pronepote confirmata & approbata, ſatis euehi poterit. Illa enim Imperij Germanici ſtatus, Pontificum Romanorum cupiditate & iniurijs laceratus peneque euerſus, non ſolum priſtinæ dignitati reſtitutus eſt: ſed etiam aduerſus interna & externa pericula munitus, bellorum ciuilium cauſſæ præciſæ, peregrinisq; ad imperium aſpirandi ſpes intercepta eſt. Quæ porrò quantaq; ſunt merita, ab ipſorum agnatis, noſtris principibus, Marchionibus Miſniæ, Landgrafijs Tyringiæ & Ducibus Saxoniæ ad nos profecta? Etſi enim de primorum illorum, vt Conradi, Ottonis diuitis, Diterici, Dedonis craſſi, Heinrici illuſtris &c. religioſa affectione, qua permoti tot Collegia Monachorum, inter quæ præcipua ſunt, Lauterbergenſe ad D. Petrum, Veterocellenſe, Portenſe, Dobreluchenſe, Cillenenſe, Brenenſe, Nouocellenſe & alia magnificè fundarunt, nihil dicere vellemus: ampliſſimum certè dicendi ſpacium relictum nobis eſſet, ſi de poſterioribus principibus aliquid ſaltem in memoriam nobis reuocaremus. Debemus certè his, non ſolū quod artium liberalium & politiſſimarum linguarum Eccleſiæ Dei & Rebuspublicis vtilium ſtudia, apud nos, depulſa illa Scholaſticorum ſeu Theologaſtrorum barbarie, inſtaurata ſunt: ſed etiam quod Verbi diuini lux per totam Europam repurgata eſt. Quod ſanè arduum & ingens opus, omnium hominum oculos & mentes in ſe conuertens, Inclytæ domus Saxonicæ miniſterio Deus clementiſſimus perficere voluit.

Atque hac in re Inprimis laudanda eſt pietas & virtus Friderici Bellicoſi, qui primus in ſtemmate ſuo non ſolum auitum Saxoniæ Ducum titulum (qui paſſim ad alias familias huic non agnatas, ab Imperatorum Saxonicorum obitu euagatus erat) ad legitimos hæredes reuocauit: ſed etiam dignitatem aliam, nempe Septemuiralem, titulo illi Saxonico annexam, familiæ ſuæ acquiſiuit & contra inuidiam virtute & felicitate, ſtrenuè defendit & confirmauit. Hic enim, tumultibus in Bohemia Muſarum nidulos turbantibus, Academiam Pragenſem Lipſiæ ſuſcepit, eiq; tutiſſimum hoſpitium, quo adhuc Dei benignitate fruitur, conceſſit. Nec minus præclarè de literarum ſtudijs reliqui etiam Duces meriti ſunt, quorum omnium beneficia in Muſas collata cedro inſcripta ſunt. Præcipuè autem Fridericus huius nominis III. cognomento Sapiens, proauum ſuum imitatus, aliam adhuc ſtudijs ſedem dicauit, nempe hoc ipſo in loco, in quo iam, clementia diuina aſpirante, nos omnes verſamur, & ad Eccleſiæ ſalutem Rerumq; publicarum vtilitatem operis Scholaſticis incumbimus, illiusq; beneficentiſſimi Principis & ſucceſſorum eius illuſtriſſima munificentia & liberalitate fruimur. Quam dulciſſimam Sareptam noſtram, vt Deus Optimus Max. nosq; omnes in ea, diutius conſeruare, & ſub protectione alarum ſuarum defendere velit, omnes vno ore mecum precabimini.

Quomodo porrò huius etiam hæredes & religioſæ pietatis & aliarum honeſtiſſimarum rerum ſtudia prouexerint, malo vos ex aliorum ſcriptis compluribus cognoſcere. Neque enim iſta à gratis huius terræ alumnis prætermiſſa vel ſilentio obruta ſunt, ſed ad omnem poſteritatem

perpetuis prædicationibus decantata perferentur. Non ſatis erat, ditionem Illuſtriſſimorum Saxoniæ Ducum præclariſſimis & toto orbe celeberrimis duabus Academijs ornatam eſſe, accedere etiam oportuit tertiam, quæ ab Illuſtriſſimo Principe Dn. Iohanne Friderico &c. qui Magnanimi titulum ob fidei conſtantiam meritus eſt, Ienæ non procul à Salæ fluuio, Straboni etiam vt putatur non ignoto, verſus Tyringiam condita atq; aperta eſt.

Sed multa quæ ſplendidè huc afferri atque commemorari poſſent, neceſſitate temporis excluſus, omitto, atque ad alia in Rempub. Teutonicam à principibus noſtris collata benefacta me conuerto: Alberti, qui Illuſtriſſimi & clementiſſimi Principis noſtri auus paternus fuit, virtute, magnanimitate & prudentia, Germania in periculoſiſſimo rerum ſtatu, ex difficilimis bellis ciuilibus explicata & pacata, terroreq; externorum Regum liberata eſt: nec minus imperij decus inclinatum & iam ruens, priſtinaq; bellicæ laudis gloria tum penè perdita, per hunc recuperata eſt. Quis vel vnius Mauricij res domi foriſq; geſtas breui temporis ſpacio recenſere, nedum pro dignitate verbis exornare poſſet? Notæ ſunt ipſius in Turcam Chriſtiani nominis hoſtem expeditiones: nota bella alia, quibus non ſolum Germanici nominis decus atque libertatem vindicauit & defendit, ſed religionis etiam incolumitatem ad ſtabilitatem quandam prouexit, inque perpetuam ſui apud omnes gratos gloriam confirmauit. Memorabile de hoc illud inprimis eſt, quod vno anno, qui fuit poſt millеſimum quingenteſimum quinquageſimus & ſecundus, ætatis verò ſuæ triceſimus ſecundus, duobus potentiſſimis Monarchis in Europa & Aſia terrori fuit.

De Illuſtriſſimi & potentiſſimi Principis AVGVSTI, Domini noſtri clementiſſimi &c. ſub cuius protectione pia & tranquilla viuimus, Heroicis & excellentibus virtutibus, quòd nunc orationi huic nihil interſeram, cauſſas habeo non vulgares. Præterquam enim quod, de ſuperſtitibus vt ſcribamus, verecundia quadam abſterreri ſolemus: tantæ ſunt Principis iſtius virtutes & merita, vt exiguis metis includi ſe non patiantur. Propria certè huius eſſe videntur, quod doctrinæ cœleſtis puritas conſeruata & defenſa, quod Eccleſiæ & Scholæ noſtræ ingentibus beneficijs ornatæ atque cumulatæ, quodq; ſtudia bonarum artium, quæ non multò antè excitata erant, illuſtrata, aucta, atque amplificata ſunt. Præterea huius virtute & induſtria procurata ſalus, & conſilijs atque auxilijs maturis adiuta & fulta maieſtas totius Imperij Romani, quod πανολεθρία certiſſima vel extinxiſſet vel ſaltem oppreſſiſſet, niſi malis iam ingruentibus fuiſſet occurſum. Sed huic tractationi alius & peculiaris quidem debetur locus.

Hæc exempla virtutis & meritorum, conſiderare nos vtile eſt: vt ſæpius & de prouidentia Dei in gubernatione humani generis, & de ordine Politico, qui à Deo inſtitutus eſt & auxilio cœleſti conſeruatur, cogitemus: atque in hoc ipſo præſentiam, ſapientiam, bonitatem & amorem Dei erga nos lucere ſtatuamus. Cum enim non paucæ ſint imperiorum confuſiones, præſertim in hac vltima mundi ſenecta, quam Daniel ſine dubio per ferrum & lutum deſignauit: ac animi piorum in hæc vitia inruentes, non poſſint non vehementer offendi, ſecumq; diſputare, ſint ne imperia à Deo conſtituta, an caſu forte ita exiſtant, vel humanis

etiam conſilijs & virtutibus conſtituantur & retineantur: neceſſe eſt nos totum illum ordinem Magiſtratuum & legum, inq; eo teſtimonium præſentiæ Dei inter nos, & beneficia priuata & publica maximè ſalutaria, quorum præcipuum eſt pacis & diſciplinæ conſeruatio, qua poſt ſanctum Dei verbum in terra melius nihil eſt, penitius conſiderare. Per me reges regnant & legum conditores iuſta decernunt, inquit ipſe Deus, à quo omnes Magiſtratus legitimi proficiſcuntur. AEquum eſt etiam, nos agnoſcere, Dei ſolius donum eſſe Principum bonorum ac ſalutarium illuſtres familias, per quas Deus tanta beneficia, religionem veram, leges, iudicia, pacem generi humano impertit: vt hoc conſiderantes & certis teſtimonijs conuicti, non ſolum eos qui è viuis ſublati ſunt, iuſtis laudibus meritò proſequamur ac memori gratitudine celebremus, Deoq; politiarum protectori gratias agamus, quod Principes ſemper ſalutares dederit, eorumque ſapientia & virtute condiderit Politias aliquas, & poſteritati conſeruârit: ſed etiam vt viuos & præſentes vero honore afficiamus, atque debitis officijs colamus, proq; ipſorum incolumitate & felicitate aſſiduis gemitibus ad Deum preces fundere ne dubitemus, ab eoque petere, vt ipſe in poſterum etiam cuſtos ſui muneris eſſe velit, ſuaq; ſapientia regere eos, quibus imperium tradidit, nec tempeſtatibus ſeditionum & diſcordiarum opprimi aut euerti has noſtras politias, templa, ſcholasque ſinat.

Inprimis autem pro optimo & beneficentiſſimo Principe noſtro, pro coniuge ipſius Illuſtriſſima, & Inclyto Duce Chriſtiano, alijsq; laudatiſſimæ huius familiæ principibus, vota ardenter faciamus. Tibi æterne Deus, Pater æterne Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditor ordinis politici, toto pectore gratias agimus, quod lucem doctrinæ ſalutaris his regionibus reſtituiſti: Quodque Principes noſtros vera agnitione & fiducia filij tui Ieſu Chriſti ad te conuerſos ac cœleſti luce imbutos, ardentiq; doctrinæ ſincerioris ſtudio accenſos, iuſta & felici gubernatione ornaſti: Teq; oramus toto pectore, vt deinceps etiam adſis nobis, Eccleſiam tibi inter nos æternam ſemper colligas & gubernes, & propter eam ſerues ac defendas Scholas, politias omniaque legitima Imperia, & potiſſimum Principem noſtrum beneficētiſſimum ſeptum excubijs ſanctorum Angelorum vna cum tota illuſtriſſima domo diu ſoſpitem incolumemque conſerues, Spirituque tuo regas ac gubernes. Reprimas etiam Diabolorum & malorum hominum ſeditioſos conatus & furores, nec deleri aut diſſipari vitæ atque officiorum omnium honeſtam ſocietatem ſinas. Sanctifices nos omnes Spiritu Sancto tuo, vt te in omni æternitate vna voce grati celebremus.

propagatur Eccleſia, & ad ſocietatem agminis ſancti perducuntur externæ gentes efferæ, & indomitæ, quæ paulatim exuta immanitate miteſcentes efficiuntur electa vaſa miſericordiæ, ſicut ab excidio Hieroſolymitano Eccleſia captiuitate Babylonica è Palæſtina traducta in Aſſyriam, multas Imperij Babylonici ac Perſici gentes ad veram Dei agnitionem conuerſas ſuo cœtui adiecit: quæ conſeruata memoria ac poſſeſſione promiſſionum & vaticiniorum cœleſtium de futuro Meſſia, vſque ad Chriſti aduentum manſerunt Eccleſiæ membra. Et confirmatis in Occidente viribus, Franci poſt longa bella reſtituerunt Eccleſias & Imperium.

De his rebus commonefactus præſagijs fatalium mutationum, quas orbi terrarum & prodigia plurima, & commouentes ſeſe gentes diuerſæ, & inclinata ad ruinam regna portendunt. cùm hoc tempore cogitarem, quo vſitato Scholæ more aliquid in hac ſolenni & publica feſtiuitate dicendum eſt: exiſtimaui me non facturum rem ingratam auribus veſtris, ſi quædam ex hiſtorijs repeterem de ijs gentibus, à quibus Romanum Imperium in Occidente conuulſum atque euerſum; ac viciſſim inſtauratum, ac legibusq; iudicijs præclarè conſtitutum ac munitum, ſedes fuit deinceps multis annis non tantùm ſapientiæ, iuſtitiæ, doctrinæ artium honeſtarum, ac diſciplinæ ſanctioris & ſeuerioris, ſed & religionis veræ, ac pietatis: præſertim cùm ab vna penè, aut cognata ſaltem origine prouenerint eæ gentes omnes, quæ ex Oriente in Occidentem infuſæ, noſtram primùm patriam & gentem cōdiderunt, indeq; velut colonijs deductis reliquas prouincias Romani Imperij compleuerunt: vt vna Germania vicinarum gentium quaſi parens cenſeri poſſit. Et virtus eſt & diligentia digna eruditis, quærere gentium ac præſertim maiorum ſuorum ſtirpes: Cùm quia στοργὴ inſita animis, natura inuitat ad cogitationem de parentibus, tum quia exempla virtutum in maioribus imitationis cauſſa intueri vtile eſt. Etſi enim in dilaceratione imperij Romani à maioribus noſtris magnæ vaſtationes effectæ ſunt: punit enim Deus peccata omnium gentium mutationibus talibus; tamen & in ipſis bellis fortitudo atq; induſtria, & confectis bellis ſapientia ac iuſticia eorum in regnorum conſtitutione ac gubernatione conſpicitur. Non enim, vt hodie Turcæ, deleuerunt leges, iudicia, doctrinas, religionem, ſed in occupatis prouincijs harum rerum ſtudia excitarunt, & magna cura diſciplinam honeſtam texerunt ac retinuerunt.

Non inſtituam diſputationem de cauſſis terribilium illarum migrationum, quæ omnium penè prouinciarum in Europa colonos vel mutarunt vel confuderunt, viciſſitudine creberrimis nouarum gentium ſucceſſionibus admirabiliter variata: ſed prorſus fatales fuiſſe, atque ad regulam Danielis referendas eſſe ſtatuo, qui inquit: Deum conſtituere & ſtabilire Imperia. Neque opus eſt vt procul quæramus vel abditas atque occultas in prouidentia diuina, vel cæleſtes cauſſas in aſtris proximas aſpiciamus. Cur fiant tranſlationes Imperiorum, docetur dicto Salomonis: *βασίλεια ἀπ' ἔθνους εἰς ἔθνος μετάγεται, δι' ἀδικίας καὶ ὕβρειν καὶ χρήματα δόλια.*

Huc conferantur ſpecies Romani imperij poſt Auguſtum. Quàm tetra monſtra ſederunt ad ſumma gubernacula in eo faſtigio, in quo lucere

.& con-

& conſpici debebant virtus ac ſapientia? Quantæ & quàm aſſiduæ ſecutæ ſunt ſeditiones, quàm multa & atrocia ciuilia bella? Nobilitas deleta eſt partim à tyrannis, partim in ciuilibus bellis. Exercitus ex barbaris gentibus collecti cæteras ampliſſimæ prædæ ſpe, ceuineſcatas pellexerunt ad prouincias Romanas appetendas, & quaſi fores eis aperuerunt. Diſciplina vetus extincta eſt: Magiſtratuum & militum in prouincijs rapacitas & libidines creuerunt in immenſum. Gottos primùm ad inuadendas prouincias Romanas exciuit & impulit ſumma occaſio, ex viribus imperij fractis tot bellis ciuilibus. Francica auxilia in Galliam acceerſita ad expellendum Lucium præſidem Honorij, qui rapuerat vxorem viri nobilis, occupata primùm vrbe Treuirorum, reliquam mox Galliam ſubiugarunt. Sed non integras mihi propoſitum eſt hiſtorias recitare. Idcirco præciſis his ad inſtitutam de gentibus commemorationem venio.

Etſi magna fuit negligentia ſcriptorum, qui res Romanas quomodo diſcerptæ ſint, literis monumentiſq; commendarunt, ita vt verè ab Antonini Philoſophi ætate hiſtoria eum impetio ex aurea ceperit fieri ferrea, horrida, inculta, rudis: tamen ſi quæ exſtant, peruestigemus & euoluamus accuratè, Romanas in Europa vires à tribus præcipuè gentibus acciſas & euerſas eſſe reperiemus.

Has gentes origine & linguis diſtinguo. Primam eam pono, quam ὁμογλώττας fuiſſe, & noſtra vſam eſſe lingua, dialecto tamen varia, non obſcuris hiſtoriarum teſtimonijs conſtat. Sub hac comprehendo Dacos, Getas, Alanos, Vandalos, Sueuos, Burgundos, Herulos, Rugios, Tyrigethas, Gepidas, Saxones, Francos, Longobardos, Boios, Angloſaxones. Altera Scythica fuit effuſa è vaſtis ſolitudinibus Orientis, inſtar torrentis aut procellæ: Hunnos eam nominant. Tertia Heneta ſeu Sarmatica prædictis noſtris gentibus inde vſque à vetuſtiſſimis temporibus, quantum colligi ex annotatis hiſtoriarum poteſt, contiguas ſedes ſemper habuit, & earum veſtigijs, quocunq; illæ ſeſe verterunt, promotis domicilijs, aſſiduè inhæſit atque inſtitit.

Vandalis & Sueuis exceptis reliquæ ante Antoninorum tempora, vel potiùs ante diſtractionem ſub Galieno factam, quæ quod reliquum fuit de imperio, domeſticis diſcordijs, & mutua inter ſe ducum laniena protſus diſcidit atque diuulſit, reliquæ ergo inter Germanicas gentes veteres à nullo ſcriptore memorantur. Sed eum Baſtarnis Vandali & Sueui verſus ortum conſtituuntur poſtremi propemodum ad Boryſthenem vſque ad Pontum Euxinum, atque Iſtri oſtia. Burgundos Ptolemæus iam Henetjs annumerat: etſi dubium non eſt, diuerſam ab Henetis gentem, ac noſtris communis linguæ ſocietate, & morum atque originis ſimilitudine cognatos fuiſſe.

Proceſſiſſe has gentes paulatim ex Aſia in Europam, tandemq; intra Iſtrum & Tanaim flumina, ad Pontum & Mæotidem vltra citraq; iuga Carpathi montis conſediſſe, Græcæ Romanæq; docent hiſtoriæ, & oſtendunt monumenta in Aſia gentium & locorum ὁμωνύμων. Dacorum ſedes fuit ad Carpathi radices intra eos montes, qui hodie Tranſſyluaniam cingunt, qua hæc ex concluſis vndique, & anguſtis vallibus, in apertum ac patentem Muldauiæ VVallachiæq; planitiem verſus Iſtri ripam Boream ſeſe expandit.

Hi pri-

Hi primi Romana irritare arma, & tentare infeſtareq́; prouincias Decebalo duce præſtante & exercitato fuerunt auſi, cùm ſtaret adhuc & floreret robur Imperij. Eoſdem, cùm deuicto Decebalo nihil ſe profecturos experirentur, verſus occaſum paulatim iuxta Carpathi iuga ad Sueuicum mare proceſſiſſe, & via vi facta, ſeu pulſis ac ſummotis ſeu oppreſſis Sueuis, qui omnem eam regionem, quæ nunc Ruſſorum, Polonorum, Sileſiorum, Pomeranorum & Marchiæ eſt, perrupiſſe, atque in Germaniam hanc noſtram ad littus Balthicum peruaſiſſe, vbi condiderunt in Cimbrica Cherſoneſo, & gentem potentiſſimam Danicam, & regnum florentiſſimum ac vetuſtiſſimum, Cimbris, Teutonibus, Ambronibus ac Marſis excluſis, non eſt cur dubitemus.

Sueuorum pars è veteri ſede vltra Balthicum mare reiecta, Sueuicæ genti originem dedit. Pars ſub Imperio Valeriani & Galieni, peruaſtata Gallia in Hiſpaniam penetrauit, & Gallætiam obtinuit, quam ſeptimus è Sueuica gente rex adminiſtrauit, vſque ad Gotticas irruptiones. Pars intra Meridionales limites Germaniæ, & ad Noricorum, Vindelicorum ac Rhetiorum fines Romana arma exercuit, vſque ad Alemannorum aduentum.

A Dacis proximi Getæ, qui poſtea Gotti ſunt nominati, Romanas prouincias Decio imperante inuaſerunt. Ab Iſtro enim progreſſi acceſſerunt ad Thraciam, & poſtea eundem, quem antea Daci, tractum à Pannonia vſque ad littus Balthicum, & vicinas inſulas, vbi Oſtgottorum & VVeſtgottorum reliquiæ ſunt, compleuerunt, Dacis intra Cimbricam Cherſoneſum compulſis. Inde rurſus ſeu ſponte egreſſi, ſeu eiecti, primùm Pannoniam & Myſiam occuparunt, regno ibi excitato, Valentis tempore. Deinde pars eorum Italiam occupauit ſub Honorij imperio, quæ tandem pace facta cum Honorio, & affinitate iuncta, diſceſſit in Galliam, & inde in Hiſpaniam, cuius magna pars interea à Sueuis, Vandalis & Alanis occupata erat, quos è Gallia Conſtantius pepulerat. Hæc regnum in Hiſpania condidit, quod attracti ex Africa Sarraceni contra Rodericum regem, poſt annos circiter quadringentos, deleuerunt. Vocantur autem in hiſtorijs Oſtgotti.

Pars multò maxima remanſit in Pannonia VVeſtgottorum nomine. Hi rurſus deinceps Theodoſio imperante Italiam obtinuerunt, ſed eadem rurſus exciderunt ſub Iuſtiniano, victi deletiq́; à Narſe Eunucho, auxilio Longobardorum. Francos ex veteribus colonis Germaniæ, Cimbris, Chamauis, Caycis, Teutonibus, Sicambris, Cheruſcis coiiſſe, & ob depulſum à ceruicibus ſuis iugum alieni imperij, quod nouarum gentium irruptiones intentarunt, glorioſum vindicatæ defenſæq́; libertatis nomen vſurpaſſe multis coniecturis moueor. Et gentis & nominis in Galieni hiſtoria primùm fit mentio, contra quem Poſthumus, qui Galliam rexit, triginta Francorum millia armauit. Nec vetuſtiorem reperio, nam Strabonis locum ſuppoſititium eſſe vereor. Excellentem fuiſſe huius gentis virtutem, teſtatur magnitudo rerum geſtarum. Nam & in Gallia regnum conſtituerunt, quo multis ſeculis nullum eſt magis ornatum legibus, doctrinis & iudicijs, & rudera conuulſi imperij inſtaurarunt, & cuſtodes fuerunt totius Europæ præcipui contra barbaras gentes. Ad Rhenum verò & Mœnum flumina primùm eos hoc nomine claruiſſe minimè obſcurum eſt. Ab Alemannis cur Alanos diſcernam non video. Hos

Getarum

Getarum ſobolem facit Dion. Innotuerunt Germaniæ ſub Valerio Probo, & omnem inter Alpes & Moguntiam regionem Rhetiorum nomine abolito tenuerunt, ſuiſque paruerunt regibus, quibus cum Franci ſtabilito in Gallia regno longa bella geſſerunt, donec exciſa regum ſtirpe, & dominis ſubditis, regionem redigerunt in formam prouinciæ. Inde efferre ſe rurſum Sueuorum nomen, qui eis admixti fuerunt, & Alemannos obſcurare cepit, donec in Germania horum penè memoria exoleuit.

Exteræ gentes enim, Gallica præſertim & Italica, nomen Alemannorum conſeruarunt. Pars Alanorum ſocijs Sueuis & Vandalis, percurſa ac direpta Gallia, ſedes in Hiſpania fixit. Vandali enim Beticam Honorio imperante occuparunt, regno conſtituto: cuius rei argumentum eſt Vandaluſiæ nomen in tractu circa Hiſpalin ad Betim fluuium. Sueui Galloeciam, vt dixi, ſubegerunt. Alanorum reliquiæ ſubſtiterunt cis Iberum fluuium in Celtiberorum veterum patria, vnde Catalauniæ nomen ſupereſt, quod vel à Gottis & Alanis, vel à Cattis & Alanis, profectum conijcio. Oppreſſerunt has gentes Gotti Occidentales. Sed Vandali Hiſpania pulſi, traiecerunt in Africam: ibique Theodoſio imperante, cæſo Bonifacio exercituum Romanorum duce, & Carthagine occupata, regnum excitarunt, quod deinceps Sarraceni deſtruxerunt.

Vandalos à Plinio antiquiſſimis Germaniæ populis accenſeri notum eſt, nec coniecturas improbo quorundam, qui Flandros Vandalorum progeniem faciunt. Burgundi ex confinio gentis Henetæ ab Oriente progreſſi ſecundum littus Balticum, circa Megapolenſem regionem primùm, deinceps ad Nicium & Rhenum innotuerunt. A Gottis enim profligati, ſedes quæſiuerunt nouas apud Alemannos, ſub Valentiniani principatu. Inde traiecti tranſierunt in Heduos & Veromanduos: & reges eorum aſſiduis bellis cum vicinis Francis contenderunt de finibus, vario euentu, donec redacto ſub Francos imperio Occidentis Burgundica potentia concidit.

Saxones rei nauticæ peritia celebres fuiſſe Sydonij Apollinaris carmen teſtatur:

Iſthic Saxona Cœrulum videmus,
Aſſuetum ante ſalo ſolum timere.

Nomen apud Ptolemæum legitur inter Aſiaticas gentes, inter quas & Sacas Herodotus numerat, quæ appellationes affines inter ſe ſunt. Primus cum his infra Coloniam Agrippinam in Tungris dimicauit Valentinianus. Poſtea & alij tanto quidem cum diſcrimine, vt de Saxonibus Sidonius Apollinaris ſcribat, Nullus hoſtis hoſte Saxone truculentior, nec robore tantùm & audacia, ſed etiam conſilio & arte vincit. Gottis & Dacis pulſis occuparunt eam regionem, quæ Saxoniæ nomen ſibi ab ea gente vendicauit.

Attilam & Hunnos Genſericus Vandalorum rex attraxit in Hiſpaniam contra Gottos: Progreſſum in Galliam ad Toloſam vſque deuicit

ulcit Aetius Romanus præſes auxilio Gottorum & Francorum. Trucidata ſunt in eo prælio centum & octoginta millia hominum, ſub Marciani imperio. Oppreſſerat autem Attila Gottos Orientales in Pannonia; ſed eo mortuo Ardaricus rex Gepidarum regnum filijs Attilæ ereptum recuperauit, trucidatis triginta millibus Hunnorum. Hos reuerſi poſt centum annos Iuſtiniani tempore Hunni, ſed aucti ſocietate vicinorum Auarum, ruſſus oppreſſerunt.

Gepidas autem Gotticam gentem eſſe, vnde Cepuſij reliqui ſunt, ex Iornande conſtat.

